This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

86

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DELICIARUM GAMICARUM AUREOLUS

VARIA, DOCTISSIMA, Elaboratiſſimáque

EPITHALAMIA,

Partim ſacra, partim alia

IN NUPTIAS POTENTISSIMORUM REGUM, SERENISSIMORUM ELECTORUM, ILLUſtriſſimorum Principum, Generoſorum Comitum, aliorumq; HEROUM totâ ferè Europâ jam olim, hodieq; feliciter dominantium, &c.

UNO QUASI FASCICULO ET ENCHIRIDIO gemmeo Lectori ſimul exhibens;

E CELEBRATISSIMORUM OMNIUM, QUI conquiri potuerunt, per Germaniam, Galliam, Italiam, Belgium, Scotiam, &c. Poetarum monumentis:

Ita n primum in Illuſtriſſimarum illarum familiarum, Auctorum item gloriam & memoriam immortalem, omnium eruditorum oblectationem.

Nec non Studioſæ juventutis, divinæ Poëſeos cum primis amantium emolumentum & gratiam adornatus & editus, ſtudio & opera,

A. VIGELII H. N.

Cum gratia & priuilegio ſpeciali Vicariatus.

Proſtat FRANCOFURTI

In Officina GOTTFRIDI BEZERRI. 1624.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD CANDIDUM ET BENEVOLUM LECTOREM PRÆFATIO.

EVULGATURO *mihi de conſilio optimorum, iuxta ac doctiſſimorum quorundam amicorum meorum hoc, (qualecunque id hîc habes lector lectiſſime atq; humaniſſime) opuſculum Poëticum Gamicum, ſeu Epithalamicum, cùm poſt multas variasq; tergiverſationes, (quas partim temporum horum ſanè quàm triſtiſſimorum; partim ſtatus & conditionis meæ ratio, & conditiô; partim denique invidioſa, & ſiniſtra hominum etiam infra mediocritatem literis tinctorum iudicia planè in contrarium, ut nimirum premerem potiùs, quàm ederem, mihi ſuggerebant) amicæ tandem, & favorabili amicorum petitioni victas manus darem; Occurrit iſtud, quod apud Platonem, auctorem graviſſimum lib. 6. de leg. extat, his verbis. Nequaquam profectò, poſtquam dicendi, partes ſuſcepi, ſermonem abſq; capite (μῦθον ἀκέφαλον) libens reliquerim. Etenim ſic oberrans talis occurrat alicui, ἄμορφος fœtus & infirmis videretur. Appoſitum omninò, & ex familiariſſimo iam olim, tum dicentium, tum ſcribentium uſu & conſuetudine nemini ſanæ mentis hactenus*

improbata, deſumtum proœmium; iuxta quod ipſam rem à me efflagitare, ipſam neceſſitatem mihi imperare prævidebam, omnino ita faciendum eſſe, aliquid quoq; in operis veſtibulo, ut de collectionis & evulgationis illius rationibus & inſtituto brevibus ſaltem præfaremur. Quod dum paro, non eſt, Lector optime, ut exquiſitum de laudibus divinæ Poeſeos panegyricam à me expectes. Omnino enim actum agere velle non iniuriâ cenſeri poſſem, ſi poſt chiliades auctorum, eorumq; undequaq; doctiſſimorum, qui in lucubrationibus ſuis eruditiſſimis certatim quaſi ita illud præſtiterunt, ut omne punctum tuliſſe, & vel ipſi Momo ſatisfeciſſe prædicari mereantur: Si, inquam, ego, qui ex iſtis, quod dicitur, heroibus non ſum imò qui ne veſtigia quidem illorum à longinquo aſſequi valeo, ad imitationem ſaltem, à qua mea me infirmitas, & ingenij tenuitas deterret, auſu, ut non neceſſario, ita planè temerario, ſoli ſcilicet meridiano lumen fœneraturus, idem adhuc facere contẽderem.

Ne tamen omnino nihil dicam, pauca hæc inſtituti noſtri præſidium attuliſſe, nunc quidem ſuffecerit;

Omnium Poëtarum (ſaltem ſaniorum & laudatorum) obiectum unicum, ſcopus, & materia perpetua eſt, ut lepidiſſimus Theocritus pulcherrimè & feliciſſimè uno eam verſiculo complexus eſt;

Et laudare Deos, & fortia facta bonorum.

Huc cùm conditi ſimus, pia autem Poëſis præ reliquis diſciplinis, ceu Muſica quædam divina omnium feliciſſimè, abundantiſſimèq; id præſtet, quis quæſo, niſi Dei conditoris, & omnis virtutis teterrimus hoſtis omni eam ſtudio, induſtriaq; digniſſimam, omni laude, &

cele-

celebratione vel maximè decorandam, non perſuaſum habeat? Cùm præſertim apud quosvis rectè ſentientes omni dubitatione careat, quemadmodum viri fortes, & Herôes excelſi, ac magnanimi tantùm divinitus dantur, & excitantur: ita vim, & facultatem iſtam, quæ rebus eorum præclarè geſtis deprædicandis, & ceu vivis coloribus depingendis & delineandis ab ingeniis Poëticis affertur, & adhibetur; Entheon tantùm, & divinum quendam motum & ſtupendum afflatum, adeoq; inſigne Dei donum eſſe. Quod ſi in priſcis Gentium Poëtis, quos propterea in Jovis aut Apollinis myſteriis, in neſcio quo Delphico aut alio ignoto antro præ reliquis mortalibus edoctos Ethnica ſuperſtitio credidit, adhuc in lectione eorum non ſine admiratione animadvertimus & admiramur: Ecquo modo quæſo affectos nos eſſe decet erga eos, qui in Eccleſia nati & ſanguine Chriſti in Baptiſmo tincti, in Chriſtianorum ſcholis informati, & haud dubiè à ſpiritu Dei, omnium bonorum motuum incentore inflammati, æterni huius & immenſi Dei laudes, carminibus ſuis cùm primis exaltare, tùm Chriſtianorum Heroum, Imperatorum, Regum, Principum, &c. Natales, Coniugia, & res pro Eccleſia & Patria fortiter geſtas, ſtylo & calamo ſuo exornare, & ceu buccinâ quadam ſonorâ, ad omnem poſteritatem usq;, alta voce decantare, adeoq; (quantum quidem in ipſis eſt) immortalitati conſecrare unicè deſudarunt? E quorum numero cùm Authores noſtri, hîc laudati, illaq; ferè omnia, quæ ex illorum Voluminibus Poëticis antehac editis, in hunc theſaurum noſtrum congeſſimus, meritò cenſeri debeant: Omnibus Dei, ſinceræ pietatis, ſummi

magiſtratus, Politiciq́; ordinis ſtudioſis & obſervantibus, quæcunq́; in ſelecta hac carminis materia, coniunctim exhibemus, non niſi iucundiſſima, gratiſſimaq́; futura in ſpem adducimur propemodum firmiſſimam. Et vel hæc ſola, opinor, editionem hanc non excuſare modò, ſed & omnibus bonis commendare ſatis poterant. Ne tamen à naſutulis aut argutulis, qui nunquam non erunt, cenſoribus, quaſi ſupervacaneus & inutilis, nulliusq́; ferè pretij, labor noſter, in Enchiridio hoc Gamico cõcinnando poſitus, ex alto contemni, aut extenuari minimum poſſit; age omiſſis Poëticæ, Authorumq́; in hoc Aureolo noſtro coniunctorum, Encomiis, eò nunc orationis noſtræ vela convertamus, ut novitatem editionis, aut Syntagmatis huius lectori dilaudemus, eiusque in hac forma, & compage publicationis cauſas iuſtas, ac legitimas oſtendamus.

Collectæ ſunt antehac, Lector humaniſſime, à diverſis Reipublicæ literariæ ſtudioſis, & induſtriis viris, Deliciæ Poëticæ variæ, è variorum Poëtarum toto Chriſtiano orbe celebratiſſimorum monumentis accuratâ operâ excerptæ, & aureolorum inſtar publicis typis deſcriptæ, quæ ab eruditis Muſarum cùm primis Poëticorum alumnis deamantur, & in illorum manibus paſſim cum fructu non contemnendo teruntur. Hinc operæ pretium non pœnitendum facturum eum arbitrati ſumus, huiuſmodi operis adornationi ſedulam manum qui admoturus eſſet. Itaq́; ne adornatio iſta diutius in ſuſpẽſo maneret, eã qualiter hîc quidẽ confectã habes, ſeriò aggreſſi ſumus. Fave igitur, benevole Lector, deſiderij tui, quod haud dubiè idẽ cũ meo habuiſti, labore no-

ſtro

ſtro iam compos factus ; & in hoc ſpacioſo Gamico, aut Nuptiali Theatro oculos, animumq; ad ſatietatē paſce & oblecta. Facilè autem nobis perſuademus, omnes erga politiorem literaturam & ſtudioſam iuventutē ſincerè affectos, bonos & æquanimos nobis futuros, cùm nihil hîc tãquæramus, quàm ſcholaſticæ pubis, in quã totius Chriſtianæ Reipublicæ ſpes & expectatio unicè recumbit, in Poëſeos, Artis planè divinæ, laudabili exercitatione expeditos progreſſus. Quorsũ ſanè opus eſt, imò plurimùm intereſt in hoc ſtudiorum genere exempla extare probatiſſima, quæ enaſcẽti iuvẽtuti & eruditis alioquin viris ad imitationem proponi & de meliore nota commendari mereantur: Cuius quidẽ bonitatis & præſtantiæ, ſi non omnia, quæ hîc exhibemus; pleraq; tamen, ab æquis & peritis rerum æſtimatoribus cenſeri iure poſſe, certò certius nobis pollicemur. Vnde etiam de opera noſtra non male collocatâ, quodq; eâ non vulgarē apud eruditos gratiam inituri ſimus ferè iam dum certi ſumus. Enimverò, ſi omnium bonorũ calculo ſtudium eorũ ſemper approbatũ eſt qui qualicunq; operâ iuventuti prodeſſe, & artes liberales, remq; literariã publicam quomodocunq; exornare & exaltare attentarunt; quid quæſo ſcrupuli ſupereſſe poteſt quò minus in ſpē certã & nos erigamur et hũc non temere certè, ut vides, ſuſceptũ laborē noſtrũ ſuã quoq; debitæ laudis portionē apud oẽs rectè ſentiẽtes facilè invẽturũ? Cũ præſertim iuxta ſtudioſæ iuvẽtutis laudatos in Poëtica progreſſus (ad quos, ut dictũ antea eſt, feliciùs faciẽdos præſens libellus, præſẽtiſſimo emolumẽto eſſe põt) hũc quoq; fructũ ſecũ ferat dulciſſimũ, ut attẽto lectori, nõ ſolũ agnatiões & pſapias

Illuſtriſsimarum per totam ferè Europam Regum & Principum familiarum, & multa circa eas hiſtorica ſcitu digniſsima, (quod vilipendi omnino non debet) ſuaviter inſinuet; ſed etiam præcipuos noſtræ & ſuperioris ætatis Poëtas & Apollines, ob oculos ponat, & amorem, ac æmulationem laudabilem erga eoſdem, noſtros, ſi verum fateri velimus, in re literaria nunquam ſatis laudatos anteceſſores, (quorum doctiſsima monumenta & gratam memoriam honeſtare hîc & renovare, quaſiq́; de novo immortalitati conſecrare animus fuit:) in animo ipſius, ardore planè laudabili, accendat & foveat, & ad poſteros quoq́; eodem cum fructu, & ſucceſſu feliciter tranſmittat. Quæ omnia ut magni momenti ſunt in ſe; ita huic libello noſtro gratiam non vulgarem apud omnes, qui non planè excordes ſunt, & [illegible] eadē conciliatura eſſe indubiè, ut dixi, nobis perſuademus.

Accedit, quod in hiſce aut ſaltem his ſimilibus qui ingenium porrò exercere, aliorumq́; honoribus inſervire ſatagunt, (ſi eo usq́; diſciplina & uſu fortè nondum pertigerint, ut per undas Caſtalias ſine cortice tranare audeant) invenient hîc (credant mihi velim) plenos folliculos, quibus brachia ſuffulti, incumbere tutò poterunt, usq́; dum libero natatu ad portum quemcunq́; appetunt laudabiliter, & læto cum applauſu feliciter eniti ſuo Marte aliquando poſsint. Sed quid pluribus opus? Ad commendationem operis enim, ſi quid præterea requiritur, vel nuda ejus inſpectio ſufficientis opinor, præconii loco nobis eſſe poterit. Quod ſi tamen præter opinionem alicui in omnibus minus ſatisfactum, aut non omnia hîc æquè exculta aut perpolita videbūtur, (tam-

etſi ut elaboratiſſima, & quo ad eius fieri potuit abſolutiſsima quæq; haberemus ſtrenuam operam navavimus:) is, ſi penitius ſecum reputaverit, non omnia hîc unius venæ, aut eiusdem artificis: ſi itidem ingeniorum, temporum, nationum, locorum, & conditionum; in ſponſis pariter, ac authoribus diverſitatem in mentem ſibi revocaverit nullam puto, amplius nobis hoc nomine litem intentabit. Quid? quod ſtyli & tractationum illa diſsimilitudo cupidum lectorem non modò (ut opinamur) non offendet; ſed ſtyli grandiloquentiâ ad æthereas Parnaſsi verticis auras non ſine vertigine aut laſsitudine alicubi evectum, leniter iterum in demiſſa & molliſsima Camœnarum vircta demittet, adeoq; ſuboleſcente nauſea abſterſa, novo quaſi appetitu excitato tenebit, & vicibus ſuaviſsimè ſubalternantibus ad finẽ lectionis usq; citra ſacietatis tædium mirè etiã reficiet? Quo ſanè conſilio Poëtæ, quos maiorum gentium præ reliquis dicere poſſis, una cum aliis, ſi non Nervo & Numero Venuſtate tamen & Candore, (quibus tota Elegantia Poëtica abſolvitur) non multũ illis diſparibus, permixti hîc & ſacra & divina non pauca, ſecularibusq; & humanioribus paulò plurib. intergeſta inveniuntur.

Quorsũ etiã acuta illa Epigrammata, & ingenioſa Anagrammata paſsim aſperſa, nõ parũ momẽti allatura exiſtimamus. Quẽ n. longa Epithalamiorũ tela alicubi nõ afficiet. cũ grata haud dubiè & cõcisa Epigrammatum brevitas tenebit & oblectabit. Omninò ut varii hominũ ſunt palatus, & Velle ſuũ cuiq; eſt, & ita varias hîc neceſſariò conquiſivimus dapes. Quod ſi ad palatũ, & ex animi tui ſententia, Chare Lector, bene admodũ;

ſin minus, in voluntate tamen, ut ſperamus, tibi cupidiſſima placidus acquieſces.

Impuritatē & obſcœnitatem omnē (cui, proh pudor, plus nimiū in hoc ſcribendi genere indulgere non pauci ſolēt) omni ſtudio devitavimus. Lepidæ orationis Veneres, & caſti ioci, quæ ab huiuſmodi tractationib. ceu anima quadam ſeparari omnino nō poſſunt, nec debent, ut ſuo loco poſita ſunt, & carmina ſuis coloribus nitere faciunt, ita neminē, niſi Therſitico planè ſit ingenio, & corneā q. dicitur, in pectore fibrā geſtet, vel minimum hic offendent. ¶ Porrò primis carminū ſingulorum auctoribus (ut & hanc cavillandi feneſtram malevolis obſtruamus) in tantum derogatum nihil hic voluimus, ut quorūcunq; ſaltem nomina reſcire potuimus, ea ſuo loco candidè & expreſſè adſcripſerimus omnia: Si quos verò qui pauci erūt, maiuſculis literis tantum notatos divinando aſſequi nō potuimus, aut præter auctorū volūtatē edere noluimus, eorū tamen literas nominales, quales eas ſub finē aſſcriptas reperimus, nihilominus addidimus ne hac quoq; in parte, quaſi id noſtra vel incuria emiſſū, aut invidia quadā, quæ ab omnib. bonis & ingenuis, quàm alieniſſima eſſe debet, ſuppreſſū ſit, vel minimæ reprehenſioni locū, ſuſpicionis quoq; relinqueremus. Quæ quidē ingenuitas, ut in aliorū laboribus, jure meritiſſimo omnib. tenenda & pbanda eſt: Ita non dubitamus quin ea nō lectoribus modo, ſed & auctorib. noſtris, quos hic coarctavimus omnibus (qui quidē vitæ hujus uſura incolumes adhuc fruuntur) ſi laborib. ſuis nomina itidē honorificè adſcripta legerint, grata admodū & accepta maximè ſit futura. Quā quidē gratiā & affectū,

non

non minus de filiis, ac poſteris eorũ. qui lucis hujus uſurã jam amiſerunt, conſtanter quoq; nobis pollicemur, cũ à natura, omnibus. qui modò monſtroſæ indolis nõ ſunt, nihil tã ingeneratũ ſit, quàm ut amor, honeſtũ judicium & benevolentia. gratitudinẽ, & benefacta vel nobis vel majorib. aut liberis noſtris demõſtrata, ultrà conſequãtur. Quib. & hoc momenti accedit, quòd reproducto hoc labore, beatas defunctorũ animas nõ modò. quaſi novis trophæis aut mauſoléis erectis à lethali oblivione vindicare, ac ceu de novo immortalitati conſecrare laboravimus: ſed & filios ac poſteros eorũ, ad patriæ avitæq; famæ. & nominis celebritatẽ & gloriam. ſi nõ ſuperandã, exæquandã ſaltẽ, aut minimùm conſervandã extimulare operæ pretiũ duximus. Quorſum quidẽ omnes, qui nõ planè ignavi, torpeſcentis, adeoq; degeneris ſunt animi, facilè nos excitaturos, facilè etiam nobis perſuademus.

Quò ad ordinem, ut de hujus quoq; obſervatione quadantenus lectorem informemus. A ſacris initium factum eſt; non ſolùm quia, etiam ſecundum Andinum vatem, omne laudatum à Jove principium petendum; ſed multò magis, ut quaſi in limine & ingreſſu proteſtaremur, nos vel maximè his talibus delectari, & ad ſimilium vel compoſitionem, vel modulationem omnes in univerſum lectores noſtros allicere velle.

Quod ſi ad extremũ in collocatione ordinẽ non ubiq; competentem nos iniiſſe, & Heroas, Dynaſtasq; aliquos non ſuo loco collocaſſe videbimur: Quod ſi etiã præ aliquibus alii melioris notæ, & à Doctoribus forſan Poëtis, multò his elegantiore Muſa decantati inſeri hîc & exhiberi potuiſſe quis exiſtimet; eũ amicè rogatũ volumus,

Digitized by Google

æquius ut ſecum perpendat; primò quàm difficile ſit in aliorũ laborib. miſcellaneis præſertim, eo ordine omnia diſponere, cujusvis ſatisfiat ut arbitrio: Deinde flagitari hoc importunius à nobis non debere; cùm Authores ipſi in propriis ſuis lucubrationibus & operibus de ordine collocationis nunquam adeo ſuperſtitioſè ſolliciti fuerint; quin potius, ita ut ad manus venerunt pleraq; collocarint. Tandem, tantum nunc quidem ſponſorum Illuſtrium (ſiquidem Sponſis tantùm ex Illuſtribus familiis procreatis hic Tomus adornatus prodire debuit) in ſcenam à nobis producitur, quantum eorũ nunc quidem conquirere potuimus; uſq; dum ſecundà cura, ſi è re illud videbitur, locupletior, ut ſperamus, appareat. Quam in rem eruditorum liberalem librorum, & carminum communicationem officioſè petimus, & amice exſpectamus.

Quorſum quidẽ, ut propenſiores omnes inveniamus, latere eos nolumus ſpeciale Privilegiũ à Sereniſſimo Electore Palatino, nunc, Dei gratiâ, Bohemiæ Rege, Vicariatus tempore, Typographo noſtro in hanc materiam gratioſè conceſſum; ne ſcil. quiſpiam in toto Imperio Romano ſpatio duodecim annorũ hunc librum Epithalamicũ & alios, eiuſdẽ materiæ, brevi Deo benedicente in lucẽ redemus, imitari, interpolare, transformare, recudere, vel alio aut alibi recudendos dare, &c. præſumat ſub pœna deſuper conſtituta graviſſima: prout hæc fuſiùs in Privilegio ipſo continentur. Quibus te, chare lector, nunc demittimus, nosq; & operam hanc noſtram ex animo tibi commendamus. Bene & feliciter vale.

A. VIGELIVS H.N.

IN-

INDEX RERUM ET MATERIARUM HUJUS TOMI.

I.

TRia Epithalamia ſacra, in nuptias myſticas Sponſi cœleſtis cum Eccleſia Sponſa, è Pſalm. XLV. pag. 1
II. Duo Epithalamia omnium piorum conjugum, è Pſalmo CXXVIII. 10
III. Encomion ſtrenuæ mulieris. 12
IV. De concordia & diſcordia conjugali. 21
V. In laudem conjugii & conjugatorum, Epigrammata varia. 23
VI. Nuptiæ protoplaſtorum in paradiſo, ſecundo decantatæ. 37
VII. Nuptiæ in Cana Joh. 2. deſcriptæ. 46
VIII. Nuptiæ Davidis cum Bathſabæa, è 2. Sam. 11. 47
IX. Nuptiæ Tobic. 57
X. Epigrammata varia
XI. Epithalamia Regum & Principum plurimorum.

IN NUPTIAS.

I. Jacobi VI. Reg. Scotorum, *Cum* Anna Danorum Regis Friderici filia, pag. 69
II. Friderici V. Electoris Palat. nunc Regis Boh. *Cum* Eliſabetha Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis filiæ. 81
III. Henrici VIII. Angli & Franciæ Regis; *Cum* Anna Juliacenſi. 99
IV. Franciſci Valeſij, *Cum* Maria Stuarta Reg. Franc. & Scotiæ. 121
V. Franciſci Franciæ Delphini, *Cum* Maria Scotorum Regina. 132
VI. Caroli IX. Regis Galliarum. 138
VII. Henrici Regis Navarræ, *Cum* Margaretha Valeſia. 144
IIX. Henrici IV. *Cum* Maria Medices. 146
IX. Philippi Regis Hiſpan. *Cum* Maria Angliæ Regina. 161
X. Sigiſmundi Regis Poloniæ, *Cum* Eliſa Cæſaris Ferdinandi filia. 186

Digitized by Google

XI. Othonis Henrici Palat. Principis, *Cum* Dorothea Maria VVirtenbergica. 192
XII. Friderici IV. *Cum* Loyſa Juliana Uraniæ Principe. 196
XIII. Caroli Sueciæ Ducis, *Cum* Maria Ludovici Electoris filia. 220
XIV. Joannis Comitis Palatini Elector. Palat. Adminiſtratoris *Cum* Loyſa Friderici IV. Elect. Palat. filia 231
XV. Guilelmi Ducis Boiorum, *Cum* Renata Lotharingica. 238
XVI. Auguſti Ducis Saxoniæ Elect. *Cum* Agnete Hedvvige Pr. Anhaldina 243
XVII. Chriſtiani Ducis Saxoniæ Elect. *Cum* Sophia Marchioniſſa Brandenburgica. 250
XVIII. Alberti Marchionis Brandenburgici, *Cum* Anna Maria Brunſuicenſis Ducis filia. 259
XIX. Johannis Friderici II. Ducis Saxoniæ, *Cum* Agnetha Principis Heſſorum filia. 267
XX. Johannis VVilhelmi Ducis Saxoniæ, *Cum* Dorothea Palatina. 323
XXI. Johannis Erneſti Ducis Saxoniæ, *Cum* Chriſtina, VVilhelmi Haſſiæ Princip. filia. 351
XXII. Julii Brunſuicenſis Ducis, *Cum* Hedvviga Elect. Joachimi II. Brandenb. filia. 357
XXIII. Erici Ducis Brunſuicenſis, *Cum* Dorothea Duciſſa Calabriæ. 364
XXIV. Ludovici Ducis VVirtenbergicis, *Cum* Dorothea Badenſis. 388
XXV. VVilhelmi Landgravii Haſſiæ, *Cum* Sabina Duciſſa VVirtenbergica. 400
XXVI. Ludovici Landgravii Haſſiæ, &c. 405
XXVII. Mauritii Landgravii Haſſiæ, *Cum* Agnetha Solmeia, 405
XXVIII. VVilhelmi Haſſiæ Landgravii, *Cum* Æmilia Eliſabetha Comitiſſa Hanovica. 406
XXIX. Othonis Landgravii Haſſiæ, *Cum* Catharina Urſula Marchioniſſa Badenſi. 412
XXX. Johannis Junioris Comitiſſa Naſſau, *Cum* Magdalena Comitiſſa VValdeccenſi. 429
XXXI. Guilielmi D. de Roſenberg, *Cum* Sophia Princip. Joachimi Brandenburg. Elect. filia. 433
XXXII. Hennebergenſium. 449
XXXIII. Ludovici Comitis in Naſſau, VVeilb. & Sarbrug. &c. *Cum* Anna Maria Guilielmi Landgr. Haſſ. filia. 456
XXXIV. Philippi Ludovici Comitis Iſenburgici, *Cum* Eliſa Comitiſſa Rheni. [illegible]

Alber-

XXXV. Alberti Othonis Comitis Solmenſis, *Cum* Anna Landgrav. Haſſiæ. 466
XXXVI. VVolffgangi Henrici ab Yſenburg. *Cum* Maria Magdalena Heroina Naſſovica. 468
XXXVII. Joh. Philippi Comitis in Leiningen, *Cum* Eliſabetha Comitiſſa Hartenburg. 475
XXXVIII. Georgii Friderici Comitis in Hohenloe, *Cum* Dorothea Rutena à Plauen. 477
XXXIX. Johannis VVilhelmi Comitis VVidenſis, *Cum* Magdalena Hardeccia. 479
XL. Chriſtophori Comitis in VVeſterburg, *Cum* VValpurga Comitiſſa VVedana. 483
XLI. Othonis Comitis Solmenſis, *Cum* Urſula Comitiſſa à Gleichen. 487
XLII. Herculis Ducis Ferrarienſis, *Cum* Lucretia Borgia. 492
XLIII. Lucretii Comitis Cancriſeri, *Cum* Thadea Vermigena. 501
XLIV. Franciſci Medicis, *Cum* Jo. Auſtria. 502
XLV. Sfortiæ Ducis, *Cum* Iſabella Aragonia 517
XLVI. Guilielmi Principis Montisfer. *Cum* Anna Montisferrat. 527
XLVII. J. Momorantii. *Cum* Diana Herrici Regis filia. 545
XLVIII. Philippi Lalænii Comitis, *Cum* Margaretha Arrenbergica. 547
XLIX. Nicolai Marini, *Cum* Aloiſa Mendoza. 577
L. Friderici Comitis VVirtenbergici, *Cum* Sibylla Anhaldina. 581
LI. Caroli à Zerotin. 584
LII. Johannis Alfonſi Herricii Neapolit. Equitis. 588
LIII. Alberti à Scaghen. *Cum* Theodora à Duvenvord. 602
De conjugio ſacerdotum. 606

INDEX AVTHORVM.

A. F. Mellemannus.
Adam Siberius.
Anonius Palearius.
A. V.
Caſparus Bucherus.
Chriſtianus Egenolphius.
Daniel Angelocrator.
Dominicus Baudius.
Fridericus Lingelshemius.
Fridericus Taubmannus.
Gabriel Altilius.
Georgius Buchananus.
Georgius Fabricius.
Georgius Sabinus.
Gregorius Berſamus.
Hadrianus Junius.
Hadrianus Danimanis.
Henricus Plitershagius
Henricus Petræus.
Henricus Porſius.
Hermannus Kirchnerus.
Hieronymus Borgia.
H. Rodſcheid.
J. A.
Jacobus Jacomotius.
Jacobus Vincelius.
Janus Chunradus Rumelius.
Janus Gruterus.
Janus Henricus Schröterus.
Joachimus Axonius.
Joachimus Bellajus.
Joachimus à VVisbach.
Joannes Angelus.
Joannes Auratus.
Johannes Aurelius.
Johannes Himelius.
Johannes Major.
Johannes Poſthius.
I. R. L. T.
Johannes Schoſſerus.
Johannes Stigelius.
Johannes Theophilus.
Julius Guilielmus Zingrefius.
Juſtus Vultejus.
Ludovicus Arioſtus.
Marquardus Freherus.
M. Jacobus Furmanus.
Matthias Martinius.
M. M. Scheffer.
Mauritius Brand.
Michael Haslobius.
Michael Hoſpitalis.
Nicodemus Friſchlinus.
Nicolaus Heinſius.
Nicolaus Reuſnerus.
Paulus Cerratus.
P. Coſtalius.
Paulus Melyſſus.
Petrus Angelius.
Petrus Lotichius.
Philippus Melanthon.
Salomon Macrinus.
Sebaſtianus Artomedes.
Stephanus Forcatulus.
Theod. Beza V.
Titus Stroza.
Vincentius Obſopæus.
VVernerus Gigas.

EPI-

EPITHALAMION I.

REGIS COELESTIS, PULCHERRIMI SPONSORUM, DOMINI, ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI,

ET

SPONSÆ EIUS ECCLESIÆ, DECANTATUM A' S. SANCTO, IN PSAL. XLV. ET

Carmine redditum,

A

GEORGIO BUCHANANO SCOTO.

C*Or micat; exſultant trepidis præcordia fibris,*
Eructantq́; novum gravido de pectore carmen,
Certat lingua animum fando; manus æmula linguam
Scribendo exæquare, meô Nova Carmina Regi
Dum cano, Regi hominum cui nemo è ſanguine cretus

Audeat eximiæ contendere munere formæ:
Quem decorat lepor & roſeis affuſa labellis
Gratia: cui rerum cœli indulgentia ſpondet
Huncfore perpetuum longæva in ſecla tenorem.
Ergo armis invicte heros age, fortibus apta
Enſem humeris, enſem per quem te gloria cœlo
Æquat: & adverſum fidens per pectus in hoſtem,
Fræna tibi currus Verum moderetur, & æquum,
Et quæ præcipitem Clementia temperat iram.
His ducibus tibi ſurget honos; tua dextera factis
Clara per ignotas fundet miracula terras:
Cordaq; vulnificis figens inimica ſagittis,
Sponte tibi coges validas procumbere gentes.
Nec maris aut terræ ſpacium, nec terminus ævi
Finiet imperium. ſceptri moderamine iuſti
Quod regis, & leges mollis clementer acerbas:
Te ſuper æquævos omnes Regnator Olympi
Diligit: & læto vultum exhilaravit olivo:
Vnde tui mulcent populi nova gaudia mentes,
Pallia quum loculis tibi depromuntur eburnis,
Et myrrhæ paſſim lacrymæ, ſtactæq; ſuavis
Habitus, & molles caſiæ funduntur odores.
Ancillæ apparent, genus alto è ſanguine Regum
Inter honoratas promptæ ad tua iuſſa miniſtras.
At Regina, thori conſors tibi dextera adhæret,
Auro picta ſinus, auro radiata capillos,
Miſit ab Eöis Ophyre quod flava caminis.
Tuq; adeò Regina audi & rem pectore conde,
Nec mea dicta nega placidas demittere in aures:
Iam nunc & patriam, & patrem obliuiſcere, iam nunc

Ex

Ex animo caros penitus depone propinquos:
Vnum oculis ſpecta, unum animo complectere Regem,
Regem oculis animoq; tuo qui pendet ab ore,
Vnius, & pulchris defixus vultibus hæret.
Hunc Dominum agnoſce, & ſupplex venerare: nec ille
Officio, ſtudioq; tibi concedet, & illa
Vndarum Regina Tyrus te murice, & auro
Accumulans colet. & vicina per oppida latè
Procumbent tibi ſuppliciter gaziſq; potentes,
Aut opibus clari: meritumq; feretis honorem
Hunc populi. Pharii proles generoſa tyranni
Tota decens, tota eſt gemmiſq; inſignis, & auro:
Et facies cultum illuſtrat, facieq; decora
Pulcrior eſt animus. Tibi Rex, en ducitur uxor
Dives opum, dives pictai veſtis & auri,
Virginibus comitata ſuis: de ſtirpe propinqua
Virginibus, quas pompa frequens clamore ſecundo
Inſequitur, plauſuq; fremens lætaq; choreæ
Cantibus auguſtam lætas deducet ad aulam.
Neu deſiderio nimium tangare tuorum
Virgo: tibi dulcem patriſq;, & matris amorem
Leniet adnaſcens Sobolis generoſa propago,
Quos regere imperio terras, totumq; per orbem
Aſpicies populos ſceptris frenare ſuperbos.
Nec tu carminibus Regina tacebere noſtris
Quaq; patet tellus liquido circumſona ponto;
Poſteritas te ſera canet: dumq; aurea volvet
Aſtra polus; memori ſemper celebrabere famà:

IDEM EPITHALAMIUM, EODEM CARMINIS GENERE redditum;

A GEORGIO BERSMANNO ANNEBERGENSE.

FErt animus, gravido eructatum pectore carmen
In laudes, thalamumq; mei deducere Regis,
Tu linguæ mihi plectra move, quæ nuncia mentis
Expediat voces, calamo ceu ſcriba citato,
Præveniente manu currentia verba ſecutus.
In Regis thalamum poſcuntur carmina, cui nec
Mortali de ſtirpe parem Sol frontis honore
Aſpiciat, vultus nec maieſtate ſereni:
In cuius ſedem poſuit Suadela labellis,
Et conſanguineus Charitum lepor: omnia fauſta,
Omnia læta favor cui cœli ſpondet in ævum.
Quin te, quin igitur forti latus enſe revinctum
Oſtenta populis, Heros fortiſſime prodi,
Ore ferens præ te divini ſigna decoris:
Prodi agedum, inſignis ſpecie, & ſplendore coruſcus,
Imperij, dum ſors favet, aggreſſurus honores.
Verbum auriga tui currus moderetur habenas,
Quem volucri raptum, per rura, per oppida curſu,
Quadrupedes iunctæq; trahant, Aſtræa, Fideſq;,
Et quæ Cœlicolûm Clementia temperat iras.

Digitized by Google

His tua te virtus ducibus, tua dextera cœlo
Æquabit, factis implens immanibus orbem.
Haud illi hamatis armatæ impune ſagittis
Obvia corda feret quiſq; : cadet hoſtica Regis
Turba, ſuoq; frequens conſternet corpore terram.
Sic ſolii inconcuſſa tui, nec legibus ævi,
Nec poſitis rerum metris incluſa poteſtas.
Sic ſceptri durabit honos, rectiq; tenore
Nixus, & æquali perſtans moderamine iuris.
Iuſtitiæ quia nam cultor, quia iuris iniqui es
Hoſtis atrox, facinusq; doli, fraudumq; peroſus.
Hinc te conſpicuum conſortes inter honore
Dignatumq; ſuo, Deus inſignemq; favore,
Lætifico tuus ille Deus perfudit olivo.
Quo permulſa domus geniali riſit odore,
Quem myrrha paſcit redolens, caſiaq;, aloeq;,
Inceditq; croco radians, & murice veſtis:
Inter gratantûm plauſus, animisq; faventûm,
Egreſſum thalamo qui limine prodit eburni.
Servitiis accincta manus, ſtant ordine longo
Progenies regum famulæ cultuq; decoræ,
Et verrente ſolum ſpatioſo ſyrmate palla.
Quas inter ſocii conſors Regina cubilis,
Aſſiſtens dextræ, verſat ſub crinibus aurum,
Auro innexa ſinus, auro circumdata collum,
Auro quod largis Ophire dat prodiga venis.
At tu, virgo, aures, memoremq; advortito mentem,
Teq; tuo dedens Regi dediſce paternam
(Sic fas eſt) cum gente domum, obliviſcere fratres,
Et conſanguineam, conſortia pectora, prolem:

Hîc domus, hîc patria eſt, pietas & cura tuorum
In te defixo concedat Regis amori,
Vnius qui Vultum oculis animoq; requirit,
Vulnus alens venis, cæcumq; ſub oſſibus ignem.
Non huic officio cultus certaſſe priorem
Pœniteat te, virgo: tuum quin nupta maritum,
Quin Dominum venerare, precum nón ſegnis honore.
Sic tibi nata Tyro, magno ceu quæq; paratu
Dives opum; ſic dona feret tibi veſtis & auri:
Sic patriæ conſors te plebs colet, extera tanget
Turba tuos ſummiſſa pedes, cum munere largo.
At domus interior regali ſplendida luxu,
Te Regem ſata ſtirpe capit, pariturаq; Reges:
Quam duplex decorat gemmis, auroq; corona,
Et palla, & croceo pictum velamen acantho.
Vnde auro Regina gerens baccisq; rigentem,
Et picturatam Phrygio ſubtegmine pallam,
Ducitur ad Regem, Comitum ſtipante Caterva,
Virgineo comitante choro, deducitur uxor;
Sanguine quam iunctæ circumglomerantur euntem,
Lætitiæ ingeminans plauſus, & vota iuventus,
Et Regem clamore citans, ſponſumq; ſecundo:
Cui tacitam in thalamo pertentant gaudia mentem
Dum nuptam opperiens vix ſe capit omine læto.
Iam tu quos, nupta, heroas dabis, inclyta partu,
Armorumq; enixa duces, pacisq; magiſtros,
Terrarum Dominos, ſuper & Garamantas & Indos:
Qui deſiderium fallant tibi dulce parentum,
Maiorum nulli meritis & Marte ſecundi.
Hinc mihi materies, hinc carminis argumentum

Naſcetur, ſurgetq; novi: nec nominis ulla
Immemorem me, virgo, tui poſt arguet ætas.
Me dictante: tuos olim memorabit amores
Poſteritas, dum ſeclorum proceſſerit Ordo

IDEM ADHUC EPITHALAMION, TERTIO, UT δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, SED alio metri genere redditum.

A

CHRISTIANO EGENOLPHO FRANCOF. P. L.

ERuctat ardor pectoris intimi,
Dictura Regem Carmina pectori
Lingua æmulam ſe exſpertat: urget
Dextra agilis calamum notatrix.
Salve propago digna Patre inclyto,
Cui nemo certet, quâ faciem decor
Vernans honeſtat, quâ renident
Eloquio labia erudita.
Æternat his te patria laudibus
Cura. Eia firmes fac gladio femur
Virile, qui latè corruſcus
Nobilitet Dominum pavendum.
Vive, atq; regna maxime Principum,
Gemmatus axes & preme eburneos,
Clementia, Æquum Veritasq;
Quos agitent præeunte verbo.

O natam in uſus mirificos manum!
Vt corda telis acriter hoſtica
Figet cruentis! ut ducesq́;
Interimet ſtolidumq́; vulgus!
Acceptat ævi te ſolium integrum
Sceptri potentem, quo viget æquitas,
Vis exſulat, candore pallet
Nequitiæ dominante fraudi.
Te Rex olivo lætifico imbuit
Divûm ille Divus, qui Pater eſt tibi
Natura, ut æquales ſalutent
Te Dominumq́;, Deumq́; fratres.
Ut arce prodis ſplendidus è tua
Templisq́; eburnis, nobilior grege
Læta accinentûm! olês ut omni
Myrrham, aloën, caſiamq́; veſte!
Vides ut aſtent Regibus editæ
Cultu puellæ regifico, tuis
Gemmis, tuoq́; auro coruſcæ
Nobiliore opibus patritis.
Hinc ducta virgo, virgo tui decor
Cordis, maritæ proxima dexteræ
Auro viget, quod larga fecit
Fuſile Eoo Ophire camino.
Ecquid puella reſpicis? Hoc age;
Dediſce cives, & patriam domum;
Hic te ardet, hunc ſpectes oportet,
Ac venerêre genu remiſſo.
Oſtri illa dives ſanguinei Tyrus
Conchilia auri proferet æmula,

Et ſup-

Et ſupplices donis ſtudebunt
Te proceres ſibi demereri.
O digna virgo traduce regio,
Gemmisq́ue, & auro nobilis integro!
At mentis auguſto decore,
Nobilior ſolidaq́ue laude!
En qualis uxor, Rex, tibi ducitur!
Pictæq́ue veſtis dives, & ingenî!
Felix! ut hanc latè ſequendo
Virgineæ comites coronant!
Creſcunt beatis gaudia mentibus,
Subſultat omne plauſibus atrium:
Nunc paſſim ovatur: coniuge auctum
Regia nunc Dominum ſalutat.
Transfer (quid horres?) omine cum bono
Puella, limen lacteolos pedes,
Sponſo inclyto mutans parentes,
Nec ſteriles aditura lectos:
Mater futura principibus viris,
Qui ſint carendis iuſta parentibus
Uſura, terræ omni legendi
Egregii cupidæ dynaſtæ.
Salvete io par nobile coniugum,
Tu ſponſe, tuq́ue ô virginei decor,
Cætus puellæ, æterna veſtras
Fama viget, ſonitura laudes.
Nec me pigebit teſtem animi lyram
Iſtamq́ue veſtris tradere honoribus
Linguam: nec ipſos, quantà retrò eſt,
Candida poſteritas ſilebit.

EPIGRAMMA PHILIP. MELANCHTONIS.

PEctus ut in ſponſo flammarum incendia ſentit,
Qui vero ſponſæ flagrat amore ſuæ:
Naturam ſociam vero ſic diligit igne
Filius æterno de Genitore ſatus.
Induit humano quam fœdere, quo ſibi noſtrum
Fraterno pariter iunxit amore genus.
Iura tori, Deus exemplum cum fœderis huius
Eſſe velit, caſtè præcipit illa coli.

EPITHALAMION OMNIUM PIORUM CONIUGUM, A S. SANCTO cantatum Pſal. CXXVIII. & verſibus heroicis comprehenſum

A

SEBAST. ARTOMEDE FR.

O Quantum reliquis felicior omnibus ille eſt,
Qui pius, & Domini primis ſtudioſus ab annis
Non erroris iter dubium, non fœda malorum
Auſa hominum ſequitur, ſed legum tramite recto
Quâ vocat omnipotens rerum ſator, ambulat: ô ter
Ter quater, & quoties non eſt numerare, beatum!
Nam tibi præſcripta labor in ſtatione fidelis
Remq́ue laremq́ue feret, nec te fruſtrabitur unquam.
Fida tori conſors multa te prole parentem

Efficiet, pulcrasq́ imitabitur æmula vites,
Ridentes picto circum latera omnia fructu.
Quæ verò in menſa pariet tibi garrulus hæres
Gaudia, cum lætæ vernans certabit olivæ?
Aſpicies, tacitasq́ ſedens mirabere Regni
Vimq́ decusq́ tui. Sic ſic felicibus ornat
Auſpiciis pia facta Deus: ſic te ille verendo
Spectatum ſenio, fortunataq́ nepotum
Florentem ſerie. dilectæ ex arce Sionis
Ditabit, civemq́ ſua dignabitur urbe,
Civibus urbs. cives gaudebunt urbe potentes,
Æternumq́ colet ſanctos pax aurea muros.

IDEM PSAL. ALITER AD MELODIAM ET RHITHMOS LOBWASſeri carmine redditus

A

MATTH. MARTINIO.

DEI timens potentis,
Dei ſequens iter,
Beatitate mentis,
Ovabit ampliter.
Manus tuæ labore,
Alêre largiter,
Vitæ bono tenore
Fruêre ſoſpiter.
Ut fructuoſa vitis
Cinget domum tuam
In more coſta mitis,
Servans fidem ſuam.

Menſa tua ſedebunt,
Proles tenellulæ,
Quæ dulciter virebunt
Suaves olivulæ.
Sic ecce proſperatur
Homo timens Deum:
Verax is ipſe fatur
Curabo te meum.
Donat Deus Sionis
Ex arce te bonis,
Dum vivis uſq; donis
Et gratiæ ſonis.
Hæc dona gratioſa,
Et poſteri ferent,
Et pace de lucroſa
Sertum pii gerent.

BALDUINI BERLI-GOMII SILVÆ-DUCENSIS ENCOMIUM STRENUÆ MULIERIS EX PROVERB. SALOmonis, Cap. 31.

D*Ic mihi, Muſa, virum, cui fœmina ſtrenua, conſors*
Obtinget thalami, coniugiiq; comes!
Felix ille: equidem flammans absq; igne Pyropus,
Prima vel Eoas Margaris inter opes,

Gemmi-

Gemmifer aut quidquid pretioſi gignit Hydaſpes,
Quidquid & aurifluis impiger Hermus aquis;
Egregiæ bona Matronæ, veroſq; probatæ
Coniugis ornatus num pretio æquiparent?
An non illa ſui cor, mens animusq; Mariti,
Credere cui tutò ſeque, ſuosq; poteſt?
Quâ duce, quâ tutrice bonis domus omnis abundat,
Victor ut eximiis miles ovans ſpoliis.
Quæ ſocio aſſiduè, fidoq; iuvamine præſtò eſt,
Et niſi grata viro, nil niſi amica facit.
Jam lanam tractans, iam linum induſtria, quodvis
Sedulò multiplicis conficit artis opus.
Non, quam longinquum miſit mercator ad orbem
Tot remeans merces portat onuſta ratis:
Quot totam ille bonis replet, ceu mercibus, ædem,
Et conquiſitis extero ab orbe cibis.
Illa laboriferum phœbeæ lampadis ortum
Prævenit atq; toro membra refecta levat:
Et vel maturè domui dimenſa procurat:
Munera vel famulis penſaq; diſtribuit.
Vicinum illa ſuo prudens notat, atq; notatum
Comparat, & proprio palmite veſtit, agrum.
Illa ſibi lumbos cingit, firmatq; lacertos,
Nunc opus ipſa urgens, nunc opus ipſa iuvans.
Iamq; ſuo noſcens fructum conſtare labori,
Multa operi ad lychnos nocte frequenter adeſt.
Penſa colo educit, fuſo cita ſtamina verſat:
Neutraq; nec ſtudio, nec vacat arte manus.
Hinc & munificè manus illius utraq; egenis
Subvenit, atq; opibus queîs opus ultrò iuvat.

Con-

Conſciaq́; ipſa ſibi recti, neq; triſtia brumæ
Frigora, nec nivibus tempora fœta timet:
Non ſibi non domui: nam duplex penula munit;
Provida quos talis cura ſecundat Heræ.
Illa Cadurca ſibi varia apparat arte, ſtolasq́;
Vel rutilas Cocco, vel niveas Xylino.
Eius & ipſe mage hâc celebris ratione maritus
Prima inter proceres munia clarus obit.
Illaq́;, cui ſtudium nunquam & ſolertia ceſſant,
Aut patria Aſſyriis carbaſa ſindonibus;
Aut flavente parat fulgentia cingula byſſo,
Vendita quæ certum ſint habitura lucrum.
Membra decore, animum virtutis robore veſtit;
Inſtabilis ridens facta minasq́; Deæ.
Os ſapiente fluit ſermone, modeſtia linguam,
Manſuetusq́; animus temperat, & ratio.
Totius ipſa domus res atq́; negotia luſtrat,
Haud otî guſtans deſidiæq́; cibum.
Talis ea: & tali aſſurgentes iure parenti,
Felicem nati pectore & ore ſonant.
Ipſeq́; ei vir gratatur (nihil abnuo, plures
Anteà ait) ſeſe ſtrenuè in officio
Tractarunt Matronæ: at tu virtutibus omnes
Et veris alias dotibus ante venis.
Gratia dos equidem fallax, formæq́; venuſtas
Vix vani decoris paulum, & inanis habet.
Fœmina porrò cui Iovæ reverentia cordi eſt,
Grande ſibi & ſolidum comparat ipſa decus.
Illa ſuæ proventu operæ cum laude fruatur,
Publico & è factis clareat eulogio.

ALIA

ALIA PARAPHRASIS EX CAP. XXXI. PROV. SALOM.

Ideam cordatæ matris-familiâs repræſentans.

AUTHORE FRIDERICO TAUBMANNO.

Sardonichas, Smaragdos, Adamantas, Iäſpidas ad (nos
Portat ab extremis inſtitor Indus aquis.
Si pro tot gemmis mulier cordata daretur,
Munera non poſſent huic potiora dari.
Sardonichas, Smaragdos, Adamantas, Iäſpidas omneis
Hæc mulier pretii vincit honore ſui.
Felix, in cuius thalamos denupſerit uxor
Fœmina, tam raro mentis honeſta bono!
Tranſigit illa domi privata negotia rerum,
Ne qua foris iaceat publica cura viri.
Æſtuat hæc licito ſolius amore mariti;
Huic uſus nunquam deſit ei eſus opum,
Fœmineas aſſueta colus, operasq́; Minervæ
Exſequitur partes ambitioſa ſuas.
Vt penetrat terras alieno Sole calentes
Inſtitor & merces advehit inde novas:
Sic prius aggeſtas omni ratione laborat
Vxor opes opibus amplificare novis.

Digitized by Google

Exigit è ſtratis ſub prima crepuſcula corpus,
Inq; ſuas operas agminà ſerva cibat.
Nunc ſibi vinetum, ſibi nunc mercatur agellum:
Nunc ſibi delectum gnaviter urget opus.
Quærere ſemper amat, ſemper quæſita tueri,
Perdere quid, magnum credit habere nefas,
Non tamen ad gemitus obturat pauperis aureis:
Quod datur in miſeros, plenius auget opes.
Et prolem, & famulos maturo inducit amictu,
Ac domat hybernas duplice veſte nives.
Ipſa ſibi concinnat acu Nilotide veſtem,
Ornat & aulæo verſicolore domum.
Fœnerat hâc illuſtre decus virtute marito,
Coniugis hic coniux ſplendet honore ſuæ.
Hunc proceres laudant prudensq; corona ſenatus:
Et talem quivis vellet habere ſuam.
Nec veſtes pro ſe tantum facit illa: ſed vt rem
Augeat, has aliis diſtrahit ære foràs:
Munditiâ ſua vult, & ſedulitate probare,
Vt fructus harum cana ſenecta metat.
Temperie morum tranquilla, & voce decora eſt:
Docta pias leges ipſa, ſuosq; docet.
Ipſa miniſterii diſponit quosq; labores:
Immerito nunquam veſcitur illa cibo.
Hanc vir, hanc proles quoq; maſcula laudat: opesq;
Augent filiolæ, plus tamen ipſa ſuas.
Blandus amor nihil eſt, & pulchræ gratia formæ,
Hæc mulier bella eſt, quæ ſcit amare Deum.

IDEM

ENCOMION PIÆ, ET INDUSTRIÆ MATRIS-FAMILIAS, EX PROV. XXXI. alio Carminum genere redditum

A

JO. JACOMOTIO.

Felix, cui placido Numine contigit
Conſortem thalami ducere fœminam;
Certo cuius amat fœdere caſtitas
Servare incolumem coniugii fidem.
Et quam ſollicitis cura laboribus
Exercere ſolet ſtrenua providam:
Et quæ fida virum, fida domum iuvat,
Diſpenſare ſagax res ſibi creditas.
Quid tali melius? quid precioſius,
Quiſq; prætulerit coniuge, quæ decus
Gemmarum ſuperat clarior, atq; opes
Immenſas Arabum, & divitis Indiæ?
Huius nectareis fidit amoribus
Vir, certo & placidam pectore diligit,
Moroſiſq; procul ſuſpicionibus
Concordes thalamos, nil metuens, colit.
Quantis illa domum divitiis replet
Ignavæ fugiens tædia inertiæ?
Non plures tumidis hoſtibus inclyto
Victis Marte Duces exuvias ferunt.

Hæc dulci ſatagit quæ placeant viro,
Juſſiſq; obſequitur legitimis lubens,
Solers, cuncta fugit noxia quæ putat,
Et quærit vigili commoda pectore.
Lanas usq́; domum, linaq́; convehit,
Exercetq́; colos, filaq́; dividens
Pannos docta manu texere conficit,
Telarumq́; parat ſedula copiam.
Non quæ littus arat ſæpius exterum
Et fluctus volitat per maris hoſpiti,
Navis plura refert commoda nauitis,
Multo farre gravis merceq; barbara.
Somnos illa oculis excutiens prius
Surgit, purpureum quàm iubar exerat
Aurora: & nitidis aurea ſiderum
Collucere polis agmina deſinant.
Proviſumq́; ſuis temporibus penu
Prudens diſtribuit: penſaq́; protinus
Partitur famulis iuſta fidelibus,
Juſſumq́; urget opus, nec patitur moras.
Agros cauta notat, queis ſoboleſcere
Frugum ſemper amat fertilior ſeges:
Venaleſq́; ſibi divite comparat
Auro, continuus quod peperit labor.
Fœcundaſq́; ſimul collibus erigit
Vites pampineis: & gravidas premens
Vvas vina liquat ſuave rubentia,
Sincerisq́; ſolet condere in amphoris,
Damnoſam refugit deſidiem impigra,
Ignavamq́; procul pellit inertiam,

Nec

Nec languere ſui robora brachii
Probroſo patitur mollior otio.
Atq; experta domum quàm faciles labor
Importet reditus, & fuga inertiæ;
Accendi tacita nocte iubet faces,
Et cœptum peragit cum famulis opus.
Illi nulla quies: fœmineas magè
Tunc fervente manu prima colos capit,
Et torquet digitis usq; micantibus
Fuſos: & tenui ſtamine contegit.
Si quos eſuries pallida torqueat,
Illis prompta cibum porrigit: indigos
Palantesq; iuvat, dulcibus & fovet
Tectis, & miſeram pauperiem levat.
Non illam gelidis temporibus nives
Terrent horrificæ, nec violentia
Brumæ terribilis, vel rigidum gelu,
Vel flatu Boreas Sarmaticus truci:
Illi nam duplici conſuta pallia
Panno, & craſſa domum penula contegit:
Illi perpetuis ignibus atria
Propellunt hyemes lucida frigidas.
Illi puniceo purpura murice
Ardet tincta: micat veſtibus illitum
Aurum coccineis, atq; tapetibus
Claros nobilibus condecorat toros.
Illi inter proceres conſpicuos ſedet
Coniux purpurea ſplendidior togâ:
Cum lites removent Abramidum, & ſimul
Portis turba frequens convenit urbium.

Quantas perpetuis cogit opes lucris,
Quum telas Tyriis ſindonibus pares,
Et quæ pinxit acu mollia nobili,
Divendit pretiis carbaſa grandibus.
Hinc mentem trepidis intrepidam gerit
Rebus: non dubij temporis exitum,
Caſusve ancipites, aut pavet anxia
Quæ ventura dies durior apparat:
Illi verba fluunt pectore candido,
Semper mellifluis picta leporibus:
Et puram loquitur quæ ſapientiam
Spirent, quæq; nitens gratia temperet.
Ædes manè vigil ſollicitis vigil
Luſtrat luminibus, ſingula diſpicit,
Ut ſe quiſq; gerat, ſordibus & procul
Ut cunctis niteat munda domus, cavet.
Nunquam ceſſat iners: pane laboribus
Quæſito variis veſcitur impigra.
Prudens nil ſterili pigritia putat
Peius, nil ve gulâ deſide turpius.
Talem magnificis certat honoribus
Matrem progenies ſplendida tollere:
Et dignum meritis cogitat illius
Tantis obſequium reddere protinus.
Talem vir placido pectore diligit
Conſortem thalami: moribus & colit
Inſignem placidis: ornet & illius
Virtutes variis laudibus inclytas.
Inter fœmineos fulgidior micat
Cœtus, queîs pietas ſanctaq; caſtitas,

Queis ſervata ſuis coniugibus fides,
Et queis grata domus cura placet ſua.
Vultus conſpicui forma brevis perit,
Siccis rara genis gratia defluit:
Cuncto clara viget tempore fœmina
Quæ puro Superum corde timet Patrem.
Talem fama vehat lucida & urbium
Magnis egregiam cætibus indicet,
Ut virtus meritis nobilibus nitens
Laudem, & digna ferat præmia gloriæ.

EPIPHONEMA.

Dulcius haud quicquam pulcro reperitur in orbe
Fœmineo (Felix tutò hoc qui gaudet) Amore.

A. V.

Dulcius egregiâ vaſto quid in orbe puella eſt?
Si ſit & illa ſuo blanda levisq; viro.
Hæc facit ut mediis ſubeant oblivia curis,
Quælibet hæc dulci pondera voce levat.
Diluit hæc pulchro curarum nubila vultu,
Diſcutit & facie cuncta moleſta ſua.

J. VULT.

DE CONCORDIA, ET DISCORDIA CONJUGIALI

SALMONII MACRINI.

VIncljs amoris connubialibus
Vxor marito iuncta fideliter

Cui rebus in cunctis voluntas
Vſq; eadem eſt, animuſq; concors.
Mallet cruenta quæ nece millies
Interfici, quàm legitimam ſtola
Fœdare matronalis ulla
Labe tori vetiti pudorem.
Si vita Divûm munere longior
Ampla, & domi res ſuppetat affatim,
Dulceſq; riſus liberorum
Obſtrepitent patrias ad aures:
Quot præbet ipſi gaudia compari?
Quanta hinc voluptas naſcitur, & quies?
Quam molle curarum levamen
Si qua minus cecidêre læta?
Sic vixit olim, Dardana quam prius
Ad bella lævâ pergeret alite
Vxore ter felix amandâ
Phyllacides, thalamoq; caſto.
Regi Pheræo dedita ſic fuit
Alceſtis uxor, morte vicariâ
Vt fata frigentis levarit,
Proq; mori tulerit marito.
Et nupta Caris ſplendida Satrapæ
Famâ celebri tempus ad hoc viget,
Quæ dite conſtruxit ſepulchrum,
Ore viri cineres & hauſit.
At ſi moleſto diſſidio domus
Tumultuetur, pravaq; iurgiis
Matrona clamoſis fremiſcat,
Iura tori neq; ſancta curet:

Verſatur illic Cerbereus furor,
Diſcordia horrens cyclade ſciſſili.
Bacchatur, incinctæq; diris
Eumenides dominantur hydris.
Teſtis Thyeſtes, & Pelopis nurus
Inceſta, Lemni & fœmineum nefas,
Abſorptus ad Thebasq; merſis
Amphiaraus humo quadrigis.
Quid notius quàm trux quæ in Iäſona
Medea geſſit, munera flammeis
Imbuta cum miſit venenis,
Divitias Ephyresq; vertit?
Incendio Rex interiit Creon,
Ambuſtus ille coniuge cum nova;
Dextraq; crudeli parentis
Innocui periêre nati, &c.

Sunt tria Cara Deo: Concors vicinia, fratrum
Certa fides, Cari mutua cura tori.

J. VULT.

IN LAUDEM CONIUGII
J. O. SCHOSSERI
CARMEN.

UT matura ſuos commendant pondera ramos,
Quæ gerit effuſis arbor opaca comis:

Haud ſecus eſt decori ſoboles generoſa maritis,
Mutuus amborum quam generavit amor.
E regione, quibus prolis non ulla creandæ
Cura, quibus duro frigore corda rigent:
Hos ſimiles nullis fœcundo floribus horto,
Et ſimiles truncis ſtipitibusq; reor.
Triſtis ager, nullas qui mittit in aëra fruges,
Triſtis homo, ſobolem quem generare pudet.
Ipſe parens rerum, quem ſidera cuncta tremiſcunt,
Pectora legitimo juſſit amore frui.
Æternumq; probat caſtas in pectore flammas,
Quas regit, & ſancti flaminis igne fovet.
Et velut humanum ſincero diligit aſtu,
Nec ſinit adverſa ſorte perire genus:
Sic quoq; ſcintillas puri mortalibus ignis
Indidit, ut paſſim mutuus extet amor.
Quin etiam lecti ſuaviſſima fœdera ſanxit,
Quæ voluit certâ relligione coli:
Ut duo concordi gauderent corpora nexu,
Corpora perpetua conſociata fide.
Scilicet hæc vitæ ratio pietatis alumnos
Sufficit, ac vero pignora grata Deo.
Cum ſine coniugiis priventur honoribus aræ,
Et queat humanum non ſupereſſe genus.
Adde quod has extra leges, moremq; iugalem
Exaudit prona non Deus aure preces.
Res pia coniugium, cœli ſed nubibus infert,
Et canit autori carmina læta ſuo.
Immo virtutes aliæ ſine honore iacebunt,
A quibus abſuerit connubialis amor.

EPI-

EPIGRAMMA EJUSDEM ARGUMENTI E GRÆCO VERSU

A

GREG. BERSMANNO.

NObile Virginitas donum eſt: fœtura ſed orbem
Ni ſupplet, vita cœlibe vita perit.
Ergo nequitiam fugiens, tibi delige nuptam,
Vt mundo poſſis reddere prole vicem.

ALIUD BREVIUS EJUSDEM ARGUMENTI

HENRICI PORSII FRIDB.

O Dulce imperium, ô vel dulci nectare vita
Dulcior, ô felix ambroſiaq́ꝫ magis:
Vnus ubi in geminis eſt ſpiritus, una voluntas,
Mens una & ſtudium, vox regit una duos.
Non mas uxori contrarius, illa mariti
Propenſa ad nutum ſe faciliſq́ꝫ parat.
Jam tum nil præter: Meus ô tu, tu mihi ſolus
Præſidium, & vitæ es portus & aura meæ:
Et: mea tu: tu ſola places, tu ſola voluptas,
Te ſine nil carum, nil mihi dulce puto.
O thalamum longis dignum vel Neſtoris annis!
Sævior hunc quatiet nulla procella torum.

Digitized by Google

DE MONASTERIO INCLUSIS.

Filius ex alto grandævum ponte parentem
In rapidas quondam præcipitabat aquas:
Sed nunc in miſeros reiecta eſt alea natos,
Et patrias nôrunt in ſua fata manus,
Anne quod invitos in clauſtra immania natos
Sub rigida impellunt Relligione patres?
Subq́; feris cogunt traducere legibus ævum,
Et quaſi priſtini volvere pondus iners?

P. Costalii.

ALIUD EJUSDEM ADHUC ARGUMENTI

In Miſogamos.

Miſerarum eſt neq; amori dare ludum,
Neq; pulchro iuveni nubere velle,
Liciti fœdus honeſtum thalami deſpiciendo.
Id agunt namq́; puellæ moniales,
Gelidis quæ latitant ſemper in antris,
Reliquorum fugientes hominum (ſcilicet) uſum.
Sua triſti macie corpora vexant,
Tetrico conſpiciunt omnia vultu,
Ita credunt ſua cœli Domino facta probari.
Sed aberrant male, nec tramite recto
Gradiuntur nitidi ad limen Olympi,
Ita verò properant ad ſtygii funera ponti.

Ideò laudibus hanc prædico vitam,
Et eam voce levabo ſuper aſtra,
Sacra myſteria quæ coniugii non reprobavit.
Quot habent optima ſolatia vitæ,
Quot habent, pro Superos! utilitates
Thalami vincula quotquot ſubeunt pectore mundo!
Deus eſt ordinis huius pius autor,
Deus à turbine, dirisq; procellis
Quibus hæc copula non diſplicuit, liberat omnes.
Vaga vitatur, & obſcæna voluptas,
Veneris ſubdolus haud officit arcus,
Hominum deniq; conſortia ſic multiplicantur.
Soboles naſcitur ut vitis abundans,
Nec inops ducitur aut ægra ſenectus,
Ita donat Deus hos, coniugium qui venerantur.

J. R. L. T.

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTI VINC. OPSOPOEI.

SI tibi iuncta toro fuerit dilecta iugali,
Hæc erit una ſatis dulce ſodalitium.
Quos potes uxori fidos præferre ſodales?
Quos illi fratres præpoſuiſſe velis?
Fidior eſt ſociis, & fratre fidelior uxor,
Et matris vincit candida nupta fidem.
Rara fides ſociis: ſemper fidiſſima coniux,
Cuius in audebis fundere quæq; ſinum.

Solli-

Sollicitis tecum conſumitur anxia curis,
Suſtinet hæc totam ſedulitate domum.
Illa tibi paribus curis reſpondet; & æquat
Illa tui flammas cordis amore pari.
Hæc ſtudioſa tibi ſervit Dominoq́ue, viroq́ue,
Te colit, atq́ue fovet pectore, mente, ſinu.
Exhilarat triſtem, preſſum levat illa dolore,
Semper in æquali parte laboris adeſt.
Delectat caſto Veneris te munere, crebro
Prole nova lætum te facit eſſe patrem.

JO. MAIOR.

UT triſtis ſine ſole dies, ſine ſidere nox eſt,
Sic ſine prole domus, ſic eſt ſine compare lectus.

ALIUD.

COniux caſta viro requies, & ſera voluptas,
Coniux virtutum nobile caſta penu.
Illa domus columen, fax illa ſerena cubilis:
Solamen curæ, lætitiæq́ue decus.

N. Reusn.

IN LAUDEM CONJUGII.

Greg. Bersmanni.

QVi init pudica lectuli
Conuubialis limina.

Amo-

Amoris atq; innoxii
Honeſta carpit gaudia.
Hic cultus eſt placens Deo,
Deiq; legi congruens,
Dignusq; divini ſacra
Profeßione dogmatis.
Hæc ſervat orbem copula,
Hæc gignit aris præſules,
Hæc curiæ patres creat,
Armatq; leges iudice.
Hoc deſtituta munere
Non terra regnis præſides,
Non urbibus cives dare,
Agrisq; poſſit incolas.
Quid? quod perennis unicus
Satoris ille filius,
Hoc nactus eſt matrem ſatu
A ſtirpe Abrami virginem?
Quid plura? lecto concidet
Rerum creatrix cœlibe,
Quæ fœta per connubii
Propagat ævum ſemina.
Quodcunq; pennis aëra
Quodcunq; pinnis æquora
Genus pererrat, & vagis
Quodcunq; campis paſcitur;
Quod luſtra ſylvis educant,
Quod nupta tellus ætheri,
Suum ruentis in ſinum
Summitit auctu coniugis;

Suo creatum ſemine
In ſolis exit lumina,
Amoris & commercium,
Uſumq; prodit comparis.

O mira matrimonii
Vis, quod duûm inſolubili
Vnum facit ligamine,
Vnumq; rurſus duplicat.

Hoc duplicatos Cecropis
Artus bimembris inſtruit,
Aliûs hoc & ut manus
Et pes ſit alter efficit.

Hoc diſtributum ſarcinæ
Onus duobus allevat:
Partita binis proſperæ
Hoc ſortis auget muneræ

Res eſt domi; concordia
Rem gratiorem hoc fecerit:
Eſt parva: maiorem pari
Hoc reddet adiuvamine.

Hoc impotentem ſubdoli
Arcum relaxat præpetis,
Ferrum retundit, & faces
Reſtinguit implacabiles.

Et quis iugalis conſequi
Narrando ſacri commoda,
Quis verſuum præconio
Æquare poſſit munera?

Digitized by Google

Dulce merum, dulcis Coniux, mens conſcia recti:
Quid tribus his iunctis dulcius eſſe poteſt.

I. A.

ALIUD PER DIALOGISMUM COELIBIS ET MARITI.

J. VULTEI.

C. *COElibe quid vita melius? quid honeſtius unq̃?*
M. *Coniugium multò eſt cœlibe ſorte prius.*
C. *Paulus ait, melius ſic eſſe, velut fuit ipſe.*
M. *Eſt ita, ſed melius commoditate probat.*
C. *Commoditas ergò maior ſub cœlibe vita eſt?*
M. *Maior; at humanis uſibus apta minus.*
C. *His cœlebs, quæ ſunt Domini, ſecurius inſtat.*
M. *Coniugium ſed plus dat tibi materiæ.*
C. *Quanam deficitur cælebs re, materiáve?*
M. *Gignitur huic ſummi nulla figura Dei,*
C. *Quid tum? nam poterit multos adducere Chriſto.*
M. *Adducit reliquos; ſed pater ipſe ſuos.*

IN MONACHOS EX EODEM PAVLVLVM IMMVTATVM.

VT ſus limoſa lutulentá ſubinde palude
Mergitur, & fœdo gaudet olere luto:

Sic in flagitiis omnes verſantur ad unum
Effrenes Monachi; tetraq́; facta patrant.
Nuncium enim cum Coniugio miſere pudicæ
Vitæ, quò in ſcelerum ſorde natare queant.

A. V.

IN OBTRECTATORES MULIEBRIS PUDICITIÆ

J. VULTEI.

QVi violat nomen famâ muliebre ſiniſtrâ,
Et læſis pœnas ſolvet & ille Deo.
Heu neſcis quantam facias ferus ore rapinam,
Scilicet hic quicquid poſſidet illa rapis.
Nam nec opes lautæ, neq; rara monilia proſunt,
Forma nec aſperſa labe venuſta iuvat.
Vtile coniugii ſi nondum nupſerit, omen
Eripis at nuptæ corq́; fidemq́; viri.
Sin viduum deſerta premet ſine compare lectum,
Vita commaculas omne prioris iter.
Hoſtibus oppreſſo violandam iure propinas,
Ad grave nec meritam ludibriumq́; vocas.
Invidus hanc crebro maculam ſermone frequentans
Per vaga tam tetrum compita ſparget opus.
Ille quidem non eſt inſons: ſed criminis autor
Infeſtus culpam tu gravioris habes.
Parcite formoſis, ne dedecus inquinet illas,
Sat ſua deformes inſita damna gravant.

Parcite ſpectatis, tenebraſque offundere luci,
Eſt ignobilibus iam ſuus ante dolor,
Parcite coniugibus, ſalvamque relinquite pacem,
Innuptas aliud forte fatigat onus.

EIUSDEM,
QUOMODO, ET QUIBUS DOTIBUS PUELLÆ AMBIENDÆ.

TAntane vos fragilis cæpit fiducia formæ!
Anne puellaris pectora faſtus habet?
Voſne adeo nitidâ facie ſplendere putatis,
Præ veſtris ut non luceat ulla genis?
Credite, mente latet monſtrum deforme ſub iſta,
Quæque alias ſpernit, ſpernit & illa virum.
Quiſquis connubii tibi iungi legibus ullam
Expetis, hos mores, his ſimileſque cave.
Quæ decus omne ſuum rutilo ſuſpendit in auro,
Non eſt, ô iuvenis moribus apta tuis.
Cuius in hoc omnis conſiſtit gloria verbo:
SOLE *ſub æſtivo non ego ſudo, mala eſt.*
Quæ pietate valet, morum quæ pollet honore,
Quæ ſatis eſt caſto ſepta pudore, bona eſt.
Si qua tibi fuerit talis data copia ſponſæ,
Omnibus hanc votis, auſpiciiſque pete.
Hac ſecurus eris temerandi coniuge lecti,
Solatrix curas diluet illa tuas.
Illa ſimul rebus miſeris, ſimul illa ſecundis
Totam mente reget nixa ſagace domum.

Vendicat & ſeſe cultu meliore puella,
Si mens virtutis luce coruſca micet.
Fœmineæ genti ſolers decus addit honeſtas
Et ſimplex mundus, luxuriaq́ carens.
Longius à nimioq; qui quo ſplendore recedet,
Hoc propius veræ munera laudis habet.
Quid iuvat excoctis digitos redimire metallis,
Pectora ſi fœdo turpia pure fluant?

DE MISERIA IRRELIGIOSE AMANTIUM, QVASI LIXIONIS INCESſanter agitatorum.

SI quis amat, patitur contraria multa (neceſſe eſt)
Sibi cadaver, alteri vivit magis.
Abſens ipſe ſibi nec abeſt, nec adeſt ſibi præſens,
Captivitatem liberam captus videt.
Quod metuit iam non metuit: quod ſperat, id unà
Deſperat: hinc tutum cavet periculum.
Languet, nec languet nimis: & valet, haud ſatis ipſe
Sibi valens: & ſomnians haud ſomniat.
Quod cupit, haud habet: & quod habet cupit ille ſubinde;
O inquieta amentium amantûm quies!
Qui ſapit ille plagis haud irretitur amoris,
Nec blandiendo dulce nutrit hoc malum.

N. REUSN.

AD CONJUGIUM NATURA DUCIMUR, VERBO DEI regimur.

HVmanis, opifex rerum inſpiravit amoris
Oſſibus ignigenas flammiferasq; faces.
Quas movet incenſas maturis fortior annis
Ætas, alba ardens urat ut oſſa calor.
Non tamen exurit penitus, medicabile linquit
Vulnus, & hinc certo fine medela datur.
Nil etenim teneras unquam pervenit in auras,
Quin (duce Natura) ritè novetur idem.
Ergo faces iſtas humano contulit oſſi,
Vt genus humanum prole novetur iis.
Nec tamen inſtinctus naturæ more ferarum
Fiat, at ut pia lege iubente, decet.
Vnde ſimul ſanxit clari Regnator Olympi
Certâ legitimi fœdera lege tori.
Quo benè ſancito, ſocio iungatur amore,
Multiplicìq; domum, prole novetq; ſolum.

M. M. SCHEFF.

QUANTUM AMOR CONJUGALIS OMNI ALII VAGO PRÆFERENDUS.

TV ne putato dulcius quicquam tibi
Poſſe evenire cariusve (cælibi)
Quàm ſi fidelis mutuò reſpondeat
Amore virgo, quæ venuſtis moribus,
Raræq; formæ vinculis te cœperit.

Nam nulla maior extat, & patet fides,
Amor nec ullus firmior, quàm Coniugis,
Quæ vix adulta patriam linquit domum,
Caroq; felix degit in ſinu viri.
Hanc ipſe namq; ventilat facem Deus,
Vt vivat, atq; creſcat hanc ſemper fovet.
O quid, quis unquam deligat Beatius,
Quàm ſic amata re potiri proſperè?
Vt è propinquo hanc ſpectet, hanc ut oſculo
Donet licenter, huic ut amplexum ferat,
Vniq; molli fas ſit ut cubet toro.
Quid ſi faceta dulcibus iuvet iocis
Et te iacentem tollat? & triſtem levet?
Ac mox decenti prole te reddat patrem,
Bleſaq; circum nati voce luſitent?
Nec literarum ſtudia prorſus quippiam
Vllove pacto, ut arbitrantur, læſerit.
Sed unà curas auferens domeſticas
Ardentiorem te per illa duxerit.
Hæc te putabit alteram ſe protinus,
Hanc temet eſſe tu putabis alterum:
Qum illa, tuq; iam duo, nunc unici
Vivetis uno ſub favore ſpiritus.

JO. AVRELII AVGVRELLI.

EPITHALAMION DE PRIMIS NUPTIIS INTER PROTOPLASTAS ADAMUM ET EVAM,

Myſtagogo Æterno Dei Filio in Paradiſo Sancitis.

Elegiaco Carmine conſcriptum

A

SEB. ARTOMEDE FR.

IAM nova convexo radiabant ſidera cœlo,
Terraq; frugifero ſtabat amœna ſinu.
Quam gelidus liquido circumfundebat amictu
Aëris obſcura tum ſine nube globus.
Pinus adhuc nullos tentarat in æquore curſus,
Sed ſolis notum piſcibus illud erat.
Vndiq; purpurei ſpirabat gratia veris,
Monſtrabat plenas angulus omnis opes.
Errabant pecudes per amictos gramine campos,
Garrula ſub dumis dulce canebat avis,
Omnia luſtrabat, ſed erant ſimul omnia pulchra,
Laudabatq; recens ipſe Creator opus.
Dëerat homo: faciamus & hunc, aiebat, & ecce
Factus humo terræ nomen habebat homo.
Non bene ſolus, ait porrò, ſine coniuge vives,
Non bene laudabis ſolus Adame, Deum.

Sit tibi, quæ rapidos ardenti mitiget æſtus,
Sit conſors tanti nobilis imperii.
Nec mora, iucundo devictus hiantia ſomno
Lumina, vernantem preſſit Adamus humum.
Cui Deus exemit coſtam, verboq; potente
Virginis in ſpeciem iuſſit abire novam.
Verba Dei Res ſunt: ſolo pulcherrima verbo
(Credite mortales) condita virgo fuit.
Iamq; virum ſomnus, Domino mandante, relinquit,
Accipe non dubiam, conditor inquit, opem.
Non capitis, non illa pedum de parte tuorum eſt,
Non Dominæ, ſervæ non tibi habenda loco eſt:
Corpore ſed medio ſumtam reverenter amato,
Et crudele tuo nil ſit in imperio.
Mutua ſinceri vos gratia nectat amoris,
Creſcite, cognatum multiplicate genus.
Iuris erunt veſtri pictæ per inane volucres,
Quicquid & Oceanus, quidquid & orbis habet.
Deſierat: ſubit hic dictis, laudatq; benignum
Lætitiam vultu ſignificante, Deum.
Quæ te lingua ſatis celebret? quæ gratia par laudi
Sufficiat meritis, Conditor alme, tuis?
Nuper eram rudis, & vitæ ſine munere maſſa,
Et nihil in lenta mole decoris erat.
Accepi vivos generoſi corporis artus;
Accepi lucis ſemina pura tuæ:
Aëra tu magnum, cœliq; volubilis orbes,
Quadrupedumq; greges, ſquamigerumq; pecus,
Omnia divina ſapiens virtute creaſti,
Viſq; poteſtati cuncta ſubeſſe meæ.

Magna

Magna nimis ſunt hæc animi argumenta paterni
Nec dignè poſſunt, ut meruère, cani.
Tu tamen his, Genitor, non es contentus? & ornas
Munere cultorem nobiliore tuum?
Quos ego conſpicio vultus! quæ lumina cerno?
Artificem facies arguit iſta Deum.
Et quoniam noſtro de corpore ſumta virago eſt,
Corporis, & cordis pars erit iſta mei.
Sic ait exultans, ſociamq; amplectitur Evam,
Hoc Caput, hos Ortus, Vita iugalis habet.

EPIGRAMMA

NOn hera ſit coniunx, non ſit quoq; ſerva mariti,
Non capite, & non eſt è pede facta viri,
Sit thalami conſors: fortunæ deniq; conſors,
Hoc media è coſta fœmina ſumta docet,

A. F. MELLEMANNI.

EADEM
SACRA NUPTIALIA PRIMORM PARENTUM IN PARADISO celebrata.

Brevibus venæ ſimplicis diſtichis adumbrata, à

JO. HIMMELIO, &c.

Summa ubi maieſtas opus admirabile mundi,
Æquor & aſtra ſuo condidit arbitrio!
Emicat in mundo ſeries pulcerrima rerum,
Circumſcripta globo machina tota nitet.
Corpora diſponens informia trina poteſtas,
Ordine cuncta bono prodigioſa locat.
Diuidit hinc pulſis tenebris primordia Lucis,
Perfundens clara lampade triſte Chaos.
Ornat & inſigni expanſum curvamine cœlum,
Dum glomerat variis ſidera ſideribus.
Virtutemq; novam candentibus inſerit aſtris,
Æthereosq́; globos ire redire iubet.
Sol miros ſpirat radiis flammantibus ignes:
Præſcripto Lunæ volvitur axe globus.
Dividit hæc certis redeuntem menſibus annum,
Temporis alternans nocte dieq́; vices.
Prætereà verbo terræ fundamina fulcit,
Quæ detraxit aquis, pondera cingit aquis.

Induit

Induit ergo Deus cerealia ſemina terræ
Purpureis pingens floribus arva ſoli.
Surgit humo germen, plantaria vivida ſurgunt,
Ingenitas vires ſurculus omnis alit.
Aurea dependent numeroſo cortice poma,
Luxuriatq́ novo ſemine læta ſeges.
Jamq́ catervatim fundit ſe turma volucrum,
Gutture quæ reſonant dulciſonante melos.
Nec deſunt ſylvis iam quadrupedantia bruta,
Et quæ rura colunt corpora magna boum.
Unda capit piſces, ſinuoſis fluctibus errant
Balænæ gelidi grandia monſtra maris.
Singula quid memorē? quot enim Natura ſtupendas
Protulerit ſpecies, ampla theatra docent.
Mille locis extant veſtigia mille Tonantis,
Numen & æternum machina tota refert.
Tandem perfecta opifex mundi miracula cenſet,
Et videt eſſe bonum, quicquid adeſſe videt.
Ergo ubi mente ſua tot myſtica ponderat acta,
Arcanam ſynodum numinis aula parat.
Nunc hominem faciamus, ait veneranda poteſtas,
Qui referat vivi ſymbola VIVA DEI.
Inde DEUS *rubeam tractat (mirabile) glebam,*
Atq́ hominem ex gleba quem facit, ille facit.
Huic ſoli inſpirat duplicis ſpiramina vitæ,
Attrahat ut flamen numinis ore datum.
Surgit homo vivens, terræ novus incola ſurgit,
Concita divino membra calore vigent.
Hæc arcana mihi myſteria pande Thalia:
Nam fit homo ſubitò, qui modò pulvis erat.

Nec mora, ſentit homo nervos ac robora vitæ.
Erectusq; ſolo membra decora movet.
Quin novitate ſtupet, quando atria circumſpexit
Nec ſpectaſſe ſat eſt, ſingula corde putat.
Miratur ſphæras, mirandus imagine Adamus,
Huc illuc voluens lumina corde ſtupet.
Spectat & auguſti nemoroſa palatia mundi,
Et Tempe, irriguus quæ Paradiſus habet.
Sentit odoratos ſpirare roſaria flores,
Germina diſsimili picta colore videt.
Hinc armenta videt glomerari mille figuris.
Et volucres audit fundere mille ſonos.
Quid multa? ibat ovans animis dum ſingula luſtrat,
Lætitia exundant pectus & ora nova.
Ergò manus lætus duplices ad ſydera tendit,
Et ſupplex trinum numen adorat homo.
Depromit gratâ dulciſſima carmina mente,
Et cumulat laudes ore ſonante DEI.
Jamq; ubi ductus erat de pulvere vivida maſſa,
Hos ſapiente DEVS protulit Ore ſonos:
Siccine ſolus homo ſpatioſo vivat in Orbe?
Anne Creaturis imperet unus homo?
Non homo ſit ſolus longæ uſq; propaginis autor,
Multiplici cumulet ſemine ſemen Adam,
Ergo viro mulier ſimilis formetur imago,
Firma columna viri fida miniſtra viri.
Mox adduxit Adæ terreſtria bruta Creator,
Juſsit, & errantes cominus ire feras.
Diffundunt ſeſe ſpecies longo ordine centum,
Quadrupedumq; genus nil feritatis habet.

Quin Vrſos tractat facilè immaneſq; leones,
  (Quis putet) atque lupos, imperioſa manus.
Obtutu tacito quæ ſit natura creatis
  Ingenita, arguto lumine ſpectat Adam.
De hinc genuina feris certò diſcrimine cenſor,
  Nomina naturâ conveniente dedit.
Sed quia iam miſcent commercia dulcia bruta,
  Atq; ſui generis cum pare compar habent.
Solus homo triſtis ſpatioſo circuit horto,
  Et conſorte tori ſe caruiſſe dolet.
Iamq; profunda quies homini per viſcera ſerpit,
  Nec renuente DEO, corpus ut ante movet.
Cum dormiret humi coſtam (res mira relatu)
  Carnoſam lateri detrahit autor Adæ.
Hinc ſociam ſexus ſocialia iura coarctans
  Fœmellam mira fabricat arte DEVS
Quin etiam internas inflammat amore medullas,
  Et magis atq; magis pectora pulſat amor.
Mox excitus Adam vires animoſq; reſumit,
  (Haud extracto etenim manſit in oſſe dolor:)
Eva verecundo prodit ſpectabilis ore,
  Et ſuperat brutas nobilitate feras.
Hanc pater auguſta gravitate adducit ad aram,
  Per ſanctamq; fidem tangit utraſq; manus:
Filius ore ſacro iungit duo corpora myſtes,
  Spiritus at ſancto vincit amore DEI.
Hanc commendat Adæ reverenda fronte coronam
  Filius interpres myſticus, atq; refert:
Ecce tibi ſponſam ductam de carne virili,
  Indutam egregiis dotibus, ecce nurum!

Hanc

Hanc adduco tibi, tibi ſoli adduco maritam,
Hanc thalamo placuit conſociaſſe tuo.
Pignus amoris habes, tibi Virgo ſimillima iuncta,
Accipe particulam cordis, Adame, tui.
Scilicet hæc cordis penetralibus hæreat imis,
Hanc iterum ſummi muneris inſtar ames.
Vtq; ſcias tibi quæ pateat nunc hoſpita tellus,
Et quæ cum longa poſteritate domus?
Ecce tibi vaſtum (dos hæc Vxoria) mundum
Tradimus & mundi machina quicquid habet;
Tu tu ſis Dominus, rerumq; magiſter & autor,
Naturæ totus pareat ordo tibi.
Te penes imperium & dominandi ſumma poteſtas,
Subdita ſunt dextræ ſingula bruta tuæ.
Tu ſis herboſi princeps ac villicus horti,
Aſpice tot plantas dono, tot arva tibi.
Numina tu caſto venereris corde viciſſim,
Atq; canas Domini munera tanta tui.
Congreſſus celebres cum poſteritate verendos,
Et ſpargas verbi ſemina præco DEI.
Sic, ô ſic translatâ animâ cum corpore tandem
Ætherei ſcandes regna ſuperna throni.
Talibus adduxit ſociam paranymphus Adamo,
Angelico cinctus, Filius ipſe Choro.
Iam ſimul ac Sponſam defixo lumine Sponſus
Aſpicit obſervans ore ſilentè DEVM:
Incenſas ſentit ſub pectore vivere flammas,
Inſitus & calidis oßibus ardet amor.
Flammulat in caſto flagrans ſcintillula corde,
Spiritus hanc ſiquidem numinis igne fovet.

Nec mora, quæ iam corde putat, ſimul ore profatur,
Fervida teſtatus gaudia læſus hymen.
Nunc apage, hoc eſt os noſtris ex oſſibus unum,
Hæc caro, carne mea facta virago, mea eſt.
Quam ſperata venit noſtris infuſa medullis,
(Quod toto lætor corde) columna viri.
Salve pars cordis, ſalve mea ſola voluptas,
O decus ô coniunx, atq; corona viri:
Te deſiderio mea mens deſiderat unam,
Te mihi, meq; tibi vincit amore DEVS.
Vt de corde igitur noſtro tua ducta propago,
Sic iterum noſtri cordis in ima fluis.
Nunc ô caſte DEVS (quid enim niſi vota ſuperſunt)
Laudibus æternis tot benefacta cano.
Tu mihi conſocias deductam ex oſſe maritam,
Legitimi firmans iura ſacrata tori.
Scilicet hæc flammam incendit: Nam lumina noſtra
Quò magis hanc ſpectant, hoc magis illa placet.
Hanc cordis thalamo dilectam includo puellam,
Hoc tantum eripiet pectore nemo decus.
Ergo tibi fundo, (quis enim non funderet?) ore
Pro tanto grates munere, caſte DEVS.
Talia lætus Adam linguæ dulcedine fundens,
Complexu placido corpora caſta fovet.
At ubi percepit, ſanctiſſima gaudia ſpirat,
Et flammas cordis concipit Eva novas.
Ambo DEO gratâ ſolvunt præconia mente,
Laudat Adam Dominum, laudat & Eva ſuum.
Stat ſimul Angelicus longo chorus agmine circum,
Magnificans lingua glorificante DEVM.

Deinde

Deinde novum magnâ ſponſum cum laude ſalutat,
Et ſponſale canit ſanctá corona melos.

DESRIPTIO NUPTIARUM IN CANA, E' JOH. 2. cap.

Coniugii celebrans pacti ſolennia feſta,
Cana parat lætas, urbs Galilæa, dapes.
Huc cum matre pia JESUS, *numeroq; ſuorum,*
Quos ſibi diſcipulos legerat, ipſe venit.
Quos accerſierat fauſti ſibi ſponſus honoris
Ergò, præteritos more ſecutus avos.
Sed cum deficerent generoſi dona Lyæi,
Ad natum genitrix talia dicta dedit:
Nate, deeſt vinum: matri reſpondit JESUS,
Quid mihi, quid tecum fœmina caſta rei?
Nondum tempus adeſt præſcriptum: Sancta miniſtris
Mater ait: nati iuſſa ſubite mei.
Sex hydrias illic veteri de more locârant
Mundifico ritu, quem regio illa colit.
Quarum quæq; duas capiebat tresvé metretas,
His undas hydriis condite, Chriſtus ait.
Nec mora, replerunt ſummas ut lamberet oras
Vnda, nec ingratæ copia deerat aquæ.
Hinc Cyathos implete, dapumq; afferte magiſtro,
Dixit, in illius ſunt data pocla manus.
Qui primis labris ſpumantia vina pitiſſans,
Quæ modo nativi munera fontis erant.

Neſcius unde (ſed hoc famulorum turba ſciebat)
Te vocat, & dicit, ſponſe beate tibi.
Vina ſolent alii ſapidiſſima ponere primò,
Hinc potos fallunt deteriore nota.
At tu ſervaſti nec adhuc deprompta tuliſti
Optima, poſt ſeram ponis & illa moram.
Hoc grave principium ſignorum fecit Jeſus
Canæ, cui titulum gens Galilæa dedit.
Et ſic in lucem Chriſti nova gloria venit,
Illi diſcipuli ſic habuêre fidem.

J. VULT.

NUPTIARUM INCESTARUM DAVIDIS CUM BATHSABÆA ET CONSECUTÆ, DEO GRATISSIMÆ, ſeriæ pœnitentiæ, Elegantiſſima Paraphraſtica deſcriptio,

AUTHORE
TH. B. V.

FOrtè pererratis, cœlo, terráq;, mariq;,
Ales Amor ſacræ Judææ callidus urbes
Viſebat, pharetráq; minax flammatáq; geſtans
Tela manu, iamq; hoſpitium, ſedemq; petebat
Venturæ nocti: dumq; acres undiq; verſat
Sæpe oculos, dubitatq; etiam qua ſede moretur;

Tandem

Tandem ad Bethſabes convertit lumina formam,
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, viridesq; oculos, frontemq; patentem,
Purpureasq; genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſeum, & flavos per eburnea colla capillos,
Marmoreumq; ſinum, porrectaq; brachia longè,
Et teretes digitos: hæc dum notat omnia, fertur
Attonitus tacitâ ſecum ſic voce locutus:
Quid vos cœlorum formam, celeresq; rotatus,
Sydereosq; ignes adeò, matrisq; Diones
Laudatis, Superi, vultus? cum barbara cœli
Luminibus Virgo officiat: me ludere in iſtis
Fas oculis: iuvet hinc acres vibrare ſagittas:
Hæc eſt digna Deo ſedes. Procul ergo pharetræ
Eſte graves; ſint arma procul, namq; iſta miniſtrant,
Lumina tela mihi, lunataq; porrigit arcum
Umbra ſupercilii, hinc regum mavortia corda,
Fallor ego, aut infans olim viciſſe Cupido
Credat, & hæc varias ſpargetur fama per urbes:
Dixerat: & ſubitò pharetraq; arcuq; relictis,
Aerium ſumit corpus (mirabile dictu)
Corporeis tam rarum oculis, ut cernere nemo
Mortalis poßit, quantumvis cernat acutè.
Sic indutus amor, formoſam hinc inde puellam
Obſervat tacitus furtim, tandemq; repertis
Seſe oculis infert, claroq; in lumine condit.
Illa Deum ſenſit venientem, & læta recepto
Hoſpite nil præter Veneris iam cogitat artes:
Omnibus arridet pulchræ ſibi conſcia formæ:
Nunc ſinit impexos extrema in fronte capillos

Ludere, nunc varia diſcriminat arte vagantes:
Jam celare ſinum ſimulat, mammasq; coercet,
Et ſuper obiectat tenuis velamina telæ:
Iam cunctas oſtendit opes, colloq; ſuperba
Nudato, pulchra mentitur imagine divam.
Interdum excultis illi qui ſtabat in hortis
Marmoreo inſigni labro ſe fontis in unda
Nuda lavat, celeresq; oculis iaculatur amores.
Hanc igitur caſu, vitreo cum fonte lavaret,
Judæis David, qui tum regnabat in oris
Aſpexit: vir nec cuiquam pietate ſecundus,
Nec quoquam inferior vates, ſeu fundere dulce
Ore melos, digitis ſeu tangere plectra iuvaret.
Quid non audet amor? Regis doctiq; piiq;
Protinus excuſſo violavit lumina telo.
At pavidus tanto caligat lumine David,
Ecce irrumpit amor dominus, ſparſisq; veneno
Senſibus, humenti iam calfacit oſſa calore.
Et victor tandem infligit ſub pectore vulnus:
Mens quoq; victa labat, flammisq; oppreſſa fatiſcit.
Ipſe ſui oblitus cœcas ſub pectore flammas
David alit, nec iam ſtudiis incumbit honeſtis,
Nec ſibi iam quærit, ſeſe quibus artibus ipſe
Aſſerat: hoc unum noctuq; diuq; labore
Sollicitus volvit magno, quâ callidus arte
Efficiat, formâ ut tandem potiatur amata.
Quid faciat? blandis adiungit munera dictis.
Paret Berſabe, tantoq; authore peracta
Culpa placet: favet incœptis Fortuna nefandis.
Nec mora longa fuit: tumido mox addita ventri

Sarcina, ſed nondum David ſua gaudia credit
Plena ſatis! res ipſa placet crimenq́; probatur;
At metuit famam dicią; recuſat adulter.
Adde onus ignaro conceptum coniuge, quippe
Fortè aberat longè Urias & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus publicaq́; ſalute
Tractabat gladios miles: revocatur in urbem
Principis imperio paret, caſtriſq́; relictis
Juſſus adeſt. Illum nec formoſiſſima coniux,
Nec nati traxére domum, ſed principis aulam
Ingreditur properans: ſimulato plurima vultu
Inquirit David: quam tandem exercitus urbem
Obſideat, quibus incluſus ſit mœnibus hoſtis,
Eventu quonam pugnatum, ſingula pandit
Ille, nec infelix novit quam dira parentur.
Quippe licet menſa exceptum, vinoq́; madentem,
Coniugis ut ſpreviſſe toros, aulaq́; manere
Aſſiduum vidit David, iam cenſet apertum
Omne ſcelus, iam facta palam ſua crimina credit.
Vis igitur, ſed tecta placet, capitiq́; parantur
Coniugis inſidiæ. Tam magnum eſt numen Amoris!
Scilicet ignorat leges cum matre Cupido.
Jam nil iura valent, nil magni iuſſa Tonantis,
Expertuſq́; favor Divûm, iam victus amore
Ipſe odit ſeſe. ô ſemper nocitura voluptas,
Ut tranſverſa rapis mortalia pectora tecum!
Nox erat, & late carpebant omnia ſomnos;
At vigil inſano fraudes in pectore David
Mille parat, calamum tandem poſcitq́; tabellas,
Et ſe de patria rebus dum ſcribere multa

Verſutus ſimulat, verſa in contraria mente
Imperat ut pugnæ ſtatuatur in ordine primus
Vrias, primusq́ ruat moriturus in hoſtes:
Ergo ut prima dedit venientis ſigna diei
Lucifer Vriam mox in ſua caſtra reverti
Rex iubet, inſcriptasq́ duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec ſe ſua fata tenere
Clauſa manu novit: tandemq́ in fronte locatus,
Immeritam infelix petiit per vulnera mortem.
Hæc pater omnipotens ex alto ſingula cœlo
Cernebat, iam tum iratus cum cedere fœdi
Imperio inſanum Regem ſpectaret amoris.
Vt verò inſontem cecidiſſe agnovit amicum,
Et fuſo hoſtiles gladios tetigiſſe cruore:
Tum demum infremuit totus, vultumq́ ſerenum
Iratus poſuit, tremuerunt omnia latè,
Terribiliq́ procul ſonuerunt aſtra fragore,
Protinus exorto compleri murmure cœlum
Turbato cepit Domino, veniuntq́ frequentes
Aligeri fratres: quæ tanti cauſa tumultus
Inter ſe rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet: num totas fulmine terras
Perdere forte paret, num cœli extrudere cives,
Aut priſcum revocare chaos: quippe affore tempus
Audierant, ipſos olim quod verteret orbes
Cœlorum in medio, qua ſe ſuper omnia tollit
Sublimis moles, mundum complexa rotundum,
Stat thronus, & gemmis totus conflatus & auro:
Hic Divum reſidet princeps, hinc ſingula cernens
Temperat, æterno componitq́ omnia nutu,

Hunc geminæ circum dicuntur ſtare ſorores,
Iuſtitia, & placido lenis Clementia vultu,
Altera diſtricto cunctis velut enſe minatur,
Turbatiſq; oculis teſtatur pectoris iras.
Altera blanditurq; oculis, ſimiliſq; precanti
Vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur poſtquam convenêre undiq; Divi,
Tum pater iratus: Quænam hæc dementia quænam
Improbitas, inquit, noſtrum contemnere numen,
Mortales audere viros. & pectore ferri
Indomito authorem contrà? quid plurima fando
Commemorem? terræq; datas totius habenas?
Et maris imperium, liquidoq; volantia cœlo?
Mentem ego divinam tribui. quæ libera mortem
Deſpiceret, quæ me, quæ cœli diſceret orbes.
Hoc cunctis commune bonum, quid propria natis
Commoda nunc referam toties conceſſa Iacobi?
Vos meminiſtis enim regis contuſa ſuperbi
Pectora, vos medio incedentes æquore turmas,
Deletaſq; acies ſcitis, partoſq; triumphos.
Scitis ut in terras ſpreto deſcendere cœlo
Auſus ego, ut leges illis & iura tuendæ
Tradiderim vitæ, noſtri quoq; teſtis amoris
Phœbus erit, ſueto vetitus decedere curſu:
Et ſciſſæ Iordanis aquæ, ſonituq; tubarum
Captæ urbes, pulſiq; ſua ditione tyranni.
Hæc illis igitur tribui, quid maxima vero
Tot bona commemorem Ieſſæo præſtita vati?
Illi ego paſtori memini tribuiſſe coronam,
Ereptoq; pedo ſceptrum donaſſe ferendum.

Mox etiam manibus vaſti eripuiſſe gigantis,
Cumq́; graves urgere minas, odiumq́; Saulis
Senſiſſem, tutum ipſe dedi (miſeratus egentis)
Exilium, & placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus avorum,
Oblitusq́; mei: nec cœli ſpernere reges,
Nec crudele ſcelus ſceleri iunxiſſe veretur.
Hinc leges hinc iura tacent violata ſacrati
Coniugii, hinc noſter non digna morte peremptus
Vindictam petit Urius; nunc ergo ſuperbum
Ulciſcar Regis pectus, populumq́; ferocem
Delebo iratus, noſtri monumenta doloris.
Deſierat, toto exoritur iam murmur Olympo:
Sunt qui dicta probant, ſcelerumq́; expoſcere pœnas
Fas, æquumq́; putant: pars quamvis ultima Regem
Commeruiſſe ſciant, blandis tamen omnia dictis
Emollire parant, juſtumq́; arcere furorem.
Præcipuè blando lenis clementia vultu
Conqueritur lachrymans: nec enim ſi plectere dignis
Suppliciis homines placeat, iam fulmina poſſe
Sufficere, aut animas deinceps captare nocentes
Tartara, deſertum fore mox ſine civibus orbem:
Fruſtra igitur toties miſeris mortalibus olim
Eſt promiſſa ſalus, nec creſcere virga ſinetur
Expectata piis? ſua ſunt ſtata tempora pœnæ,
Integra cum mundi peritura eſt machina flammis.
Mi Genitor, ne te crudelem nomine dici
Quæſo ſinas: tua nota ſatis ſunt numina mundo.
At ſi pœna placet, ſi res tam ſæva probatur,
Hoc unum rogito ſupplex, hoc pectore toto

Flagito. fas ut ſit ſceleris monuiſſe peracti
Davidem: feret ille preces, tandemq́; furore
Depoſito, ſcelus hoc illi, noxamq́; remittes.
Vix benè deſierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, cum depoſita Pater Optimus ira
Conceptum penitus dilabi corde calorem
Senſit, & hæc tandem ſedato pectore fatur:
Ergone nata meis conatibus obvia ſemper
Non ſinet irati res tandem ut verba ſequatur?
Sed miſeros ſervare iuvat. Sic fatus, abire
Imperat, aligero divorum ex ordine lectum
Cæſarie inſigni iuvenem, cui candida circum
Ludebat ſtola longa pedes, variaq́; micabant
Diſtinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ:
Qualis ab Eoo vehitur qui Pſittacus orbe,
Aut nubes inter qualis nitet Iris aquoſas.
Hunc igitur properè Solymorum inuiſere terras
Imperat Omnipotens, culpæq́; monere peractæ
Davidem, ſimul & pœnas mortemq́; minari.
Ille abit, & liquidum variis ſecat æthera pennis.
Fortè & tempus erat, tacito cum victa ſopore
Cuncta ſilent, claroq́; micant nitidiſſima cœlo
Sidera, conſpectâ tunc nuncius arce quievit:
Et mox humanam (dictu mirabile) formam
Induitur, variq́; latet ſub imagine Nathan.
Iratis ardens oculis, vultuq́; minaci
Sic medios inter ſomnos reprehendere crimen
Viſus, & ingratæ ſcelus exprobrare ſenectæ:
Tene ait, ô Regum Rex peſſime, tene quietem
Ducere, quem ad pœnam poſcunt pro immanibus auſis

Tarta-

Tartara? ſic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter, geminove nocentem
Crimine, cœlorum fas eſt convexa tueri?
Qui Divos? qui te, patriamq́; tuosq́; ſceleſtus
Prodideris: nec tu ſomnum, lectiq́; ſuperbi
Delicias linques Divûm venturus ad aras?
Atqui, tempus erit, moneo, cum cœde tuorum
Ipſe oculos paſces, belliq́; domeſtica ſurgent
Semina: & inceſſus & fratrum vulnera cernes.
Tu modo flecte Deos lachrymis. Sic ille locutus,
Protinus in tenues fugiens evanuit auras.
At David monitis, & clara voce Deorum
Attonitus, nunc inviſos accuſat amores.
Nunc iuſſæ meminit mortis, crimenq́; fatetur
Conſcius. Ergo thoro vigil exilit, & ſua pugnis
Pectora contundens, ſceptrumq́;, aulamq́;, coronamq́;
Abiicit, & partes animum convertit in omnes:
Vt Lybiæ ſi quis ſitientia rura viator
Dum petit, in mediis ſævam conſpexit arenis
Tygrida, vel maculis diſtinctum terga Draconem,
Horret ad aſpectum trepidus, cœptumq́; relinquit
Cautus iter, latebrasq́; petit tremebundus opacas:
Talis erat David, pulchra quem uxore petitum,
Nilq́; minus cœlo metuentem, clara Deorum
Numina terruerant, & cognita vatis imago.
Multa eſt ante oculos Bethſabe, aut nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre Cupido,
Et pavor in vacuo ſolus iam pectore regnat.
Quid faciat? num vel miſerum ſe ex arce ſuprema
Præcipitet, vel viſceribus crudum induat enſem?

Num veniam expoſcat, inſtasq́ue vertere Divum
Conetur lachrymis iras? Palatia ponè
Antrum erat horrendum, fracti quà culmina montis
Exeſas vaſta claudebant mole cavernas,
Horrebant rupis latè omnia, & undiq́ue ſentes
Dumiq́ue, tribuliq́ue, & Soli ignota vorago.
Hæc igitur pavidus ſublimi David ab arce
Singula ſpectabat, dubius vitamne, necemne
Eligeret, nunc cœlum oculis atq́ue aſtra petebat.
Attonitus largo nunc turgida lumina fletu
Fixa tenebat humi: tandem circumſpicit antrum,
Et mox: Tu noſtri domus, inquit, conſcia luctus,
Tu mihi teſtis eris iuſtorum ſolà dolorum:
Sic faveas noſtro rubicunda ex crimine Luna.
(Forte erat, aut viſa eſt Phœbe rubicundior) at vos
Sidera, quæ inviſos toties vidiſtis amores,
Mutatum ſpectate virum Sic fatus eburnam
Suſpendit zonâ citharam, quâ ſuetus ad omnes
Mentis erat curas uti, qua ſæpè ſonante
Depulerat ſævos inimico à Rege furores.
Ergo abit, atq́ue ſago velatus membra cucullo,
Præcipitis tandem evadit ſuper ardua montis
Culmina, moxq́ue antrum ingreditur, largoq́ue madentes
Imbre oculos cœlo attollit, tandemq́ue recepta
Mente, miſer tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœſtas cithara reſonante querelas, &c.

N. REUSNERI.

DVlce libido malum mellitum, crede, venenum,
Aut mulſum lethale, poteſt quocunq́ue vocari

Nomi-

Nomine: blanda quidem facie, ſed pectore falſa:
Quos premit hos perimit nigræ loligine caudæ:
Scorpius infligit preſſus ceu triſte venenum.
Qui ſapit, hanc fugit, & virtutem ſponte capeſſit:
Fortunæ genitrix eſt illa, bonæq; ſalutis,
Aurea quam circum volat albis gloria pennis.

IDEM

OMnis amans amens, amor eſt amentia: Nemo
Sanus in inſano prorſus amore ſapit.

I. A.

ADam, Samſonem, Davidem, Loth, Solomonem
Fœmina decepit, quis modò tutus erit?

NVPTIÆ TOBIÆ
AD
JOANNEM FEURELIUM.

SIc igitur vultu tibi ſors arridet amico:
Numina Feurelii ſic tibi ſancta favent?
Vt ſata Mœnaliis uxor tibi nubat in oris,
Franciacis cum ſis editus ipſe iugis?
Hæc tibi dicta forent, patriis cum nuper abires
Sedibus, Arctoi captus amore poli:
Ecce peregrinas cœlebs diſcedis in oras,
Patria cum repetes arva maritus eris.

Tu quoq; dixiſſes, geſtans nova cornua Titan,
  Geſtabis noctem poſtmodò, Luna diem.
Luna diem portet, geſtet nova cornua Titan,
  Patria Feurelius ſponſus ad arva redit.
Quis tamen iſta DEVS, tam firmo pectora nexu
  Vinxit? an hæc pueri vis Cytheræa tui?
Errat enim ſine lege vagus, ſine nomine cœcus,
  Veſanusq; malas ſpargit ubiq; faces.
Forſitan huc illum caſus temerarius egit,
  Mitteret ut dubia ſpicula cœca manu?
Quæ nunc altê imis hærent infixa medullis,
  Vel tibi Feureli, vel Catharina tibi?
Cede proterve puer, nulli hoc fas cedere caſto,
  Nil tibi nobiſcum eſt, cede proterva Venus.
Coniugii DEVS eſt, Deus author amoris honeſti,
  Inde ſuos ortus vita iugalis habet.
Cui donis ornata venit felicibus uxor,
  Gaudeat & munus nôrit id eſſe DEI.
Ipſe ſibi ſociam non inveniſſet Adamus,
  Ni DEVS hanc illi ſponte tuliſſet opem.
Ille quid huic deſit, tacito dum pectore verſat,
  Solus es, at ſolus non bene vivis, ait.
Nec mora iucundo devictus lumina ſomno,
  Gramineoq; iacens ſtertis Adame thoro.
Coſta tibi lateris ſubducitur, Eva creatur,
  Illa tui conſors Eva futura tori.
Vt vero excuſſus ſopor eſt, Deus accipe dixit,
  Hæc tibi curarum dulce levamen erit.
Accipis, agnoſcisq; tuo de corpore ſumptam,
  Præſidiumq; tuum dulce, decusq; vocas.

I nunc

I nunc quære locis multum diſtantibus ortos
Coniunctos uno cur iuvet eſſe thoro.
Ah pereat, gemmas quiſquis ſectatur & aurum,
Cui miſero numi ſunt in amore duces.
Non DEVS inſignem gemmis rutilantibus Evam,
Sed nudam & caſtam iunxit Adame tibi.
Qui ſapit à precibus puros orditur amores,
Conciliant fauſtos vota pudica toros.
Sic olim ſociam nato lecturus Abramus,
Ante pias ſancto concipit ore preces.
Filius adiungit precibus ſua vota paternis,
Et rem committunt fidus uterq; DEO.
Ecce animi præſtans virgo, pulcherrima Virgo,
Abramidæ thalamum caſta Rebecca ſubit.
Et dubitamus adhuc fieri connubia fatis?
Munus & uxorem Solius eſſe DEI?
Dum lautè inſtructis diſcumbitur ordine menſis,
Et ſponſis iuvenum turba ſenumq; faves;
Carmine fas condire dapes, dulcemq; Lyæum,
O Sacri princeps Calliopæa chori.
Prome age ſi quid habes memorabile perq; politum,
En tibi compreſſo murmure cuncta ſilent.
Sic ego: ſic cytharam increpitans Dea molliter orſa eſt,
Ore ſimul dulces emodulante ſonos:
Servitium Aſſyrio durum ſub rege ferebat
Sinceræ Tobias relligionis amans.
Conflatos auro vitulos gens illa colebat,
Fictitiis faciens barbara ſacra diis.
Ille Deo ſoli caſtas operatus ad Aras,
Noluit infandis cultibus ire comes.

Clarus ob hoc Domino rerum ardua frena tenenti,
Infeſto nihil eſt, paſſus ab hoſte mali.
Vt verò utilibus tandem maturior annis
Legitimi pepigit fœdera connubii:
Anna thori conſors puerum eſt enixa venuſtum,
Nomine quem, Tobia dixit, uterq; parens.
Hic patris admonitu teneris aſſuevit ab annis
Æternum caſtâ mente timere Deum.
Imbibit & niveo mores cum lacte pudicos,
Fasq; ſequi didicit, turpe cavere nefas.
Fortè pater Medas peregrè diſceſſit ad urbes,
Vt miſeri ſocios viſeret exilii:
Hic ubi cognatum percepit egere Gabelum
Bis dedit argenti quinque talenta viro.
Vtere ait felix, donec melioribus annis
Hoc mihi ſolvendo ditior eſſe queas:
Accipit, & læto grates agit ore Gabelus,
Et tabulis pactam firmat & ore fidem.
Turritam hic Niniven, rurſum & ſua tecta reviſit,
Cognatasq; iuvat, qua potis arte, tribus.
Ieiunis panes, latices ſitientibus, urnas
Occiſis, nudis tegmina ſuppeditat.
Cum verò, bis feſſus ſtudiis aliquando, parumper
Langueret, ſomno membra levanda dabat.
Nidus erat ſupra, iacit excrementa, piiq;
Infelix oculos lædit hirundo ſenis.
Inſultant cæco coniunx, cognataq; turba,
Eia ubi nunc Deus eſt, ſtulte Tobia tuus?
Hoc pia facta tibi, fidi hoc peperêre labores?
Hoc tibi pro crebris redditur exequiis?

Ille ſub hæc, ſtultis quin vos ſermonibus, inquit
Parcite ſunt alio præmia noſtra loco.
Sic ait, atq; humili veniam petit ore Tonantem,
Et crucis impoſitum fert patienter onus.
Hoc tamen in votis, tantos ut morte labores
Quam primum infelix claudere poſsit, habet.
Forte ſub hoc ipſum Raguelis filia tempus,
Ancillæ probris exagitata ſuæ.
Quod ſeptem deſponſa viris occiderit omnes:
Ceſſit in occultum flensq; dolensq; locum.
Tresq; dies, totidemq; cibi ſive munere noctes,
Somni expers. potus neſcia, delituit.
Summe pater dixit, lachrimis ſuper ora profuſis,
Summe pater, noſtri quem coluêre patres.
Qui pius in media converſos protegis irâ
Et promptam miſeris fers miſeratus opem.
Verte tuos ad me propius mitiſſime vultus,
Fac famulæ ne ſint irrita vota tuæ.
Cur ego mordacis patior convitia ſervæ?
Opprobrium dicor cur patris eſſe mei?
Omnia nota tibi, Genitor, tua numina teſtor,
Non ego ſum tanti, non ego cauſa mali.
Fors culpâ cecidêre ſua: fors me ipſe reſervas
Alterius thalamo, conditor alme, viri.
Quicquid erit, ſpero optatos poſt nubila ſoles,
Perſpectum ſatis hoc cum tibi pectus erit,
Cum ſatis explorata fides. Ter dic mea laudes
Eia age ter laudes dic mea lingua Deo.
Audiit omnipotens miſeræ lamenta puellæ,
Audiit & cœci vota precesq; ſenis.

Extemplò Aligerûm Raphael de gente miniſtrâ
Mittitur, ut medica ſanet utrumq; manu.
Intereà ſenior nato hæc ſuprema Tobias
Juſſa, ratus mortis tempus adeſſe, dabat:
Cùm mea perpetuo claudentur lumina ſomno,
Menſq; polo fuerit reddita, corpus humo:
Sit tibi prima DEO, fili, placuiſſe voluptas,
Proxima dilectæ cura parentis erit.
Fac nulli auſterus, fac officioſus in omnes,
Fac tua pauperibus ſemper aperta manus.
Neſcia fac ſceleris ſit mens: veneranda Tonantis
Semper inoblito pectore iuſſa cole.
Conſortem reverenter habe, turpeſq; caveto
Excurſus, ſolam, quæ tibi nupſit, ama.
Non tibi inhumanum ventoſa ſuperbia pectus
Efferat, eventus non habet illa bonos.
Da panes inopi, da præmia iuſta merenti,
Fac aliis, fieri quod cupis ipſe tibi.
Hæc & plura pio natum pater ore docebat,
Omnia quæ memori condidit ille ſinu.
Tandem iuſſit ſenior: bis quinque talenta Gabelo,
Parvus adhuc eſſes cum puer ipſe, dedi.
I tu igitur, comitemq; tibi diſquire fidelem,
Indicet ad Medos qui tibi quà ſit iter.
Ecce tibi has tabulas quas poſtquam oſtenderis illi,
Mutua, ne dubita, protinus æra feres.
Paruit hic iuſſis & dum per compita quærit,
Ignotas unà qui velit ire vias:
Offendit iuvenem nitido latus enſe revinctum,
Formoſumq; comas, purpureumq; genas.

Cumq́; ſalutaſſet patriamq́; genuſq́; rogaſſet:
An comes accinꝺo tu mihi, dixit, eris?
Annuerat bonus ille: refert patri omnia Natus,
Ad iuvenem læto tum pius ore ſenex:
Tune, inquit, Medas nato comes ibis ad oras?
Quiſquis es, hinc merces non tibi vilis erit.
Huic Raphaël: ducam pariter, ſalvumq́; reducam,
Nec dubita: ſoſpes me duce ſemper erit.
Vota cadunt utrinq́;, altum gemit anxia mater,
Imbuit ardentes plurima gutta genas.
Filius ut charos iuſſit ſaluere parentes,
Cum duce longinquas cœpit inire vias.
Ventum erat huc præceps rapido qua flumine Tigris,
A celeri curſu nomen adeptus abit.
Cum verò Heſperias currum inclinaret ad undas
Phœbus, in hoc noctem manſit uterq́; loco.
Egreditur, tepidoq́; pedes lavat amne Tobias,
Dum lavat, ingenti corpore piſcis adeſt;
Clamat Iò fer opem perterritus: attrahe monſtrum,
Dux ait, & gladio divide membra tuo.
Exime cor, calidumq́; iecur, fel deniq́; nigrum,
Vſus in his medicæ plurimus artis erit.
Cætera ſudabunt torrentibus addita prunis,
Efficient gratum vel ſale tincta cibum.
Extulit os roſeum Titanque è mollibus illi
Surgentes ſtratis ingrediuntur iter.
Et variis longas fallunt ſermonibus horas,
Donec in optatum venit uterq́; locum.
At verò ignarus quânam eſſet in urbe Tobias,
Hoſpitium comiti quod ſubeamus? ait.

Cui comes, hæc domus eſt hominis tibi ſanguine iuncti,
Hic genuit quod ames; huic gener, inquit, eris.
Addit & infeſtum, quibus arceat artibus hoſtem,
Atq; monet quæ ſint quo peragenda modo.
Vlterius movet ipſe pedes, poſcitq; Gabelum
Debita: cognato Sara datur Juveni.
Lautaq; dum fiunt ſtructis convivia menſis,
Ingentem reſonant ſingula verba Deum
Jam quater & decies dulcem ſol aureus orbi
Reddiderat lucem, ſponſus abire parat.
Plurima ſolliciti Natam monuêre parentes,
Nata vale, vox eſt ultima, Nate Vale.
Sic igitur thalami lætus conſorte Tobias,
Ad patrios rediit ſic gravis ære Lares.
Omnis in occurſum properat domus, & benè dicit
Tam longas illum conſuluiſſe moras.
Luminis amiſſi Tobiæ mox redditur uſus,
Munera munifici prædicat ille DEI.
Officium Raphaël, nomenq; profeſſus ad altos
Nube latens rediit, venerat unde, Polos.
Coniuge cum Sara vixit ſine lite Tobias
Innumeros multâ non ſine prole, dies.
Talia Calliope teſtudine luſit eburna,
Et finem numeris impoſitura fuit.
Obtinui precibus, ne dulcia rumperet orſa,
Neu cœptos fugeret continuare modos.
Dic, inquam, fatalis amor cur Diva Tobiæ,
Fatalis Saræ cur tibi dictus amor?
Sic ego: ſuſceptum ſic integrat illa laborem,
Et movet aurata pollice fila Lyra:

Ludite vocales nova carmina, ludite chordæ
  Quæ placeant ſponſo, quæ pia nupta probet.
Matre pia, genitore pio natum eſſe Tobiam
  Diximus, & morum laude fuiſſe parem:
Feurelii nullam genitrix virtute ſecundam,
  Vix habuit genitor relligione parem.
Quodq́ pię docuit, ſacri myſteria verbi,
  Laudat adhuc clarum Francica terra virum.
Filius hunc hodie ſequitur, iamq́ alter ab illo eſt,
  Ingenio, ſtudio, moribus, arte, fide.
Ludite felices nova carmina ludite chordæ,
  Nam vos ſponſus amat, vos pia nupta probat.
Exemplum caſtæ memorabile virginis olim
  Sara fuit, ſeptem quamlibet orba viris:
Matronæ ſpecimen præbet Catharina pudica,
  In viduo manſit quæ ſemel orba thoro.
Sed Deus eſt ambas miſeratus, & illa Tobiæ
  Nupſit, & hæc ſponſo eſt tradita Feurelio.
Ludite felices nova carmina, ludite chordæ,
  Nam vos ſponſus amat, vos pia nupta probat.
Ille peregrinis ut debita poſceret oris
  Æra, ſatis longum eſt ire coactus iter.
Ducitur hîc illi, quod non ſperaverat, uxor
  Aligero fauſtas ſic moderante vias:
Pectoris hic ut opes cenſu meliore reponat,
  Non minus eſt longum ferre coactus iter.
Non minus inventa lætus conſorte, fatetur
  Authorem chari muneris eſſe Deum.
Ludite Felices nova carmina, ludite chordæ
  Nam vos ſponſus amat, vos pia nupta probat.

Peſtifer illorum cœptis obſtare parabat
Infeſtus thalamo qui ſolet eſſe Satan.
At cum ſupplicibus pulſarent ſidera votis,
Arripuit celerem degener ille fugam:
Vos quoq; ne veſtras rumpat turbator amores,
Aſſiduas caſtâ fundite mente preces.
Ludite felices nova carmina, ludite chordæ,
Nam vos Sponſus amat, vos pia nupta probat.
Quæ poterat miſero ſors triſtior eſſe Tobiæ?
Non tamen impatiens lumine captus erat:
Vos etiam ſeu læta cadant ſeu triſtia, fortes
Eſſe decet, iunctis mentibus eſſe decet.
Nec grave ſit tenues undæ guſtare liquores,
Dum Deus in vini pocula vertat aquas:
Ludite felices nova carmina, ludite chordæ,
Nam vos Sponſus amat, vos pia nupta probat.
Turpis ager ſterilis, turpis ſine gramine campus,
Herba decet campum, meſſis agro decus eſt:
Triſte torus ſterilis, triſtis ſine compare lectus,
Nubite, quas ſteriles eſſe inopesq; piget.
Pieri iam propera, cœlo micat Heſperus alto,
Tædiferumq; monet non procul eſſe Deum.
Dulcis Hymen, Hymenæe, Hymen, Hymen ô Hymenæe,
Huc ades ô, tædis nox eget iſta tuis.
Irrita ſunt, nec habent placidos connubia curſus,
Numini auxilio quæ caruère tui.
Te ſtatuente, vagos hominum genus odit amores,
Inq; ſuo mavult quiſq; iacere toro,
Vincula tu ſacro ſtringens adamantina nexu,
Bina iubes fieri corpora corpus idem.

Dul-

Digitized by Google

Dulcis Hymen, Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe,
Sacra tibi fiunt, ad tua ſacra veni.
Quàm bene iunguntur pariles ætate columbæ,
Cum ſocia vitam quàm benè turtur agit:
Tam benè, flos ævi quibus idem & mutuus ardor,
Legitimo vivunt fœmina virq; toro.
Tam bene Feurelio Catharina faventibus aſtris
Iuncta, recens ſponſi eſt curaq; faxq; ſui.
Dulcis Hymen propera, quid amantum vota moraris?
En tibi ſollicitas fundit uterq; preces.
Vt poſtquam eſt Vlmo vitis ſpoliata marito,
Ponit humo corpus, deſinet eſſe ferax:
Huic eadem rurſus, cum iungitur, educat uvas,
Pampineasq; altè iactat odora comas:
Sic ſterilem vitam mœrore pereſa trahebat,
Orba foret primo cum Catharina viro.
Nunc alium poſito luctu ſortita maritum,
Ornabit dulcem prole beata torum.
Eia veni, gratare novis Hymenæe maritis,
Officium præſens flagitat hora tuum.
Ah quoties ſtudia urgebit nocturna maritus:
Nupta pia tales proferet ore ſonos:
Vidi ego curvatum violentis nixibus arcum,
Tenſa nimis vidi fila crepare lyræ,
Parce tibi mea lux, parce & mihi dulce meum cor,
Viribus & capiti, Lux mea parce tuo.
Nox requiem ſuadet, ſtudiis accommoda lux eſt,
Dii moderata probant, immoderata vetant.
Eia veni tandem, nigris en fuſca quadrigis
Nox ruit, eia veni Tædifer, eia veni.

Ah quoties curis vir edacibus obvius ibit,
Corripiens doctâ plectra ſonora manu?
Tum nocturna trahet coniunx ad lumina fuſum,
Aut tenui veſtem dædala pinget acu.
Collaudansq́; virum, ô carmen laudabile, dicet
Carminis & pretium baſia mille dabit.
Pieri iam finem numeris imponere fas eſt,
En venit, en thalamum tædifer intrat Hymen.
Sit benè coniugibus, ſit amor fœcundus: amorem
Intemerata fides nutrit, amorq́; fidem.
Sit procul hinc quodcunq; mali eſt, ſit læta ſenectus,
Mors placidum ſolvat non niſi ſera torum.

SEB. ARTOMEDIS FRANCI.

HADRIANI DAMMANIS
GANDAVENSIS

DE NVPTIIS SCOTORVM REGIS JACOBI VI.

ET

ANNÆ DANOR. REGIS FRIDERICI II. FILIÆ.

REgales thalamos, clarisq; iugalia tædis
Pacta cano: Vos ô Tyrii quæ Principis olim
Veſpere ſolenni ſponſos ceciniſtis amores
Cingite odoratis criſpantia tempora ſertis,
Ter tripliciq; hilarem quatientes lampade flammam,
Et de Pegaſeis luſtrales fontibus undas,
Ferte pedem, Lydisq; modis date corpore motus,
Inq; modum canite, ac fidibus colludite tactis:
Veſtibulum myrto, laurisq; perennibus aula
Rideat: artificis velaria regia Flandri
Picta manu, totas paries ſuſpenſa per ædes
Exhibeat, variis hominum ſpirantia formis:
Aureaq; innumeris rutilent laquearia lychnis.

Collis enim Veſtri, Veſtri inſtaurator honoris,
Fortia Scotigenas patriis qui pectora ſceptris
Et virtute regit: Clangentibus incita pennis,
Oceani trans vaſti aditus auroq; comantes
Heſperidum ſylvas, trans quæ rigat æquora Ganges,
Transq; Arabes quem fama Vehis, Jacobus avito
Sanguine qui Regum Sextus id nominis audit,
Friderici natarum Annam, tot laude per annos
Regales Danicæ flexit qui gentis habenas,
Gentis, in armorum, terraq; mariq;, triumphis,
Quâ ſit nulla magis toto excellentior Orbe,
Coniugii capit auſpiciis, queriturq; morantem
Sideris Heſperii cupidis in amoribus ignem.

Surge age, quid ceſſas? nitidiſſime veſper, Olympo,
Expectate diu, quid tollere lumina ceſſas?
Anne tibi furtim ardenti puer improbus arcu
Surripuit flammas? ipſe an colludis Amori?
Crudelesne iuvas Venerem procudere luſus?
Vt pariter caſto vivacem in pectore flammam
Funditus, atq; imis funalia fixa medullis
Exagites? Juveni ut moræ alant incendia triſtes?

Heu quoties toto mœrens expalluit ore,
Cùm ſua iam dubiis præbentem carbaſa ventis
Ire mari dominam, ac tenuis teneraſcere fili
Virgineam ſciret, ratis in vexamine, mentem!
Quantas corde preces, tacito quot Vota labello
Concipit, & cœli pacem pro navibus orat?

O qui fluctiſonum ſpumis candentibus, inquit,
Æquor agis, qui ferventes compeſcis arenas

Turbinibus captis, ſtratâq; æqualiter undâ,
Ventorum, Pelagiq; potens: qui Principis olim
Thariadæ famulum Genio duce direxiſti,
Cùm fuit ad tædas Bathuelis nata iugales
Accerſita domum: da flaminis aura ſecundi,
Obſtrictis aliis, proclives incitet undas,
Dimidiumq; mei pater ô pater optime ſerva,
Ut paribus te noſtra vocent præconia Votis,
Muneribusq; tuis ſobolis ventura propago,
Te colat, exiſtatq; diu, laudemq; ſequatur:
Sic ait, & longo ducit ſuſpiria tractu.

Ecce coronatæ Pelagi ſuper æquora puppes
Littoribus longè patriis Daniaq; relictis
Ibant Oceano in magno: ſonitusq; tubarum
Jam cano excierant è gurgite Neptuninas
Mirantes quid Celſa ſibi tot carbaſa vellent,
Armorumq; ingens ſtrepitus: quam flamine divam,
Tam placido comitans frænato equitaret in Euro
Ipſemet Hippotides, ac cunctum inſterneret æquor.

Pro ſe quæq; adeunt propius ſponſæq; carinam
Adnantes, mollem caſiæ, quem efflabat odorem,
Naribus accipiunt avidis: nova gaudia mentes
Exhilarant. ſtactæq; bonus capit halitus omnes.
At Regina loco, nitidi per tempora cœli,
Compoſita in ſublimi, ancillarum agmine circum
Virgineo illuſtri, promptiſq; ad iuſſa miniſtris:
Auro picta ſinus, auroq; & fulgida gemmis
Cæſariem, rutilanſq; ambas Conchylibus aures:
Molle cui alternis adamas flammanſq; pyropus

Memmonias ſpargunt inter multitia luces
Pileoli tres præcipuè plumaria ſubter
Texta micant gemmæ, variiſque coloribus ardent:
Quam rara ipſam hilaris commendat gratia formæ,
Sed pietas magis ac ſpecie mens pulchrior omni,
In ſe animis, in ſe toto Nereïdas ore
Verterat: illæ alacres pompam clamore ſecundo
Concelebrant, plauſuq́; fremunt, lætamq́; canentes
Alta Caledoniæ ducunt ad littora claſſem:
Horribiles donec furibundo fulmine bombos
Aera crepant, fractaſq́; ſoni ſtridoribus auras
Fulgura, & incenſo percurrunt fomite glandes,
Cum tonitru, quo ripa omnis, monteſq́; propinqui,
Arduaq́; Arcturi impulſis ſtrepuêre cavernis,
Et percuſſa imâ tremuerunt æquora arena;
Cæruleus fugit ille Chorus conterritus omnis
In latebras, penituſq́; cadens ſe mergit in undis.

Parte aliâ celſis Edinæ ex molibus arcis
Flammarum per inane globis fumoq́; volutis
Exululat cœlum, & crebris tonat ictibus æther,
Aëra per medium nitri ſtridente procella,
Miſſilibuſq́; pilis: tantus furor undiq́; flammæ eſt,
Vndiq́; terribile illiſa inter nubila murmur:
Ductilibuſq́; tubis iuvenes taratantara picti
Puppibus ex altis gravè vociferantur ad auras
In numerum, exanguiſq́; iterant ſimulachra duelli.

Ecce aliæ excipiunt veniunt, & læta precantes
Ore, oculis, animo, cunctiſq́; ex ordine nymphæ
Officiis cumulant Reginam, è ſanguine claro

Digitized by Google

Inter honoratas quotquot decus innuptarum,
Omnes purpureis, omnes albisq; roſarum
Et violis, & amaracinis benè olentibus aptæ
Aurum inter gemmasq; inter capita illuſtrantes
Pectoraq; & ſaturas Melibæo murice veſtes.

It portis rumore orto, miſcellaq; turbans
Scotia, ſpectantum campis vomit omnibus undam:
En tibi per montes de culminibusq; ruunt ſe
Agricolæ ad portus: alii lætantia curſim
Agmina conglomerant triviis & murmure circum
Omnia miſcentur vario: ſed lecta iuventus
Arma gerit, lento incedens ad tympana paſſu,
Plurimaq; ignivomum tormenta imitantia fulmen
Obicibus ruptis, raptaq; in ſulphure flammâ,
Impete diſplodens habili, ferit ætheraq; altis
Montesq;: Oceaniq; omnem ſtridoribus oram.
It rubeos vexilla ſinus. albasq; cruces pars
Facta decuſſatim criſpantibus explicat Euris:
Res animos tollit iuvenum, exultantiaq; haurit
Pectora Mavortis ſpecies. ſonitusq; remiſti.

Loricati equites, longoq; haſtilia ferro
Longa obliquantes, nigrisq; comantia tecti
Caſsidibus capita ac genuum tenus abdita fulti
Crura ocreis, late campos diſcurſibus implent.

Nobilitas alia de parte rotantibus auras
Vincit equis, celeriq; legens veſtigia raptu
Tollitur, ardeſcunt ſoleæ flammisq; tuentum
Caligant oculi: generoſo in pectore, laudis
Tantùm pollet honos, vincendiq; arduus ardor.

Ille alius campo in viridi, calcaribus aërem
Verſat equum, iam præceleri dans corpore gyros,
Inſultansvè ſolo, aut ſinuans glomeramine greſſus:
Iam levia excuſsis iaculans veſtigia plantis,
Ultima corripuit ſpatia & plaudentibus ecce
Suſpenſisq́; eadem pedibus legere æquora cogit:
Pullus inardeſcit monitis, inſigniaq́; alta
Indolis argumenta feris è naribus ignem
Torquet agens, denſisq́; humectat pectora ſpumis.

Feſtinum intereà, liquidoq́; Cupidine Regem
Virginis ardentem, phaleris ornatus & auro
Fert ſonipes dominiq́; ferox teſtatur amorem:
Qualis ubi Eoos fluctus, Gangisq́; fluenta
Deſerit, ac rutulis noſtrum fulgoribus Orbem
Irradians, nitidæ egregiis reſplendet Apollo
Luminibus formæ, & fulvo crinem implicat auro,
Addens lilia prima, & odoris balſama thyrſis:
Cui chlamys ex humero gemmantibus aurea limbis
Fulgurat, illicitoq́; tenens præſtringit ocellos:
Vel cum præcipitans prono quatit impete currum,
Curriculiq́; vices, & tempora dividit orbis:
Talem ſeſe illo Rex tempore præbuit, omnes
Ante alios longè pulcherrimus: agmina iungunt
Purpurei quotquot Comites, longo ordine primi
Scotorum: Veluti illuſtris per compita cœli,
Tres Phœbum anteeunt, totidémque ſequuntur O-
vantem
Magnifici primiq́; Duces: pars nobilitatis

Cætera ſtellantis pro munere pro libitoq́;
Solis, habet lucem, iuſſoq́; capeſſit honores.

Jam Danicis ierant pleriq́; à navibus omnes
Magnaq́; quos miſit Germania Legatorum
Inſignis numerus: Niveæ iam frena quadrigæ
Ore fremunt, duris crepitat ſub dentibus aurum,
En iuba iactatis ventos cervicibus implens
Sanguineis ebuli ſe ventilat ebria baccis:
Subiectántque, cavántque ſolum: impulſuque remugit
Stagna per & montes crebris hinnitibus æther:
Verſicolor frontes ſuperà dat plumea motus
Congeries, ruſſamq́; ſuper ſimul edita, caudam:
Pectora luxuriant phaleris, & pinguia terga:
Admirandi operis carpento iunxerat aureo
Quadriiuges auriga feros, ubi maxima fabrûm
Vincitur ars pretiis rerum maioribus: & ſe,
Plurima per currus pulcherrima fundit imago.

Provehitur tandem magnâ ſtipante catervâ
Nobilium: flos virgineus, matresq́; ſequuntur
Penſilibus pars pilentis: pars ducere frenos,
Impoſitæ dorſo, atq́; equitem compeſcere virgâ:
Lætitia ante viam præſpargens floribus omnem
Juncta cupidinibus, claros cit in æthere cantus?
Remigibusq́; alis currum ſuper impendentes
Hinc Venus, hinc Juno, tacitis quæ genia tædis
Gaudia diffundunt, liquidaq́; incendia flammâ
Nulli viſa alii, tremulo ſub pectore vertunt
Virgineo, ſtimulis agitant ſubtilibus ignem.

Obvius

Obvius intereà toto iam flammeus ore
Regius enituit iuvenis, cupidoq; labellis
Virgineis ore infuſus, ſolatia mentis
Prima capit. ſolidumq; ardens inſanit amorem.

O Charites, blandisq; puer promptiſſime telis,
Quam citò, quam cæcis, placidi decor aureus oris,
Gratiaq; è roſeis, Regem, blandita labellis,
Icit agens iaculis, conceptumq; eruit ignem!
Gratia: quæ in gremii complexibus heroinam
Dulcibus eduxit, formæque inſignis honorem
Vultibus aſpirans. mores quoq; finxit ad unguem.
Flexanimos blandâ Charitum dulcedine nutus
Virginis eminulos oculis! quæq; acta vi ili
Tela ſupercilio occulti iaculantur Amores!
Non ita ſuffuſos iniecta exaſperat ignes
Pallas: & in vivâ, tactis expergita venis
Calce infervescit, ſtridensq; ebullit aquæ vis:
Quanta ſub amborum medio ſe pectore movit
Æſtus flamma avidi, præquam prius uſſerat ambos:
Ambo igni micuêre novo: attonitisq; bibêre
Mutuum amorem oculis: Veluti Iunonia quondam
Solis ad aſpectum adverſis, percuſſa colores
Mille trahit radiis, largasq; aſperginis haurit
Iris aquas, ſubeunt acti fervoribus imbres:

Sic deſiderii tragulâ perfixus, & horæ
Impatiens, molliq; animum Rex vulnere victus
Vertit iter, cum Pïëriis à montibus omnes,
Tempora diſtinctis evincta floribus aſſunt
Ecce Heliconiades: quarum quæ conſcia cœlo

Sentit Apollineas laurus, menteſq; deorum
Vranie, parat ore preces, ac talia fatur:

O qui magnanimos Deus inuictiſſime Reges
Æternis regis imperiis: da ſideris almi
Luminibus fauſtis tædas fulgêre iugales,
Heſperus aſpiciat veniens, ſanctoq; Hymenæus
Fœdere concordes animos & amoribus aptos
Conciliet: metuenſq; mori ſe gloria tollat
Perpetis auſpicio famæ: da dicere iura,
Iuris ad exemplum ſuperi, ciuilia Regem
Vt decus ad patriæ, certam ad patriæq; ſalutem
Legibus inuictis regni moderetur habenas.
Pauperibuſq; tuis facilem bonus arrigat aurem,
Voce ſuos quoties rumpet patientia queſtus,
Iuſtificoq; nouas incidat iudice lites.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Per iuga, per ſaltus, per amœna ſilentia ruris
Oppidaq; & vicos, facili pax mellea voto
Intrepidos beet indigenas, & alumna quietis
Iuſtitia intonſos nemorum viridaria colles
Læta colat: Vim pauperibus fraudemq; potentum
Viuida defendat, rabiemq; infringat & iras.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinere ſorores.

Illius egregias laudes præſentibus æui
Venturiſq; canat ſpatiis, quoſcunq; renaſcens
Mane nouo, quos denaſcens lux Veſpere ſero
Contuitur: dum clara diem vehit orbita Solis,
Cynthiaq; ambroſiæ præpandet lumina nocti.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Aurea quas liquit terras Aſtræa reviſat
Mœſtitiaq; graves relevet: velut ignibus ater
Sirius æſtiferis agros cum cum findit hiantes,
Imbribus augeſcunt ſegetes, morientiaq; herbæ
Seminia inſtaurant foliis. ſi coniugis æther
Impluit in læta gremium, fœcundaq; cœli
Copia rorantis ſubſedit ad uſq; mamillas.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Hoc rerum potiente, & ius, & floreat æquum,
Floreat innocuæ divina libentia pacis,
Copiaq;, & tremulæ ſcatebris huberrimus undæ
Fons pede natus equi, liquido qui flumine noſtros
Semper alat, recreetq; ſacris in montibus hortos.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Dives opum geminis nec tota Britannia ſceptris
Finiat Imperium: Oceani ſed Hybernia in undis;
Qua ſe cunq; ferox, zephyri ſpiracula verſus
Porrigit: indomitasq; obiens quas gurgite Nereus
Implicat Eubenias: Druydumq; ſedilia, Monam:
Quæq; Lycaonium ſuſpectant Orcades ignem,
Inſulæ in Oceano magno, quam flatibus ingens
Vexat Hyperboreis Aquilo proruptus ab antris:
Illius hæc. minimum dominas parentia leges,
Extimeant. nomenq; pio venerentur amore.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Auxilii ille inopes; curisq; ingentibus ægros
Leni animo, patriiq; omnes dulcedine vultus,
Et diis alloquiis recreabit mollibus oris:
At fortunarum diſcrimine circumventos;

Fœnoris

Fœnoris abſolvet: dextraq́; levabit, egenum:
Tanquam autem vili imbecillæ ſanguine plebis
Nullus abutetur: longam ergo vivere vitam
Fata ſinant, pulchræq́; genus ſuboleſcere prolis.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Terra per aërios ventoſa cacumina montes
Iam denſis ſegetum crepitet percuſſa flagellis,
Quàm gravis aſſiduo Grampi iuga murmure ventus
Summa ferit, quantaq́; horrens canit arbore Lennox:
Plurima ſuppeditet veterinæ ſemina gentis
Fœta Caledoniis paſſim pecuaria villis:
Ditia ſe reſerent nitidos terræ inter hiatus
Auriq́;, argentiq́;, ærisq́; cubilia flavi,
Plumbeaq́; & vivo fumantia tecta metallo.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Frugiferos colles, & amœni compita ruris,
Vrbanasq́; vias, impuberis agmina turbæ
Concelebrent; cumuletq́; patres pax prole beatos:
Læta velut riguis imbri ſe gramina campis
Subiiciunt, gratoq́; auras flos ſuffit odore
Quà violæ & galii, quaq́; iridis & ſaliunca.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinêre ſorores.

Hos tales Rex ille dies: hæc talia genti
Spondet fata ſuæ: Aonio nam mater ab antro
Mnemoſyne dedit augurium: lævaq́; coruſcant
Ecce Dionei liquidis è nubibus ignes.
Illius ergo omnis virtutes audiet ætas,
Egregiamq́; animi, laudum in certamine, mentem
Fama feret; magna ingenii dabit Orgia nobis,

Scotia quo bellax animos, quo ſancta verendum
Relligio caput attollit, Princepsq; ſenatus
Iuſtitia invictis adſtringet compedibus vim
Sævam animis, nimioq; manus (heu) ſanguine tinctam.
Qui leges Scotis patrias, rectumq; piumq;
Reſtituet: qui mœrentes ad priſtina Muſas
Præmia longinquis volet è contemptibus ire.
Sic canit: aſſenſæ pariter cecinere ſorores,
Et felix cythara firmavit Cynthius omen.
Talibus atq; aliis connubia pangere verbis,
Plectraq; divinis hilares genialia Muſæ
Stringere certabant digitis: ſe namq; ſolentes
Ad Iunonis agunt, Veneriq; hymenæia ſancta
Dona ferunt, ſuaviq; adolent pulvinar odore,
Stat ſua ubi pietas, & honoribus ara vireſcit
Indelibatis, florum perennibus auris.

IN NUPTIAS

FRIDERICI V. ELECTORIS PALATINI, NUNC REGIS BOHEMIÆ, &c.

CVM

SERENISSIMA ELISATHA, JACOBI I. MAGNI BRITANNIARUM Regis, &c. FILIA.

JULIUS *Cæſar petivit iam ſenex Britaniam*
Multas inde margaritas ut referret ad ſuos.
Et plureis quidem, aſt puſillas decoloresq;, aureo
In Genitoris ſacello dedicavit Cypridos,
Non voluptati uſuiq; ævo futuras poſtumo:
Vsq; at Vsq; Aranearum ſordidandas caſſibus
Alitumq;, Glyriumq;, Muriumq; ſtercore.
Quantò cautius Britannos, annis vix virilibus
FRIDERICUS *Palatinus viſitavit? indeq;*
Non magnum quidem reportat margaritarum chaos
Veram at unicamq;, quæ ſuæ haud modo Britanniæ,

Univerſos uniones pondere, orbe, corpore,
Sed lævore, ſed candore, cunctos Orbis provocet?
Unam at unicamq;, quæ ſuæ haud modo Britanniæ,
Sed Germaniæ univerſæ, imo Orbi utriq; plurimos
Maſculinos, fœmininos Uniones proferet:
Tam diu ſacros honore, amore tam diu ſacros,
Quam diu hoc globo manebit ulla gens mortalium,
Uniones ſacro honore, ſacro amore quæ colet.

JANUS GRUTERUS.

ALIA
EPIGRAMMATA
VOTIVA

PALATINO-BRITANNICA.

Quæ Debitæ Devotionis ergo recenſuit

JANUS CHUNRADUS RHUMELIUS
PHILOSOPHUS MEDICUS.

ANAGRAMMA

Ex Pſalmi XCII. Verſu XIII.

JUSTUS UT PALMA FLOREBIT: SICUT CEDRUS LIBANI multiplicabitur.

FRIDERICUS PALATINUS ELITSABBET MULTIPLICABITUR MUTUO lucis.

ASpice, quiſquis eris, quæ ſit Fortuna piorum
In Thalamo? multum Diſſenſitatis habent.

Coniungunt alios denſâ caligine Noctes
Atq; illegitimo fœdere cœcus Hymen.
Ipſe PALATINUS FRIDERICUS *Luce paterni*
Nominis illuſtris, Gloria prima ducum;
Atq; ELITSABBET *de ſanguine Virgo Britanno*
Regia, JACOBI *Delicium una Patris*
Luce ſacroſancti coniungunt fœdera Verbi,
Et purâ veræ Relligionis ope:
Illorum hinc proles quoq; MULTIPLICABITUR, *uſu*
LUCIS, *ubi vivet* MUTUO *Amoris Amor.*

I.

PALMA SEMPER VIRENS.

ÆStivo veluti & Brumali tempore ſemper
Vivacis folii tegmine Palma viret:
Sic FRIDRICUS, *ſic quoq;* ELISA *Britanna virebunt*
Vivaci thalami palmite prolipari.

II.

PALMA DVRABILIS.

SYlvifragis velut haut palma eſt obnoxia flabris
Terricrepas ſpernens inviolata minas:
Sic quoq; FRIDRICUS, *ſua ſic &* ELISA *malorum*
Turbinibus frangi neſcia corda gerunt.

III.

PALMA RENITENS.

COntrà onus impoſitum velut inclinata reſurgit
Palma, erecta ſuo & nititur eſſe loco:
Sic etiam perſtat FRIDRICVS, perſtat ELISA
Dum ſceptri. Gravitas Marte vel arte premit.

IV.

PALMA GAVDENS AQVIS.

SIcut aquis gaudet, fontali & frigore pleta
Luxuriat viridi Palma ſuperba comâ:
Sic etiam quærit FRIDRICVS, quærit ELISA
Fontem qui accenſas diluat amne faces.

V.

PALMA ALTITVDINE EXCELLENS.

ARboreos vincit ſublimi vertice fœtus
Procero & cœlos ſtipite Palma ferit:
Sicquoq; FRIDRICVS vincit, ſic vincit ELISA
Hoſtes: Auxilium cœlitus omne venit.

Digitized by Google

VI.

PALMA PARI LÆTA.

EN geminas tumido ut diviſas æquore Palmas
Coniungat flexo germine verus Amor:
Fluctibus oceani ſic pectora Bina diremta
Coniunxit nexu Relligionis Amor.

VII.

PALMA MEDICA.

PAlma velut fructus fert dulci fœta ſapore
Exſuccis confert atq; alimenta viris:
Sic feret illuſtri prædulceis germine ELISA
Proles, FRIDRICO *dans alimenta ſuo.*

IIX.

PALMA VICTORIÆ INDEX.

IN certaminibus VICTORI *inſigne Trophæi*
Symbolon accepti FLORIDA PALMA *datur.*
Quid nî poſt totidem ſuperata pericula Ponti
Debita ſit noſtro PALMA BRITANNA *Duci?*

I.

CEDRVS RECTA.

SIcut ad aſtra comas intonſo vertice Cedrus
Procero attollit robore recta ſuas:
Sic recto aſſurgens DOCTRINÆ *robore* ELISA
Cœleſtis veram invenit ad aſtram viam.

II.

CEDRVS INCORRUPTA.

CEdrus nec cariem ſentit nec cruda ſenectam,
A tineis tutos ſervat & uncta libros:
Sic quoq; non Gloſſæ Putredine fœtet ELISA
Integra ſed ſervat pectore verba DEI.

III.

CEDRVS FLORIFERA FRUCTIPARA.

UT CEDRUS *nunquam fructum fert vivida flore:*
Contra edens fructum turgida flore caret:
Sic florens VIRGO *ſine fructu eſt cognita* ELISA:
Nunc fructum MATER *nec ſine flore dabit.*

ETEOSTICHON.

ECCe PaLatInVs FrIDrICCVs & ELſa BrItanna
IVngVntVr DeXtrIs LætIVs VſqVe ſVIs.

FOELICITAS CONFECTI ITINERIS.

COnſilium Prudens, occaſio commoda; fœlix
Eventus; patriæ SOL FRIDERICE *tuæ*
Teſtantur Tecum per publica vota vocatum
Undiq; præſentem fuſa fuiſſe DEUM.
Seu TE *Navigio abriperet violentior Eurus*
Per freta fluctivomi turgidiora maris;
Sive ſolo Hoſtiles tranſires fortior urbes
Invidi âgeſtis inferiore Tuis:
Nunc lætâ repetis Regales mente Penateis,
In medioque aulæ limite ſoſpes agis.
t TE *ſubſequitur non lento* REGIA *paſſu*
CONIUX, *quæ eſt animi Portio fida Tui:*
Hinc TIBI *gratantur de fauſto cuncta receptu,*
Quæ gremio cœlum protegit uſq; ſuo:
RELIGIO *ipſa Choro* TIBI *vitæ prorogat uſum,*
Et THEMIS *alma* FORO, FERTILITASQUE TORO!

CONSTANTIA CONJUGII.

ECce Palatinum SOLEM LUNAMQUE *Britannam*
Unanimi iunctos fœdere ferre gradum.

Quos

Quos hinc atq; illinc Adamantinus Annulus ambit,
Et Gemina æterno pectora fune ligat:
Inter eos hinc perpetui Conſtantia Amoris
Perpes erit: dum Sol Lunaregentq; Polum.

NOMEN BENE OMINATUM SPONSI ET SPONSÆ.

MAgna triumfales Victori condidit arcus
Roma, cui fuſo ſanguine Palma ſtetit:
Purpureo Niveum ſine ſanguine, Terra, Triumfum
Æternă ſpondet, Bavara, ſorte ſibi
Auſpiciis FRIDERICE *Tuis & dulcis* ELISÆ
Omen enim Magnum Nomen utrinq; tenet.
Tu Dives Pacis diffundes undiq; largo
Æternæ largas munere Pacis opes:
ILLA *immortalem Domino moderante quietem*
Afferet & terris otia juſta Tuis.
Fœlicem Populum, cui contigit omine eodem
Pace Beata ſalus, plena ſalute quies.

MAJESTAS SPONSI.

LAurus, Relligio, Pietas, Pax optima rerum
FRIDRICI *quatuor, quæ tenuêre Bona,*
Sub quorum Imperiis Auguſta Palatia Rheni
Floruerant olim, magna Foro, alma choro:
In TE *macte animi Princeps* FRIDERICE *refulgent*
Omnia coniunctim, priva cuiq; prius.

Hinc TIBI *ſubmittit ſeſe Victoria Primi,*
Alterius florens Relligioq; manu.
Et Pietas communis AVO, *his ſuccurrere gnara,*
Quos Pietas Patriis fecit abeſſe focis
Pacifici atq; Patris mens, quem quoq; voce fatetur
Plenâ poſt cineres NATIO *noſtra Patrem.*
Hinc TI *poſt quatuor* QVINTI *cognomine Laurus*
Relligio, Pietas, Pax proba, iure vocant.

ANAGRAMMA.

FRIDERICVS QVINTVS.

TVNS: QVI FIDE CVRRIS.

TVNS: QVI *Priſcorum necquicquam indignus Avorum,*
Sincerâ hoc Conſtans CVRRIS *in orbe* FIDE?
Macte animo hoc magno Princeps, ſic itur ad aſtra:
Quò non vis penetrat, quit penetrare FIDES.

ANA-

ANAGRAMMA

ELISABETA

I BEA TALES,

BEATA SILE-

SObria Spes, vinctâ tùm muta ſilentia Linguâ
Si ſacra quid verant Grammata, iuncta beant
Viribus invictis, immani & robore, contrà
Vim Sathanæ, Inſidias Carnis, & arma Erebi:
Tu verò omnigenæ Felix virtutis ELISA
Verâ armata Fide cuncta pericla fugas!
I quacunq; Fides Duce Spe TE *ducit euntem:*
I TALESque BEA *prole!* BEATA SILE!

BEATITUDO

CONJUGII.

QVis non has dicat fœlices eſſe Kalendas
Quæ vivâ ſtrenâ TE FRIDERICE *beant?*
Sic Fœcunda parit Pax: Pacem ſtirpis Alumnam
Nunquam ô pacis ab hac migret oliva Domo.

FRI-

FRIDERICI HENRICI NATIVITAS.

QVI primis annis geminorum Nomen Avorum
Principis hinc, illinc Nobile Regis habes!
Quid devota TIBI ſperemus Nomina de TE?
Quorum pro TE ſunt vota dicata DEO.
Scilicet ingenio Maieſtas Pacis amanti
Regia mixta, Aulam vi decorabit opum!

FRIDERICI QVINTI PROFECTIO AD SUPERIOREM BOJARIAM, QVAM ARDENTIBUS votis expetimus.

ADventu FRIDERICE Tuo Boiaria noſtra
Lætitiâ & Pauſu Tota ſoluta fremet.
Porriget & devota TIBI Calamum Gladiumq́;
His donis ſperans proſpera cuncta datis:
Si dextrè utaris, ceu de TE publica ſpes eſt;
Conſiliis Calamo, iudiciis Gladio!

Digitized by Google

VOTVM PRO SALVTE PRINCIPIS.

OLim habuit vanus Divûm ſua tempora cultus;
Nunc ſua Relligio Tempora vera tenet:
Tu FRIDERICE DEI cultum modò QVINTE ſecunda!
Vive piè ſuperis;! Vive diu Populo!

VOTUM ALIUD.

CVm Poteris REX eſſe Tui FRIDERICE, tenebis
Omnia, ſervitii nec patiêre iugum!

ETEOSTICHON CONTINENS ANNORVM NATALEM.

FRIDERICI HENRICI PALATINI.

ECCe noVæ reDeVnt ChrIſto aſpirante CaLenDæ:
SteLLa PaLatInâ Gente ſerena nItet.

PRO EODEM VOTUM.

ANnoſo veluti de Lauri ſtipite Ramus
Naſcitur & virides explicat indè comas:
Sic quoq; ab Heroüm priſcorum ſanguine avito
HENRICE enaſci TE FRIDERICE vident.
Vive DEO, Patriæ, Gemino quoque vive Parenti!
Lauriq; annoſa ſecula ſoſpes age!

Digitized by Google

HYMENÆVS PALATINO-BRITANNICUS

SACER NVPTIIS XVI KAL. MARTII Witthaliæ in Angliâ factis

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC D. D. FRIDERICI V. COMITIS Palatini ad Rhenum Ducis Bavariæ & S S. Romani Imperii Archidapiferi Septemviri.

ATQVE

SERENISSIMÆ ET GLORIOSISSIMÆ PRINCIPIS VIRGINIS AC DOMINÆ ELISABETHÆ Magni Magnæ Britanniæ Regis invictiſſimi Filiæ unicæ, Decantatus à

JANO CHVNRADO RHVMELIO Philoſopho Medico.

J*Vngitur auſpiciis* CHRISTO *Aſpirante ſecundis*
R E G I A *Germano Virgo Britanna Duci:*
Virgo Bonis Animi, Fortunæ, Corporis, aucta
Prima puellaris Parte Corona chori.

EN-

ENDOPERATORVM Dux priſco ſanguine cretus
    Et Virtute ſuâ & Relligione potens.
Tàm benè non Nardo miſcentur Cinnama odoræ,
    Quàm bene FRIDRICO nubſit ELISA ſuo.
Magnus hic ingenio, maior virtutibus, almam
    Cui iunxit PIETAS maxima ſorte Fidem.
Doctus Hic & varias linguas cognovit & artes,
    Publica queîs rerum nata vigere ſalus.
Aptus Hic ad Sceptrum, ſummam ſapientia laudem
    Cui creat, & Leges dictat Honora Themis.
Corporis Harmoniâ excellit pulcrâq; Figurâ
    Membrorum & ſano corpore ſanus agit.
Cæſareâ Auguſtus (quod rarum!) gente ſuperbit
    Illuſtri & fortes Marte recenſet AVOS.
Romani Imperii titulis SEPTEMVIR HIC audit
    Appellare potens maximum in orbe Caput.
Stirpe PALATINVS famâ virtutis, avitâ
    Quâ non Germano maior in orbe Domus.
Auraici Mater dat Huic quóq; ſanguinis ortum
    Qui Hiſpano neſcit ſubdere colla iugo.
Vitiferos colles ac lætos ubere campos
    Poſſidet, immenſas & Regionis opes.
Hic quod Sol terræ, noſtris quoq; habetur in oris
    Quo ſine RES tenebras Publica clade trahit.
Nam velut obſequii ſolidum Sol præſtat Honorem
    Immenſo qui ſe & condidit omne DEO.
Sic quoq; FRIDRICVS noſter cum lumine primo
    Conſilii luſtrat luce micante forum.
Vt Sol cum liquit croceos Aurora penates
    Surgit, & aurato lumine luſtrat humum:

Ut SOL ſincerâ maculæ expers fronte nocentis
Os nitidum oſtendit ſtelligerente globo:
Sic etiam noſter FRIDRICUS ſpargit amoris
Igniculos caſti, reiicit & fatuos.
Ut SOL in terras cœlo demittit ab alto
Splendorem, haut humiles deſpicit atq; caſas:
Sic noſter ſibi commiſſum ditione popellum
FRIDRICUS placido ceu Pater ore regit.
Ut radiis ſparſis nebuloſa tegmina nubis
Sol fugat, atq; atro Nubila tetra polo.
Sic clades Noſter cunctas regionibus arcet,
Et præſtans Hoſtes Marte vel arte fugat.
Ut SOL auricomo depromit ab ore Calores,
Qui ſata conſtantes molliter arva fovent:
Sic quoq; noſter agit, quò ſubdita Turba, Senatus
Curia, Templa, Scholæ, fota calore ſient.
Ut SOL Lucis opes immenſas fœnerat aſtris
Et fulgore ſuo quæq; nitêre facit:
Sic Noſter nobis (quid non voveamus amantes?)
Illuſtris ſobolis munera multa dabit.
Ut SOL fœturam cunctis gignentibus affert,
Et fruges vivens edere quoq; ſuas:
Sic mixturam animæ faciens, quoq; noſter ELISÆ
Fructiparæ Matris Nomen habere dabit.
Vndè PALATINÆ non ultima Gloria Genti
Surget & implebit Solis utramq; Domum.
Exorere auricomâ nunc SOL nitidiſſime Luce!
Atq; Britannorum verre calore Solum:
Inſignis Gemmis auro & fulgente corona
Hinc TIBI per Leges non aliundè datur.

In quâ ſcintillis Adamas effulget Eöis
Quem nec ferrum nec vincere flamma poteſt.
Scilicet Hoc Pietas, Spes, & Patientia conſtat
Obſequiumq́ erga TE FRIDERICE probum.
Seu læva excurrat lacrymas ſeu Gaudia læta
Sors faciat: conſtans Gemma favoris erit.
Hunc Indis ſequitur nitidiſſima Linea conchis
Edita, quâ niveus fulget in ore pudor.
Solertis Magnes cui iunctus ſedulitatis
Quâ variis opibus floret, Honora Domus.
Cæruleo Heic videas etiam fulgere colore
Sapphyrum ardentes ex Pietate Preces,
Quæ ſummi Penetrant ſublimes Nubila cœli
Hinc triſtis pretium & dulce Laboris habent.
Has inter miſcet gemmas flammam ipſe Pyropus
Quo radiat ſancto flamine fultus amor.
Proximus huic viridi ſubſiſtit Luce Smaragdus
Caſti declarans fœdera caſta Tori.
Quis TE fœlicem non æſtimet ô FRIDERICE?
Cui tantis Gemmis fœta corona datur!
Quis TE fœlicem modò non appellet ELISA!
Virtutum radiis SOL cui mactus adeſt!
SOL ex ſe plures promat læto augmine Soles,
Et patrios foveat Lumine plenus agros!
Ex ſeſe fundat pluresq́ Corona Coronas,
Et pariat noſtro Gemmea ſecla Solo!

FPI-

PITHALAMIA
IN CONIUGIUM
HENRICI IIX.
ANGLIÆ ET FRAN-CIÆ REGIS. *ET*
ANNÆ JVLIACENSIS.

PHœbe fave, dixi, paulò maiora profeſſis
Ordior, Heroo carmine dexter ades.
Riſit, & accedens ut erat cum fratre, Dione,
Suſcipis ingenio grandius, inquit, onus.
Quid tibi cum Phœbo connubia læta canenti?
Si neſcis, operæ res erat iſta meæ.
Ipſe, neges quamvis, gaudes magis impare verſu,
Noſtraq́; quo ſcribi carmine regna ſolent.
Scis Dea reſpondi de carmine, ſi tamen iſtud
Ex aliqua dignum parte favore tuo eſt.
Non tibi tam cupiam, quamvis tua ſpicula nôrim,
Acceptum fratri quàm retuliſſe tuo:
Illa ſub hæc: celebres Regum canat ille triumphos,
Si quid & Heröo grandius ore poteſt.
Gaudia certè Elegis, Elegis ſcribuntur amores;
Laſcivi dicor mater Amoris ego.
Me vocat ad thalamos qui gaudia ſcribit amantûm:
Me vocat ad clauſas mœſta Elegia fores.

Mos pro teſte mihi eſt; niſi me preſente, iugales
Igne carent tædæ, me ſine friget amor.
Et niſi quæ noſtro ſacrata eſt numine, debet
Nulla maritalem ſponſa ſubire torum.
Parce Venus, retuli. non ſunt tua numina tanti,
Coniugium pietas hoc facit eſſe ſacrum.
Huius ad aſpectum palles puto. pallet & ille
Omnia quo nato te ſuperare putas.
Plura locuturo diſces mea numina, diſces:
Nec plura irato reddidit ore mihi.
Stabat Amor propter pharetra ſuccinctus, & arcu
Infeſta quatiens ignea tela manu.
In me ne iaceret fateor ſua tela timebam;
Tela ſed hæc numen, quod prohiberet, erat.
Virgo procul placidum ſtabat pulcherrima vultum,
Protinus ex vultu conſtitit eſſe Deam.
Candida veſtibant victrices tempora lauri,
Numen in inceſſu, numen in ore fuit:
Candida ſed ſimplex, qui fecit & omnia ſervat,
Picta creatoris nomine veſtis erat.
Ipſe ego dum tantam mecum conſidero formam;
Sum Pietas. inquit, fida miniſtra Dei.
Protinus aſpecta Pietate receſſit uterq;:
Facta nova nituit ſplendida luce domus.
Illa facem dextra retinens. & flammea læua
Extulit imparibus talia verba modis:
Ipſa toris præſum, connubia iungere noſtrum eſt,
Officio hoc fungor præcipiente Deo.
His ego ſat monitus, tenues dum pondero vires,
Imparibus ſubeunt verba ligata modis.

Nunc

Digitized by Google

Nunc age Rex regum ditiſſime, ſeu bona ſortis
Corporis, atq; animi ſeu numerare velis;
Ecquid ut agnoſcis pia nomina virginis huius,
Sanciat hæc dicis fœdera noſtra, Venus.
Conſecrat illa tibi fœlicis fœderis ignes,
Quàm ſis cura Deo Rex generoſe vide.
Vt Deus inſtituit diverſi hæc vincula ſexus,
Atq; opus hoc ipſum cenſuit eſſe pium:
Sic nec coniugium curat, nec provehit ullum,
Auſpicium quòd non à pietate capit.
Illius auſpicio tibi proſpera fata precamur,
Et canimus thalamis fœdera ſancta tuis,
Hanc tibi coniugio generoſam ut iungeret Annam
Quàm multas uni poſtpoſuiſſe putas?
Noverat ornatam virtutibus omnibus Annam,
Atq; ſui rarum temporis eſſe decus:
Noverat & regem te dotibus omnibus auctum,
Quæ reges faciunt proxima membra Deo;
Cordibus inde pium veſtris inſevit amorem,
Et iunxit ſtabili pectora veſtra fide.
Tam bene conveniunt non ipſis vitibus vlmi,
Tam bene non Smilax ambit: amatq; Crocum:
Quàm bene iuncta tuis formoſa amplexibus Anna
In thalamos adfert omnia læta tuos.
Quantum aurora diem, quantum ornat Cynthia noctē:
Tantum ornat thalamos tam pia nupta tuos.
Accipe Rex igitur tantam inviĉtiſſime nuptam;
Quæ te non alio coniuge digna fuit.
Accipe coniugio tibi quam Deus obtulit Annam,
Quaq; tibi obtulerit conditione, vide.

Divinæ formæ primos ſimulacra parentes
Cum Deus e flava compoſuiſſet humo:
Iamq́; daret leges, & agenda munia vitæ,
Sanciretq́; novi fœdera certa tori:
Prima tamen, dixit, divinum agnoſcere cultum
Cura ſit, & puro pectore noſſe Deum.
Nunc quoq́; ut hanc curam mortali poſcit ab omni:
Sic primam in ſummis regibus eſſe iubet;
Qui dare iura aliis & ſanctas condere leges,
Exemplum & debent omnibus eſſe piis.
Iam nova principiis facies concreuerat orbis.
Inq́; ſuis florens gratia rebus erat.
Ipſe ſua mundus ſub pubertate vigebat,
Omneq́; lætitia luxuriabat opus,
Progeniesq́; ſuas animantia producebant,
Fœmina nec ſterilis, mas erat ullus iners.
Nec ceſſarat Adam proli ſuper addere prolem,
Inq́; ſuo miles munere fortis erat:
Iam nova quærebat ſubeunti nomina proli,
Iam natos numero rettulit Eva ſuos:
Iam quantum ſobolem, tantùm increbreſcere curas
Ingemuit triſti plena dolore parens.
Vix tria luſtra ierant puerilia tempora mundi,
Orta bis octavi tempora veris erant:
Infandum memori verſans ſub pectore lapſum
Sæpe viro invito triſtis Adamis erat.
Sæpe avibus circum, brutisq́; dolentibus unà
Audita eſt miſera talia voce queri.
Nata mori, longæ quid adhuc traho tædia vitæ,
Lenta trahunt aliquam cur mea fata moram?

Tam temerè æternam quæ amiſi ſtulta ſalutem,
Supplicii æterni digna dolore ſui.
Cur veniam merui, cur poſt errata nephanda
Me non extinctam flava recepit humus?
Sicne ego luce fruar, pariam ut mea pignora morti?
Hei potius nulli flebilis opto mori.
Cùm ſubit illius mihi deceptoris imago,
Præbuit infeſto qui mihi poma dolo:
Incidit horrendi quoties mihi mentio lapſus,
Perdita tunc dubito, ſoſpes an eſſe velim.
Aſpicio quoties numeroſi germina partus,
Omnia ſunt oculis plena dolore meis.
Hei mihi qualis erit facies poſt ſæcula rerum:
Acceptum ſervant vix tria luſtra decus.
Tota perhorreſco, quoties mea fata revolvens,
Cogito de ſobolis poſteritate mea:
Quis dabit huic certas animorum vincula leges,
Quis morum cenſor, quis reprehenſor erit?
Iam diſcunt ſimulata loqui, iam nectere fraudes,
Nec modicè monitus pignora noſtra ferunt:
Et tanquam nequeant ſatis hæc adferre doloris,
Accedit miſeræ maxima cura Cain.
Eventu careant, fallantq; ea ſomnia ſenſus,
Quæ ſoleo media ſæpe videre die.
Fallar, & hoc omen celeres labatur in auras;
Impinget generi dedecus ille ſuo.
Omnia quæ tamen hæc moneat ſuperanda ferendo,
Ponitur in ſolo ſpes mea fixa Deo.
Tu Deus hanc nobis vitam, mentemq; dediſti,
Munera, quæ mentis ſunt ſimulacra tuæ.

Tu mihi promiſſo relevabis ſemine culpam,
Et pietate tua crimina noſtra premes.
Tu dabis imperii formam, ſanctumq; ſenatum,
Tu facies populis iura, ducesq; tuis.
Hæc etenim memini te nomina dicere nobis,
Cùm tua dixiſſet, Creſcite, lingua potens.
Creſcimus : ipſe tamen vires creſcentibus addas:
Ne ceſſante tua deficiamus ope.
Talibus orabat votis operata pudicis,
Confirmans ſola pectora mœſta fide.
Audiit iſta Deus, nec ſe immemor eſſe parentem:
(Ah ubi non meminit ſe Deus eſſe patrem?)
Subiectas ſtatuit cœlis inviſere terras,
Cordaq; pollicito mæſta levare ſono.
Feſtus erat celebris ventura luce futurus,
Qui ſolet à ſexto ſeptimus eſſe Die.
Craſtina fixurus montanas prandia damas
Alta pharetratus teſqua petebat Adam.
Eva domi interea ſua pignora pectit, & ornat,
Ad ſacra placando ritè ferenda Deo.
Iam labente die, nec enim dum laverat omnes,
Vicini ut peteret gurgitis ibat aquas:
Cùm Deus, ingrediens medii per devia campi,
Tendit ad herboſæ tegmina parva caſæ.
Hoſpitis adventu turbata receſſit Adamis,
Cauſſaq; lætitiæ miſta timore fuit.
Nec mora, verſo intra quos laverat, ordine ſiſtit,
Quaq; Deum accipiant relligione, docet.
At reliquum vulgus, quod adhuc ſqualebat, & ora
Horrebat multo pulverulenta ſitu:

In fæ-

Infœno, & ſparſæ ſtipulis abſcondit avenæ,
Et iubet ad vultum delituiſſe Dei.
Iam Deus ingreditur fumoſi limina tecti,
Angelus huic comites vnus & alter erant.
Excipit amplexu vultu teſtata pudorem,
Et præſente Deo pulchrior Eva fuit.
Pone; ut erant iuſſi, ſubeuntes ordine nati
Excipiunt flexo poplite quiſq; Deum.
Ille dat & dextram teneris, dat & oſcula natis,
Et placido humanum conſecrat ore genus.
Aſſidet hinc matri: lacrymis ea ſqualida fuſis
Effari potuit nil niſi, parce Deus.
Parcere ſe retulit: nec quenquam perdere velle,
Pectore qui veniam non dubitante petat:
Et ſic ut ipſorum meritis hoc accidat ipſum,
Vt minus ex animo cedere fata velint:
Se tamen ærumnas, omneſq; levare dolores,
Et mitem miſeris omnibus eſſe patrem.
Talibus afflictæ memorans ſolatia matri,
Impubem placido convocat ore gregem.
Stare iubet, grandes, rudiores excipit ulnis,
Plena erat angelicis concio tota choris.
Stabat Abel vultu cœli teſtatus amorem,
Divinumq; oculis ſe genus eſſe probat.
Huic Deus ut recitet, mandat, præcepta parentum,
Incipit hic, linguis cætera turba favent.
Eſſe Deum credo, rerum ſuper omnia magnum,
Qui meritò nomen mite parentis habet:
A quo principium, nativaq; ſemina ducunt
Omnia quæ mundi lux ſpacioſa videt:

Omnia perpetua qui maieſtate gubernat,
Quæ rerum tanta machina mole tenet;
Miraq; proponens nobis diſcrimina rerum,
Omnia qui poſſit ſe docet eſſe Deum:
Flumina qui curſu procedere, ſydera motu,
Omnia qui certis legibus ire iubet:
Qui ſua temporibus dedit intervalla, viceſq;
Omnibus incolumis rebus ut uſus eat:
Qui varias vires diverſis inſerit herbis,
Et variis lætos frugibus ornat agros:
Qui noſtris animis vitales indidit ignes,
Exemplum mentis, notitiamq; ſuæ:
Tanta quibus ducibus per dona agnoſcimus illum,
Perpetuum immenſi numen habere Dei.
Hei mihi, cur noſtri violata lege parentes,
Vindictæ irato cauſa fuere Deo?
Paruerint illi, quàm nunc pulcherrimus eſſet
Humani generis lugubris iſte ſtatus:
Æternæ fuerat fiducia quanta ſalutis,
Quiq; Deum cupiat noſcere, quantus amor?
Ante Deum læti vita frueremur, & omnis
Conſcius à pauido cederet ore pudor.
Non aliqua adfectus fraudaret iniqua voluptas,
Expers vita omnis criminis iſta foret.
Verùm labe carent, quæ ſunt divinitus orta,
Ipſe Satan ſtructor criminis huius erat.
Illius ah quanta eſt, quamq; invidioſa Tyrannis,
Sævitiæ finem non habet illa ſuæ.
Sæviat uſq; licet, certè eſt robuſtior illa,
Et finem pietas neſcit habere Dei.

In ſola defixa Deo ſpes noſtra quieſcit:
Sponte ſuam miſeris ille recepit opem.
Quos queat æternum meritis adfligere pœnis,
Hos olim immunes maluit eſſe Deus:
Seminis ille dedit noſtræ promiſſa parenti.
Triſte quod à nobis auferat omne ſcelus.
Hoc ſe non meritis cruciatibus offeret ultrò,
Vt pœnas noſtra pro levitate luat:
Et mortem noſtram rediviva morte domabit,
Præmiaq; pro fide cœlica regna dabit.
Afficiet pœna, longoq; dolore Draconem:
Quo ſuaſore parens eſt mea facta nocens.
Ille fremens, fruſtraq; furens ingentibus iris,
Inſidias odii ponet ubiq; ſui:
Et licet inſidias, variasq; excogitet artes;
Non animos aliqua ſupprimet arte pios.
Ergo furens odio, ſævaq; Tyrannide rumpat;
Nos erimus ſummo turba redempta Deo,
Acceptoq; Dei coaleſcent pectora verbo;
Inq; hoſtem unanimi fœdere bella gerent.
His Deus inſpirans divini numinis auram
Victrices vires, armaq; iuſta dabit.
Et licet hic aliquo mutentur corpora caſu,
Et pereant fato membra ſoluta ſuo.
Certè animi æternæ lucrantes gaudia vitæ,
Militiæ tantæ præmia iuſta ferent.
Talia ſic iuſſus memorat formoſus Abelus,
Ipſe Deus nutu ſingula verba probat.
Hæc eadem fratres, eadem retulere ſorores,
Ordinis & ſenſus totius unus erat.

Tum Deus à numero quos norat abeſſe requirens,
Turba quid à numero cætera dixit abeſt?
Eva petens veniam ſubito confuſa rubore,
Sordibus his, inquit, ſplendide parce Deus.
Atq; ita ſtraminibus, quantum licet, expedit illos,
Et properat laceras compoſuiſſe comas.
Increpat & fraudes, & curam obiurgat inanem,
Et Deus ad vultus, inquit, adeſte meos.
Stans Cain impexos fœno impediente capillos,
Præſentem intorto ſuſpicit ore Deum.
Lacte rigent manicæ, livent quoq; ſordibus ungues:
Immunda gliſcunt ora peruncta manu.
Quem Deus aſpiciens, age tu quoq; ruſtice dixit,
Imbiberis fidei quæ documenta, refer.
Ille diu torquens titubantia guttura, tandem
Non contexta tamen, ſed mutilata refert.
Eſſe Deum credo, qui mundi conditor huius,
A nobis certa vult ratione coli:
Oblatoq; aris placatur munere, curat
Quos amat, & punit quæ malefacta putat.
Ille quidem in ſegetes fœcundos depluit imbres,
Et liquido cultos rore ſerenat agros:
An tamen errores, delictaq; noſtra remittat,
An facili noſtras hauriat aure preces:
Vix ſcio: perpetua poſt hanc, de luce videbo,
Extremum cogar claudere quando diem.
Increpat oblitum fidei, temereq; loquentem,
Et iubet hæc certa diſcere mente Deus.
Tum verò veſtro quoniam de ſtemmate mundus
Impleri populis debet, & eſſe frequens:

Eſt opus ut populos ratio diſcernat, & ordo
Vt quiſq; officium norit, agatq; ſuum:
Vt benè divini ſerventur dogmata cultus,
Quæq; mihi iuſtos vos facit eſſe fides.
Eſt opus, in vobis ut ſint, qui dogmata tractent,
Et doceant animos de pietate rudes:
Vt ſua diuerſis conſtet concordia rebus,
Vt placido ſemper fœdere mundus eat:
Eſt opus, ingenuos ut ſint qui tradere mores,
Et leges aliis, iuraq; ſancta queant.
Sic ait, & Setho cum fratre appellat Abelum,
Et nudum teneras ſiſtit utrumq; comas:
Imponensq; manus illis, vos conſecro reges,
Et ſanctum vobis inſero numen, ait.
Veſtrum erit acceptum fidei illuſtrare nitorem,
Et verum cultum, noticiamq; Dei.
Iura dare, ac leges, patriæ defendere fines,
Pœna arcere malos, pace fovere bonos.
At Cain impatiens, & qui naſcentur ab illo,
Agnatæ hæredes ruſticitatis erunt.
Horum munus erit parere, ac iura timere,
Et veſtras leges, ſervitiumq; pati:
Atq; opera veſtra divinum agnoſcere verbum,
Præcipuè hoc illos, vos decet iſtud opus.
Sic ait: angelicis concentibus annuit aër,
Harmonicis reſonant terra, poluſq; ſonis:
Inde ſalutata placido ſermone parente,
Cœleſti repetit lucidius aſtra choro.
Hiſtoriam ex illo ſeri meminere nepotes,
Nunc erat & verſu non reticenda meo.

Verum

Verùm ad te redeo Rex ornatiſſime regum,
Corporis, atq; animi clare Monarcha bonis.
Cur Deus unanimis ſociarit fœdera lecti,
Curq; ſuo fuerit fœmina iuncta viro:
Vnde magiſtratus, tum quod ſit munus eorum,
Qui populum certa ſub ditione regunt,
Hactenus attigimus, melius licet omnia noris,
Quàm canere Aonidum barbitos ulla queat.
Cur tamen hoc facerem Rex inclyte cauſa coëgit,
Qua ratio melior cogere nulla poteſt.
Aſpice quàm vero lachrymans Eccleſia vultu
Mœſta quaſi regum lugeat ante pedes.
Quis ciat huic lachrymas, ſi quis rogat, ille ſerenum
In media poſcit luce videre diem.
Vt tamen hic nolit ſceleratam inviſere Romam,
Diverſis peragret condita templa locis.
Crebrius audierit quæ templa boare canendo,
Iſta ſciat ſummo plus inimica Deo.
Jam puto palpabit, quod non bene viderat ante,
Nec poterit madidas continuiſſe genas,
Inveniet ſacris redimitos tempora vittis:
Inveniet totos quos ſtola longa tegit.
Eſſe ſacerdotes habitu fallente putabit,
Qui cupiant ſummi verba docere Dei:
Non ſunt: ſed ſicca flagrantes fauce Tyranni,
Qui cupiant ipſi bella movere Deo:
Qui ſtimulis agitant animos, liteſq; ſerentes,
Vnanimes acuunt ad fera bella duces.
Hi ſunt materies cunctorum, & cauſa malorum,
Vnde pii meritò, quod lacrymentur, habent.

Horum iniecta iacet duris Eccleſia vinclis,
Hei mihi quàm longo tempore vincta fuit.
Nec ſatis eſt validis vinctam tenuiſſe cathenis,
Et miſeram miris excruciare modis:
Sanguinis exugunt vires, & viſcera radunt,
Et tantum hanc vlla morte carere dolent.
Iam ſcelerum ſocios, ut emant incendia Martis,
Ipſius miſeræ dilacerantur opes.
Atq; aliquis poſitum dux mercenarius aurum
Accipit, ut ſocias addat in arma manus:
Degere tranquillæ qui cum queat otia pacis,
Externis quærit bella nephanda locis:
Atq; aliquem furiis ſtimulantibus expetit hoſtem,
De nullo poſſit cùm tamen hoſte queri.
Vtq; furens Ate bacchata per atria regum
Concita ſanguineo corda furore movet:
Impiger haud aliter varias volat ille per aulas,
Inficiensq; animos bella nephanda ſerit.
Exige iam quæ ſit multorum vita, quis ordo,
Qui vera ut ſervent dogmata nomen habent.
Dicas pontifices, myſtas, canonesq; profeſſos
Nomina habere ipſo penè timenda ſono.
Quæ pudet, hæc dolor eſt memorare: ſed omnia fiunt,
Quæ fieri nulla lege vetante ſolent.
Crimina non referam Sybaritidos impia menſæ,
Non referam vetitis gaudia capta toris:
Dicere pollutos thalamos, Veneremq; nephandam,
Hoc erat illicitis polluere ora ſonis.
Laidas omitto ſaltare ad prandia nudas,
Et quæ non didicit lingua modeſta loqui.

Qui neget hæc animos regum debere movere,
Tutores fidei quos iubet eſſe Deus:
Hunc errare adeò cæca ratione putarim,
Vt ſcelerum vltorem perneget eſſe Deum.
Plura recordanti mihi iuſto expreſſa dolore
Excidit in triſtes humida gutta genas.
Sed thalami ſpes læta tui, Rex maxime regum,
Hic aliquem lachrymis novit eſſe locum.
Illa animis concepta piis, & cordibus hærens
Quæ ſitiunt cupida dogmata mente Dei.
De te, deq; tua fecit præconia nupta,
Quàm late fines Veſper, & ortus habent.
Hac monſtrante novas gaudendi Eccleſia cauſas
Invenit, & quare triſtia ponat, habet.
Quare age qui tantis omnes virtutibus æquas,
Quos ſua vel cecinit, vel modò fama canet:
Prædita cui tantis virtutibus obtigit uxor,
Charta ſatis quantas vix canere ulla poteſt:
Spem benè conceptam ſtudiis non ſegnibus imple:
Vna comes ſociæ conditionis erit.
Illam age gaviſis quoties amplecteris ulnis,
Exceptamq; pio molliter ore foves:
Te ſociam vitæ fortunarumq; tuarum,
Te ſociam regni crede fovere tui:
Quæ tecum leges ſervare, & condere iura,
Et debet placidæ pacis amare decus:
Inprimis populo ſanctam adſeruare ſalutem,
Quæ Chriſti à merito, non aliundè, venit.
Tam benè coniugium decet hæc provincia Regum, „
Quàm benè formoſum ſolis imago diem. „

Nec

Nec minus officium Deus hoc in rege requirit,
Quàm ſole, ut nitido proferat axe diem.
Ergo iterumq́;, iterumq́; age Rex mitiſsime regum,
Quod facis, hic cauſſam relligionis age.
Conſule turbato miſeræ pietatis honori,
Quo facias animos omnibus, unus habes.
Iampridem pietas terras tua lucet in omnes,
Ut ſapiant alii cauſſa ſit illa duces.
Tu potes exemplo reliquorum accendere mentes,
Tu placidam feſsis addere rebus opem.
Hei tua cur tardant quædam cœpta optima peſtes,
Cur te pontificûm tanta caterva premit?
Cur magis Auſonii ſtudiis addicta Tyranni,
Impedit imperium Myſtica turba tuum?
Eſt ubi ſacrificûm ſeries, & copia maior, „
Illic eſt probitas, relligioq́; minor. „
Exige de patrio furioſa catharmata cœtu,
Inficiunt populos iſta venena tuos.
Vt tua purgaſti turpi cœnobia vulgo,
O vel ob hoc omni carmine digne cani!
Sic debes relevare ſuis delubra venenis,
A templis omnis debet abeſſe lues.
Adſere ſaluifici certiſſima dogmata verbi,
Solaq́; quæ iuſtus nos facit eſſe, fidem.
Te regum, te turba ducum generoſa ſequetur,
Quàm latè Chriſti gloria nomen habet.
Omnia promittunt ſibi de te vota piorum,
Et ſpes, hoc penitus tempore facta fides,
Fallere ſpem populi, non impia quatenus ambit,
Crede mihi Regis non erat, hoſtis erat.

Publica res rex eſt, ut publica commoda ſervet:
Publica ſunt populi commoda, verba Dei.
Regibus hæc mandat Deus ut tueantur, id unum
Officium proprium regibus eſſe iubet.
Inde ſacri reges & cœli cura vocantur,
Indignus titulo eſt, qui negat iſta ſuo.
Accipit à cœlo miſſos Eccleſia reges,
Quos dat, ut adſervent dogmata vera, Deus.
Hinc vobis animi ingentes, & neſcia frangi
Pectora, & adverſum vincere docta malum.
Muneribus cœli iam ſi quis abutitur illis,
Pro tanta pœnas impietate luit.
Sic reprobus tumidis Pharao ſubmergitur undis:
Putribus Herodes lendibus eſca fuit.
Tu meliora vide, reliquis tu lampada præbe:
Hoc te præ reliquis quantus es ipſe, decet.
Ante oculos Latii verſetur imago Baalis;
Parcere non ipſi prædo ſcit ille Deo.
Impius ille Deo iuſtos furatur honores,
Se rerum dominum fingit & eſſe Deum.
Regna facit patrii nobis venalia cœli;
Promittat gratis cùm tamen illa Deus.
Me penes eſt, inquit ſummi cuſtodia cœli,
Sydera ſunt noſtra clauſa, patentq́; manu.
Quos volo, perpetuo cœli condignor honore;
Quos volo, perpetuo funere cogo mori.
Talia blaſphema iactantem voce quis unquam
Vera videns ſano pectore ferre queat?
Et tamen heu tulimus, tulimus tot turpiter annos;
Turpius & multos nunc quoq́; ferre iuvat.

At tu qui veram ſublimi pectore lucem,
Et verum ad cœli ſydera cernis iter;
Qui ducente Deo vanos agnoſcis abuſus,
Dæmonis & fraudes, pontificumq́ dolos:
Suſcipe doctrinam, complexuq́ adſere toto,
Ad cœlum ſola quæ docet ire fide.
Nam potes, & melius te vix intelligit alter,
Debita quæ ſolo ſint ſoluenda Deo.
Te quoq́ progenitum de ſemine nôris Abeli,
Regis & à ſolo nomen habere Deo:
Tradita divini cui ſit cuſtodia verbi,
Ut ſerves populis dogmata vera tuis.
Dogmata vera voco, non quæ colere ardua templis
Præcipiunt plures per ſimulacra Deos:
Quæq́ datis numis animæ præſtare ſalutem,
Atq́ hominum meritis aſtra parere docent:
Purgariq́ animas flammis, & nocte volantes
Placari media per ſtata ſacra via:
Non quæ privatæ doceant ludibria Miſſæ,
Placari accepto thureq́ poſſe Deum:
Non quæ commiſſæ nugentur crimina culpæ
Romani tolli poſſe Baalis ope:
Qualia pontificum finxit mentita tyrannis,
Plena diabolico ſemine, plena dolo:
Sed quæ commiſſam doceant agnoſcere culpam,
Noxiaq́ haud ficto corda dolore premi:
Et toto in ſolo confidere pectore Chriſto,
Illius & memori mente tenere crucem:
Credere quod noſtram reparaverit ille ſalutem,
Morte quod eluerit crimina noſtra ſua:

Digitized by Google

Quod ſolum hunc propter nobis delicta remittat,
Non ullis meritis gratia mota Dei.
Quod facis, hanc igitur doctrinam amplectere, vera
Quæ populos doceat de pietate tuos.
Ut taceam parto tibi debita præmia cœlo,
Magna tibi merces poſteritatis erit.
Tempus erit cum tu ſera poſt funera vitæ
Fœlici ſuperûm ſede receptus eris.
Aurea magnificis titulis tua ſtabit imago,
Quæ referet laudis nomina iuſta tuæ.
Hæc aliquis numerans canis venerandus ab annis,
Sanctior hoc dicet Principe nemo fuit:
Qui ſibi cum certo ſociaſſet fœdere Gallum,
Quem cæſum forti vicerat ante manu;
Infeſtumq; ſuo domuiſſet milite Scotum,
Et pacem patria compoſuiſſet humo;
Primus verba Dei patrias admiſit in oras,
Anglia quæ retinens nunc quoq; chara Deo eſt.
Talia commemorans tibi proſpera quæq; precatus
Conſperget nitidas in tua buſta roſas.
Sed quid ego toties monitis iterata revolvo,
Da veniam, hortatu comprobo cœpta meo.
Sic aliquis ſumpto propellit remige puppem, „
Sponte licet placidum prora per æquor eat. „
Talia Flandriaca meditabar ab urbe profectus
Regalis pompæ pars quota nuper eques:
Cùm mihi ſe optati turres oſtendere portus
Atq; Caletani mœnia celſa ſoli,
Appropero, reſonans ſtudio certante Caletum
Perſtrepit atq; ingens orbis in urbe fremit,

Obvia

Digitized by Google

Obvia gaviſæ procedunt agmina pubis,
Et populo in toto vox ſonat, una, venit.
Mille modis celebres iactantur in aera plauſus,
Atq; idem vario fervet ab ore favor.
Plurima ſulphureos iaculatur machina glandes,
Miſſa putes ſummo fulmina ſæva polo.
Vicinæ reboant geminatis ictibus undæ,
Horrendisq; tremunt littora curva ſonis;
It cœlo fumus, totamq; obnubilat urbem,
Perq; novas tenebras eripit umbra diem,
Dixeris irati Martis ſigna omnia; non ſunt,
Maieſtas oculis ſigna dat illa tuis,
Hæc domina veniente novo ſplendore triumphans
Lætitiæ præbet publica ſigna ſuæ.
Jam clangore tubæ campos atq; æthera complent,
Et raucos variant tympana pulſa ſonos:
Diverſis vacuæ reſonant concentibus auræ,
Multus & in gyros arte rotatur equus.
Incedunt campis proceres, pulcherrimus ordo,
Jubilat & dominam quilibet ante ſuam.
At regina potens curru ſublimis in aureo
Inclyta per populos ducitur Anna ſuos:
Aurea ſignificans placato ſæcula vultu,
Illa ſui populi ſpem iubet eſſe fidem.
Ex oculis pietas, e fronte relucet honeſtas,
Emicat ingenuo caſtus ab ore pudor.
Ecce etiam claſſes invictas dixeris arces
Vt ſcopuli mediis conſpiciuntur aquis.
Quis credat celeres armamentaria puppes,
Ferre quis hæc rerum pondera credat aquas?

Geſtiat horrendi tentare pericula ponti,
Qui videat tantæ nobile molis opus.
Regia qui numerat pictis inſignia velis;
Sic maris eſt dominus conſpiciendus ait.
Omnia ſed certo numero comprendere ſplendor
Non ſinit, ex auro qui radiante venit.
Iamq; aliquis ſummo reſidens in culmine mali
Præcinit æquoreæ proſpera fata viæ:
Exercensq; alius mirandam in fune paleſtram,
Exhibet exitii ſpemq; metumq; ſui.
Funibus hærentes nautas, fatiſq; minantes
Mirari potius, quàm numerare iuvat.
Auratas taceat coniux Ægyptia puppes,
A quibus ut vivat nunc quoq; Cydnus habet:
Illi non meritæ quæ triſti fine periret,
Subſtravit tantas luxus inanis opes:
Hanc virtus tanto merito dignatur honore,
Quiq; aliquo neſcit fine perire favor.
Digna erat hæc populus cui flavum ſterneret aurum,
Perpetua ornata cui roſa vernet humo:
Sydera cui plaudant, cui ſemper rideat æther,
Cui fluat aurifero prodigus amne Tagus.
Sed iam deductas tempus conſcendere puppes,
Dum ſpondet placidas Phœbus & aura vias.
Parcite ceruleo dominantia monſtra profundo,
Nauta quibus viſis territus optat humum,
Parcite: fine ſuo veſtras quoq; temperat iras,
Qui certo rapidas fine coercet aquas.
Parce pater pelagi tumidos convolvere fluctus,
Cuncta ſibi à cuius monſtra tridente timent.

Tu quoq; quid ſit amor, quid ſit fax ignea noſti,
  Igne nec Idalio te caluiſſe negas.
Quid ſit amor noſti, nec te latet improbe, longa
  Quæ ſibi nocte miſer ſomnia fingit amans,
Tam madidus cum ſis, ipſisq; madentior vndis,
  Non minus Idalia te face torſit amor:
Nec puduit varias te rerum adſumere formas,
  Vt caperes voti gaudia plena tui.
Terrenos aditus ſi quis vetuiſſet amanti
  Ira futura tui quanta tridentis erat?
Quis tamen hîc metuat? non eſt tua gloria tanti,
  Huius ad aſpectum cogeris eſſe pius.
Non aliquis patriis Paris hanc abduxit ab oris:
  Hîc titulum fraudis nullus Iäſon habet:
Nec Venus hanc pepigit furtiuo pronuba lecto:
  Non hic laſcivus fœdera cantat hymen.
Legitimas præfert pietas huic pronuba tædas,
  Hac duce longinquos expetit illa toros.
Vivat io! numeretq; ſuos fœliciter annos:
  Eriget hac felix terra Britanna caput:
Ipſa ſuo regi veros augebit amores,
  Per quos ſtat ſummo gloria iuſta Deo.
Quod facit ille, ſacra doctrina agnoſcet abuſus,
  Et cupiet veram reſtituiſſe fidem.
Pura Deo reddet veros Eccleſia cultus:
  Vna animos iunget hîc, & ubiq; fides.
Impius amiſſos Sybarita dolebit honores;
  Totius immenſas qui vorat orbis opes.
Infringent ipſi ſcelerata guttura claves,
  Ad quas cœleſtes obriguere fores:

Ante fores Erebi miſerè ſuſpenſus ab illis
Debita cum Iuda præmia fratre feret.
Sæpe videns mortem vitæ ſuprema minantem,
Culpabit vitæ tempora longa ſuæ:
Poſſe mori optabit; vivet tamen æger, & horam
Immenſi credet temporis eſſe moram.
Vulgus inane animæ circum per inane volabunt,
Quotquot ad infernas ille coegit aquas:
Milleq́ dictabunt diverſæ nomina pœnæ,
In ſe commiſſum quælibet vlta ſcelus.
Dum loquor, ecce tacet poſitis Aquilonibus æquor,
Temperat & rapidum mitior aura fretum.
Omnia cærulei requieſcunt monſtra profundi,
Concordes præſtant ventus & unda vices.
Ceſſat hyems, toto ſolis iubar æquore lucet:
Tempora formoſi veris adeſſe putes.
Sponte ſuis cedunt ſubmiſſæ fluctibus undæ,
Nunc titulum iuſti nominis æquor habet.
Impia Pontificum ſunt irrita vota, nec vllas
Intentant nobis terra, fretumq́ vices.
Iam video optatæ pulcherrima littora Dobræ:
Oſtendunt fines Gantia rura ſuos.
Excipe læta tuum placido decus Anglia cœlo:
Hoc tibi quàm pulchrum ſydere nomen erit?
Excipe Germanam fatis non triſtibus Annam,
Anglia Germano ſanguine plena domus.
Quæ tibi fœlices Germania præbuit ortus
Nunc aperit toto ſe tibi læta ſinu:
Vtq́ tibi veterem verè teſtetur amorem,
Hoc tibi Rhenano mittit ab orbe decus.

At vos ſydereo digniſſima pectora cœlo,
Quos adeo pulchro fœdere iunxit amor:
Tuq; adeo toties rudibus mihi dicte Camœnis,
Henrice ô alia Rex memorande lyra:
Quæq; tuos ſuperas ſanctis virtutibus annos,
Gloria Iuliados nobilis Anna domus:
Viuite fœlices ſancti ſub fœdere lecti,
Perpetuo veſter fœdere perſtet amor.
Viuere vos cupiant ſeri ſine fine nepotes;
Iucundos numeret veſtra ſenecta dies.

JOH. STIGEL.

EPITHALAMIUM

FRANCISCI VALESII,

ET

MARIÆ STVARTÆ, REGUM FRANCIÆ ET SCOTIÆ.

VNde repentino fremuerunt viſcera motu?
Cur Phœbum deſueta pati præcordia anhelus
Fervor agit, mutæq; diu Parnaſſidos umbræ

Turba iterum Arcanis renovat Pæana ſub antris?
Nuper enim memini, ſquallebat marcida laurus,
Muta chelys, triſtis Phœbus citharæq; repertor
Arcas, & ad ſurdas fundebam vota ſorores.
Nunc Phœbi delubra patent, nunc Delphica rupes
Panditur & ſacro cortina remugit ab antro.
Nunc lauro meliore comas innexa ſororum
Turba venit, nunc Aoniæ, non invida lympha
Irrigat æternos Pimpleæ ruris honores,
Lætaq; Pieria reviveſcit gloria ſylvæ.
Fallimur? an nitidæ tibi ſe Franciſce Camœnæ
Exornant? tibi ſerta parant, tibi flore recenti
Templa novant? mutumq; diu formidine Martis
Gaudent inſolitis celebrare Helicona choreis?
Scilicet haud alius nemoris decerpere fructus
Dignior Aonii, ſeu quem numerare triumphos
Fortè iuvat patrios, ſeu conſecrata Camœnis
Otia, ſic certè eſt. Hinc læto compita plauſu
Cuncta fremunt, legumq; exuta licentia frenos
Ludit. Hymen, Hymenæus adeſt, lux illa pudicis
Exoptata diu votis, lux aurea venit,
Venit. Habes tandem toties quod mente petiſti,
O decus Hectoridûm iuvenis, iam pone querelas,
Deſine ſpes nimium lentas, iam deſine longas
Incuſare moras, dum tardum ſignifer annum
Torqueat, ignavos peragat dum Cynthia menſes.
Grande moræ precium fers: quod ſi priſca tuliſſent
Sæcula, non raptos fleſſet Menelaus amores:
Et ſine vi, ſine cæde Phrygum Cytherea probatæ
Solvere Priamidæ potuiſſet præmia formæ.

Digna

Digna quidem facies, quam vel trans æquoris æſtus
Claſſe Paris rapiat, vel coniurata repoſcat
Græcia, nec minus eſt animi tibi, nec minor ardor
Quàm Phrygio, Graióve duci, ſi poſtulet arma
Coniugii tutela tui. Sed mitior in te
Et Venus, & teneri fuit indulgentia nati,
Qui quod ames tribuêre domi, puerilibus annis
Cœptus amor tecum crevit, quantumq; iuventæ
Viribus acceſſit, tanto ſe flamma per artus
Acrius inſinuans tenerum paſcebat amorem.
Non tibi cura fuit, quæ ſæpius anxia Regum
Pectora ſollicitat, longinquæ obnoxia flammæ,
Nec metus is torſit, veri prænuncia fama
Ne vero maiora ferat, dum ſecula priſca
Elevat, & primum forma tibi ſpondet honorem:
Cera nec in varias docilis tranſire figuras
Suſpendit trepidam dubia formidine mentem.
Nec tua commiſti tacitis ſuſpiria chartis,
Rumorisq; vagam timuiſti pallidus umbram,
Ipſe tibi explorator eras, formæq; probator,
Et morum teſtis: nec conciliavit amorem,
Hunc tibi luxuries, legum indignata teneri
Imperio, aut primis temerarius ardor ab annis,
Sed ſexu virtus, annis prudentia maior,
Et decori pudor, & coniuncta modeſtia ſceptris,
Atq; hæc cuncta ligans arcano Gratia nexu.
Spes igitur dubiæ, lentæq; faceſſite curæ.
Ipſe tuis oculis tua vota tuere probusq;,
Speratosq; legis ſine ſollicitudine fructus,
Nullaq; fallacis deluſus imagine ſomni

Irrita mendaci facies convitia nocti.
Expectatus Hymen iam iunget fœdere dextras,
Mox etiam amplecti, mox & geminare licebit
Baſia, mox etiam non tantum baſia. ſed tu
Quamlibet approperes, animo moderare, beatum
Nobiſcum partire diem, tu gaudia noctis
Solus tota féres: & nos communiter æquum eſt
Lætitiam gaudere tuam. communia vota
Fecimus, & ſacras pariter placavimus aras,
Miſcuimusq́ preces, & ſpesq́ metusq́ tuosq́
Senſimus affectus, ægrè tecum hauſimus una
Tædia longa moræ. Superi nunc plena ſecundi
Gaudia cum referant, ſenſus pervenit ad omnes
Lætitiæ, mentemq́ ciens renovata voluptas
Creſcit, & exultant trepidis præcordia fibris.
Qualis ubi Eois Phœbus caput extulit undis
Purus, & auratum non turbidus extulit axem,
Cuſpide iucundæ lucis percuſſa renident
Arva, micat tremulo criſpatus lumine pontus,
Lenibus aſpirat flabris innubilus aer,
Blanda ſerenati ridet clementia cœli.
At ſi nubiferos effuderit Æolus Auſtros,
Et pluviis gravidam cœlo ſubtexuit umbram,
Mœſto horret rerum facies, deformia lugent
Arva, tument fluctus, campis gravis incubat aër,
Torpet & obductum picea caligine cœlum.
Sic ex te populus ſuſpenſus gaudia, curas,
Mœroresq́ trahit, roſea nec ſola iuventa
Florida, nec ſpatiis quæ te propioribus ætas
Inſequitur, genio indulgent, vultuq́ ſoluto

Luſi-

Luſibus exhilarant aptos iuvenilibus annos:
Hunc poſita vultus gravitate ſeverior ætas
Lætatur celebrare diem, matreſq́ verendæ
Non tacito hunc, tacitoq́ optat virguncula voto.
Quid loquor humanas admittere gaudia menteis?
Ipſa parens rerum totos renovata per artus
Geſtit, & in veſtros penitus conſpirat honores.
Aſpice iam primùm radiati luminis orbem
Semper inexhauſto luſtrantem lampade terras,
Vt niteat, blanda ut flagrantes mitiget ignes
Temperie, ut cupido ſpectacula veſtra tueri
Purpureo vultus maturior exerat ortu,
Serius occiduas currus demittat in undas,
Vt gelidos repetens flamma propiore triones
Contrahat æſtivas anguſta luce tenebras.
Ipſa etiam tellus virides renovatur amictus,
Et modò pampineas meditatur collibus umbras,
Et modò meſſe agros, modò pingit floribus hortos,
Horrida nec tenero ceſſant manſueſcere fœtu
Teſqua, nec armati ſpina ſua brachia vepres,
Nec curuare feros pomis auiaria ramos:
Inque omnes frugum facies bona copia cornu
Solvit, & omniferum beat indulgentior annum;
Pignoris hoc ſpondens felices omine tædas.
Fortunati ambo, & felici tempore nati,
Et thalamis iuncti, veſtram concordia mundi
Spem fovet, aſpirat votis, indulget honori:
Atque utinam nullis unquam labefacta querelis
Coniugium hoc canos concordia ſervet in annos;
Et mihi ni vano fallax præcordia Phœbus

Impu-

Impulit augurio, quem iungit ſanguinis ortus,
Et commune genus proavûm ſerieq́; perenni
Fœdus amicitiæ ſolidum, quem more vetuſto
Sancta verendarum committunt fœdera legum,
Nulla dies vnquam veſtrum divellet amorem.
Vos quoq́; fœlici lucent quibus omine tædæ,
Quò ſtudium, populiq́; favor, quò publica regni
Vota precesq́; vocant, alacres accedite: tuq́;
Tu prior ô Reges non ementite parentes,
Hectoride iuvenis tota complectere mente
Quam dedit vxorem tibi lex, natura ſororem,
Parentem imperio ſexus, dominamq́; voluntas,
Quàm ſociam vitæ tibi coniunxere parentes,
Et genus, & virtus, & forma, & nubilis ætas,
Et promiſſa fides, & qui tot vincula nectens
Firmius arctat amor totidem per vincula nexus.
Si tibi communi aſſenſu connubia Divæ
Annuerent, Paris umbroſa quas vidit in Ida,
Permittantq́; tuo ſocias tibi iungere tædas
Arbitrio, quid iam voti licet improbus optes
Amplius eximiæ delectat gratia formæ?
Aſpice quantus honos frontis, quæ gratia blandis
Interfuſa genis, quàm mitis flamma decoris
Fulguret ex oculis. quàm conſpirarit amico
Fœdere cum tenera gravitas matura iuventa,
Lenis & auguſta cum maieſtate venuſtas.
Pectora nec forma cedunt exercita curis
Palladiis, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos Sophia ſub iudice mores
Si ſeries generis, longuſq́; propaginis ordo

Quæ-

Quæritur: hæc una centum de ſtirpe nepotes
Sceptriferos numerare poteſt: hæc regia ſola eſt,
Quæ bis dena ſuis includat ſæcula faſtis:
Unica vicinis toties pulſata procellis
Externi immunis domini. quodcunq; vetuſtum
Gentibus in reliquis vel narrat fama vel audet
Fabula longævis vel credunt ſæcula faſtis,
Huc compone, novum eſt. Ampla ſi dote moveris,
Accipe dotales Mavortia pectora Scotos.
Nec tibi fugiferæ memorabo hîc iugera glebæ,
Aut æris gravidos & plumbi pondere ſulcos,
Et nitidos auro montes, ferroq; rigentes,
Deq; metalliferis manantia flumina venis:
Quæq; beant alias communia commoda gentes.
Hæc vulgus miretur iners, quiq; omnia ſpernunt
Præter opes, quibus aſſiduè ſitis acris habendi
Tabifico oblimat præcordia craſſa veneno.
Illa pharetratis eſt propria gloria Scotis,
Cingere venatu ſaltus, ſuperare natando
Flumina, ferre famem, contemnere frigora & æſtus:
Nec foſſa & muris patriam, ſed Marte tueri,
Et ſpreta incolumem vita defendere famam,
Polliciti ſervare fidem, ſanctumq; vereri
Numen amicitiæ, mores, non munus amare.
Artibus his, totum fremerent cum bella per orbem,
Nullaq; non leges tellus mutaret avitas
Externo ſubiecta iugo, gens una vetuſtis
Sedibus antiqua ſub libertate reſedit.
Subſtitit hîc Gothi furor, hîc gravis impetus hæſit
Saxonis, hic Cimber ſuperato Saxone, & acri

Perdomito Neuſter Cimbro. Si voluere priſcos
Non piget annales, hîc & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum, quem non gravis Auſter
Reppulit, incultis non ſquallens Parthia campis,
Non æſtu Meroë, non frigore Rhenus & Albis
Tardavit, Latium remorata eſt Scotia curſum:
Solaq; gens mundi eſt cum qua non culmine montis,
Non rapidi ripis amnis, non obiice ſylvæ,
Non vaſti ſpatiis campi Romana poteſtas,
Sed muris foſſaq; ſui confinia regni
Munivit, genteſq; alias cùm pelleret armis
Sedibus, aut victas vilem ſervarit in uſum
Servitii, hîc contenta ſuos defendere fines
Roma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis:
Hîc ſpe progreſſus poſita Carronis ad undam
Terminus Auſonii ſignat divortia regni.
Néve putes duri ſtudiis âſſueta Gradivi
Pectora manſuetas non emolleſcere ad artes,
Hos quoq; cùm Latium quateret Mars barbarus orbẽ
Sola propè expulſis fuit hoſpita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Graiæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoreſq; rudis formatoreſq; iuventæ
Carolus ad Celtas traduxit: Carolus idem
Qui Francis Latios faſces, trabeamq; Quirini
Ferre dedit Francis, coniunxit fœdere Scotos,
Fœdere, quod neq; Mars ferro, nec turbida poſſit
Solvere ſeditio, aut dominandi inſana cupido,
Nec ſeries ævi, nec vis ulla altera, præter
Sanctius, & vinclis fœdus propioribus arctans.
Tu licet ex illa numeres ætate triumphos,

Et coniuratum cunctis è partibus orbem
Nominis ad Franci exitium, ſine milite Scoto
Nulla unquam Francis fulſit victoria caſtris,
Nulla unquam Hectoridas ſine Scoto ſanguine clades
Sævior oppreſſit: tulit hæc communiter omnes
Fortunæ gens una vices. Franciſq; minantes
Sæpe in ſe vertit gladios: ſcit belliger Anglus,
Scit ferus hoc Batavus, teſtis Phaethontias unda,
Nec ſemel infauſtis repetita Neapolis armis.
Hanc tibi dat coniux dotem, tot ſæcula fidam
Coniunctamq; tuis ſociali fœdere gentem,
Auſpiciumq; fœlix thalamis concordibus, armis
Indomitos populos per tot diſcrimina, felix
Auſpicium bellis venturæq; omina palmæ.
At tu coniugio Nymphe dignata ſuperbo
Te licet & Iuno, & bellis metuenda virago,
Et Venus, & Charitum larga indulgentia certet
Muneribus decorare ſuis, licet ille ſecundus
Spe, votiſq; hominum Francæ moderator habenæ,
Et ſolo genitore minor tibi Regia ſceptra
Submittat, blando & dominam te prædicet ore,
Sexum agnoſce tamen, dominæq; immunis habenæ
Hactenus, imperio iam nunc aſſueſce iugali.
Diſce iugum, ſed cum dilecto coniuge, ferre:
Diſce pati imperium, victrix patiendo futura.
Aſpicis Oceanum ſaxa indignatus ut undis
Verberet, & cautes tumida circumfremat ira:
Rupibus incurſat, demoliturq; procellis
Fundamenta terens, ſcopuliſq; aſſultat adeſis.
At ubi ſe tellus molli ſubſtravit arena,

Hoſpitioq; Deum blandè invitavit amœno,
Ipſe domat vires, placidusq; & ſe minor ire
In thalamos gaudet non torvo turbidus ore,
Non ſpumis fremituq; minax, ſed fronte ſerena
Littus in offenſum lambit, ſenſimq; relabens
Arrepit facilis cerni, & ceu mollia captet
Oſcula, ludentes in littore lubricat undas.
Cernis ut infirmis hedera enitatur in altum
Frondibus, & molli ſerpens in robora flexu
Paulatim inſinuet ſeſe, & complexibus hærens
Emicet, & mediis pariter caput inſerat aſtris:
Flectitur obſequio rigor, obſequioq; paratur,
Et retinetur amor. Neu te iactura relictæ
Sollicitet Patriæ, deſideriumq; parentis:
Hæc quoq; terra tibi patria eſt, hic ſtirpe propinqui,
Hic generis pars magna tui, multosq; per annos
Fortunatorum ſeries longiſſima Regum,
Vnde genus ducis, rerum moderatur habenas.
Quoquò oculos vertes, quoquò veſtigia flectes,
Cognatis pars nulla vacat, locus exhibet omnis
Aut generis ſocios, aut faſtis inclyta gentis
Oſtentat monumenta tuæ. Jam ut cætera mittam,
Hic te qui cunctis meritò præponderat unus,
Expectat longè pulcherrimus Hectoridarum,
Pœnè tibi ſtirpis communis origine frater.
Mox etiam fratrem quod vincat amore futurus,
Et matrem, & quicquid conſanguinitate verendum
Lex facit, & legum quam iuſſa valentior ulla,
Naturæ arcanos pulſans reverentia ſenſus.
Hic quoq;, ni iuſtis obſiſtent numina votis,

Fal-

Falſaq; credulitas fruſtra ſpem nutrit inanem,
Filius ore patrem referens, & filia matrem
Sanguine communi vinclum communis amoris
Firmabunt, brevibusq; amplexi colla lacertis
Diſcutient blando curarum nubila riſu.
Hunc vitæ mihi fata modum concedite, donec
Iuncta Caledoniæ tot ſæclis Gallia genti
Officiis, pactisq;, & legum compede fratrum
Subdita dehinc ſceptris animo coaleſcat, & undis
Quos mare, quos vaſtis cœlum ſpatiisq;, ſolumq;
Dividit, hos populum Concordia nectat in unum,
Æqueva æternis cœli Concordia flammis.

G. BUCHANANI SCOTI.

IN NUPTIAS FRANCISCI FRANCIÆ DELPHINI, ET MARIÆ SCOTORUM REGINÆ.

MEne etiam cantare iubes & ludere Verſu
Nec dum maturæ teneros ætatis amores,
Quos inſueta Venus laſcivo compede vinxit,
Ante diem, thalamoq; pares ſociavit eburno?
Digna magis placidis vatum quos educat aula
Res erat ingeniis, vel docta Lutetia fundit
Quos gremio fœcunda ſuo: mihi publica rerum
Cura gerendarum ſenſus effecit amaros,
Lætitiamq; omnem vetulo gravis abſtulit ætas.
Ipſe quidem ſatis uſq; ſatis vidiſſe videbor,
Attulero cauſas properati fœderis huius
Reges & populos inter duo: namq; malignè
Quidam homines etiam hæc vulgo connubia rodunt.
Non quo more ſolent humiles de plebe mariti
Expectare, pilus dum mentum mollis inumbret,
Et iuſtæ vigeant robuſto in corpore vires,
Sic Reges faciunt: licet illis ducere lectas
Quandocunq; volunt, quacunq; ætate puellas,

In magno numero: Perſonis regia paucis
Progenies, paucis domibus concluditur arctè.
Unde ſemel neglecta prior quæ ſe obtulit iſtis
Conditio fruſtra ſimilis venientibus annis
Quæritur. Hinc natis quandoque ſuperbia patrum
Obfuit, innuptæque domi manſere puellæ,
Et ſolæ in vacuo longum gemuêre cubili.
Nulla expers adeò prorſus fortuna malorum eſt.
Sed par non aliud convenit pulchrius unquam
Nobiliusve. Puer vultu facieque decora
Jam magni fortisque futuri Principis olim
Dat clarum ſpecimen: Super hæc quoque, plurima in illo
Semina virtutis ſunt non obſcura paternæ.
Illa autem præſtat reliquis pulcherrima forma
Virginibus, comitesque ſuas ſupereminet omneis:
Aſpectu veneranda, putes ut numen ineſſe;
Tantus in ore decor, Maieſtas Regia tanta eſt.
Acceſsêre etiam divinæ Palladis artes,
Et maior ſexu prudentia, maior & annis.
Quæ bona, ſi poſita in mediocri ſorte fuiſſent,
Per ſe magna tamen poterant atque ampla videri,
Lucent illa quidem magè Regibus inſita magnis:
Tum decus accipiunt à Regibus ipſa viciſſim;
Splendidior gemma ut meliore incluſa metallo.
Accipe nunc quid opum vel uterque vel altera dotis
Contulerit. Puer Henrici ſpes magna Parentis
Unus & imperii Francorum & nominis hæres
Deſignatus: at illa ſuo Regina marito
Scottorum tabulis regnum dotalibus affert.
Parvum (inquis) parvum, fateor, componimus illud

Si noſtro. Sed cuius opem ſenſitq́ paratum
Non ſemel auxilium labefactis Gallia rebus,
Cum bellum gererent noſtris in finibus Angli,
Deſertam illorum patriam ſimul agmine facto
Scotti incurſabant, metus hic ſub protinus illos
Reſpicere, & noſtris cogebat cedere terris.
Quin etiam tellus his tam fœcunda virorum,
Tamq́ ardens animus, belliq́ incenſus amore,
Vt cum alius premeret vicinum exercitus hoſtem,
Suppetias alius nobis laturus eodem
Tempore, cærulei tranſmitteret æquora ponti.
Pro quo Rex Scottus frater ſociusq́ vocari
Regibus à Francis meruit: ſtipantq́ frequentes
Semper adhuc Scotti Francorum corpora Regum.
Nunc quondam ſocia, & longo diviſa locorum
Atq́ maris tractu, vivent & legibus iisdem,
Et diſcent uno domino parere libenter
Regna duo: At medii qui ſunt utriſq́ Britanni
Forſitan hoſtiles animos odiumq́ remittent:
Hæredíq́ ferent materni ſanguinis ultro
Imperium, Vel ſi malint contendere bello.
Diſcent quid virtus poſſit coniuncta duorum.
Magna quidem memoro, ſed enim Dii cætera, Guinis
Exciſis, captoq́ iubent ſperare Caleto.
At vos lætitiâ Galli, Scottiq́, ſolutos
Exhilarate animos, atq́ omnem ponite curam:
Tuq́ Errice parens, & tu CATHARINA *bonorum*
Tot Regum genitrix, & tu Soror optima Regis:
Vos etiam fratres, duo gentis lumina noſtræ,
Claro ambo ſtudiis civilibus, alter & armis,

Digitized by Google

Quorum pulchra ſoror Regi eſt enixa marito
Hoc decus. Ille quidem moriens hæc tanta videre
Gaudia non potuit. natorum cura ſuorum
Si qua tamen reliqua eſt patribus iam lumine caſſis
Ipſum credibile eſt lætari virgine tali,
Et tanto genero: graviter neq; ferre, vetuſtum
Gentis adoptivo cognomine creſcere nomen.
At mater regina libens ſpectacula cernat
Hæc oculis, nec ferre viæ, curſusq; laborem
Extimeat. nec ſe rapidis committere ventis.
Sed potior pietas, & rerum publica cura
Diſtinet, invitamq; locis conſiſtere cogit.
Omnes præterea quibus aut bona, vel quibus æqua
Mens fuit, hunc fauſtis fortunatisq; diebus
Inſeruêre diem. atq; eius meminiſſe nepotes
Præcipiunt. Ipſi Reges, quos ordine ſtantes
Cernimus ex altis fora deſpectare columnis,
Exultaſſe mihi ſignumq; dediſſe videntur
Lætitiæ. tanto mage ferrea corda quibusdam
Sunt hominum, quàm vel ſtatuis è marmore ductis.
Nam quid iactatas memorem per compita voces,
Multorum & fictas lacrymas. periiſſe ferentum
Omnia: & abſciſſam longos ſpem pacis in annos,
Si Francis illæſa fides. Scottisq; maneret?
Quin etiam verſis animis, nova fœdera Regem,
Atq; alias aliasq; nurus ſpectare iubebant;
Vnam autem geminâ (credo) iam prole parentem,
Bis totidem natam quot Regis filius annos,
Quæ res viſa parum. vel iniquis auribus, æqua.
Idcirco Regi confingitur eſſe Philippo

Digitized by Google

Nubilis & matura viro iam filia, nobis
Quam ſpondere velit, finemq́ imponere bello.
Hæc primum fabella creavit Regis amicis
Invidiam: detecta aliquo poſt tempore riſum
Commovit populis; tam vana & turpia Livor
Sæpe malus ſtultos adigit prorumpere verba:
Quos ego commoneo, perfectis deniq́ rebus,
Deſinere in vulgus puerilis ſpargere nugas,
Deſinere & quæ viſa Deis ſunt, tendere contra.
Num ſtudiis genere atq; opibus, num deniq́
Invenient aliam, quæ ſe huic componere poſſit?
Quid promiſſa fides, cùm flens Regina puellam
Mater adhuc teneram Regi tranſmiſit: & illo
Pignore firmavit tabulas & pacta futuri
Coniugii? vel tot precibus votiſq́ petitam,
Perfidioſa ſuis nunc Gallia reddat amicis?
Illa viro deſpecta, alii cum nupſerit omnem
Semper agat vitam, non immemor antè repulſæ,
Et iuſtum cupiens ulciſci irata dolorem,
Cum ducibus noſtris gerat implacabile bellum:
Aut fœdè populetur agros, aut navibus ignes
Iniiciat, noſtriq́ infeſtet littoris oram.
Vt nec commoveat ſeſe: tamen Anglia nullum
A tergo metuens, conſcenſis navibus, hoſtem,
Tetra magis, belloq́ incumbat durior uni.
Sic nobis veniet cum damno dedecus ingens.
Dii tantum prohibete malum, atq; avertite noſtris
Verticibus. nimis illa nimis cùm dote remiſſa
Gentis Aquitanæ coniux magno ſtetit olim
Regibus. hic noſtras veterum malus error avorum

Digitized by Google

Erudiit mentes: & cernere fecit acutum.
Vos inimicitias, odia aut privata ſecuti,
Non potuiſtis item perpendere, quid ſit honeſtum,
Et quid damnoſum, aut communiter utile nobis.
Tempus erit, cum læta domus ſe regia tollet
Natorum numero & divinæ ſtirpis honore.
Quot dabit ille viros, tot erunt tribuenda viritim
Regna ſuperſtitibus. Continget Gallia primo,
Proximus Inſubrum populos, omnemq́ tenebit
Italiam, Alpinis à montibus usq́ Tarentum.
Sic Scotis & iura dabit: Reget ille Britannos.
Accipient alias alii mox ordine ſedes.
Sic totum natis genitor diſpertiet orbem.
Hæc mihi namq́ ſuo vati prædixit Apollo
Quæ mea poſteritas (ut ſpero) læta videbit
Et dicet (ſi noſtra manent modò carmina) dicet:
Iſta olim iam noſter avus ventura canebat,
Maxima pars hominum fieri cum poſſe negaret.

MICHAELIS HOSPITALII.

IN NUPTIAS CAROLI IX. GALLIARVM REGIS.

FOrte queri audierat Martem cum matre Cupido
Dicentem ſua contemni iam numina Gallis,
Gallis ante omnes Martis cultoribus olim:
At nunc ſcuta ſitu carpi, rubigine tela,
Et pateras galeis mutari, falcibus enſes;
Ex quo firma novæ ſanxiſſet fœdera pacis,
CAROLUS, *armorum quamvis decus, attamen armis*
Otia qui populi, & lauris præponat olivas.
Talia dum queritur Mavors, Amor incitus ira,
Non impunè feret, dixit: nam me quoq; Matrem
Contemnensq; meam, ſolam colit ille Dianam
Venator, totumq; in ſylvis exigit ævum;
Hyppoliti ſimilis ſua quem fuga læſit amoris:
Quin etiam, victis dum ſæpius hoſtibus ultrò
Parceret, à nullo ſe vinci poſſe: niſi à ſe
Dixit, & his veniam dedit, ut ſe vinceret ipſum:
Regis opus magni quantam putat ipſe. Sed ecce
Vincetur iam non à ſe, mea ſi mihi nota
Tela, quibus vici Superos ego ſæpe, Jovemq;.
Dixerat, & celeri labens per inane volatu

Gallica rura petit, denſas quà Neuſtria Sylvas,
Sylveſtresq́; greges nutrit venatibus aptos,
In quibus & ſylva eſt, quæ dicitur eſſe Leonum
Rege nemus cultore ſacrum, & cultrice Dianâ.
Hic dum forte videt ſocio procul agmine Regem
Serâ iam ſub nocte viam fuſcantibus umbris,
Errantem cervi veſtigia nota ſecutum:
Impavidum mirans contemptoremq́; pericli,
Non iam non pueri formâ ſeſe obiicit illi,
Non hominis (neq; enim puerumve hominemve puta-
Rex dignum eſſe ſuo congreſſu) ſed ſibi ſumit (ret
Maiorem humana ſpeciem, cum lampadis igne
Ardentes: ſeſeq; illi talem obvius offert.
Iam rex vaſta pavens (mirum) ſimulachra, citato
It contrà violentus equo, ferrumq́; per umbram
Ventilat, & tenues fruſtrà diverberat auras.
Vmbra fugit, premit ille magis, ſequiturq́; fugacem.
Totis cumq́; ſuis & equi ſe viribus infert,
Trans-abit & nebulas quærit poſt terga relictas,
Sic iterum, ſic ſæpe ruit: donec ſua ventum
Vulnera ferre videns, eluſum ſe dolet, & ſe
Enſe putat vinci, non vincere: nec grave ſentit
Interea (cæcæ tantus fuit impetus iræ:)
Prodigus, incautusq; ſui, ſibi vulnus inuſtum
Pectore in adverſo, quà læva parte mamillæ
Cordis fibra micat, donec nota certa vaporis
Deprenſa à ſociis (nam fida ſupervenit illo
Congrediente cohors) tunica & monſtrata peruſta.
Hoc ſigno vix tandem animum collegit ab ira
Admonitus Superis iam cedere, qui loca ſervent.

Indi-

Indigenas nam ſæpè & ibi ſimulachra per umbras
His viſas oculis narraſſe: nec omine certo
Hæc oſtenta carere ſuo facta obvia Regi,
Et nullo terrore viriliter enſe repulſa:
Ergò opus eſſe aliquo, cui mens ſit conſcia Divûm,
Mirandi caſus interprete nec mora, miſſi,
Qui ſcitarentur Vatum reſponſa: Sed omnes
Hactenus incerti tentarunt omnia fruſtrà.
At nunc interpres tibi non ego plurima quondam
Qui divina notis tibi ſolvi ænigmata certis
Eventus ſortita ſuos: Sed tu tibi ſoli,
Tu tibi conſcius es, divina lampade facta,
Quid ſibi plaga velit, cui mox rapidiſſimus ardor
Arſerit in mediis circum præcordia venis.
Et color indicium fecit, qui ſemper in ore
Pallidior ſolito, quam lento torridus igne
Arderes, penitus imis ſuccenſa medullis,
Res ſatis in facie poterat deprenſa notari.
Nec mora, nec requies medicis luctantibus arte
Excutere immites cæco de pectore flammas;
Necquicquam: nec enim is flammæ nec vulneris auctor
Humana cuius medicabile vulnus ab arte:
Sed Deus ille, Deus vindex Martiſq; , ſuiq;
Contemptus: nec fas tela immortalia Divûm
Mortali auxilio, mortaliq; arte levari.
Ergo divinæ quæ poſſet cuſpidis ictum,
Divina ars, quærenda manus, medicinaq; Divûm.
Quod dum fida notat (quid enim non mente ſagaci
Illa notet) genitrix Medicea gloria gentis:
Vt nato medicans nomen non fallat avitum,

Anxia

Anxia de nati nocteſq; dieſq; ſalute,
Poſcit opem Superum, Superi venêre vocati
Maternum ad thalamum, rurſusq; antiqua dederunt
Somnia clara oculis iterumq; iterumq; videnda,
Annos ante octo quæ iam præviderat olim:
Tres Vrſos intrare auſos palatia Regis,
Regis & in matrem procurrere, mota periclo
Ipſa, videbatur cuſtodes voce vocare,
Multa per eluſas exclamans irrita fauces.
Illi acurrentes, geminos ſibi cædere viſi
Vrſos, tertius evadit: ſed turma ſequentum
Aſſequitur, ferroq; ſecat de parte ſiniſtrâ
Vrſinum cum crure pedem, matriq; reportat
Reginæ; illa memor iam ſomnia talia quondam
Viſa ſibi, à fidoq; illorum interprete dictum
Portendi viſis certum felicibus omen:
Regis coniugium Arctoæ regionis ab oris
Tres fore qui peterent; extremum ſed fore voti
Compotem; & inde nurum Calliſto, ceu Iove dignam
(Nam ſic mos Græcis clauſas vocitare puellas:)
Ducendam eſſe, Iovi quæ nubat proſpera noſtro.
Hæc dum mente memor prudens Regina volutat,
Neſcio quo ceu tacta DEO, iubet illicet ire
Regifico ornatu, & Regifico comitatu
Retzæum Comitem, Divisq; vocantibus ultrò,
Ducere Germanis ad Gallos finibus illam
Cæſaris Auguſti patris decus Eliſabetham.
Sacra Comes peragit magnoq; labore, fideq;,
Mandata, aut potius non iam Comes ipſe, ſed Arcas
Nuncius ille Deûm, qui nil talaria præter

De proprio adiiciens, atq; eloquium, ingeniumq;
Mercuriale viri retinet Deus; & ſua credens
Utitur iis: venit ecce novo Regina paratu
Tota auro, tota & gemmis oneratáq; magnis
Et Patris & Matris theſauris; atq; frequentes
Mille trahens pulchras comites ſibi pulchrior una
Nec latet in medio Dux agmine, ſed magis extat:
Nec latet ornatu forma decor ipſe decoro,
In facie latet ornatus: ſuo & obſtruit ipſa
Lumine luminibus gemmarum; auguſtior ut non
Tunc cum ducta Jovi quondam virguncula Juno.
Talis Muſarum ingreditur Regina ſub urbem
(Maſarium rude nunc vulgus vocat) atq; ibi fauſto
Muſarum excipitur cantu loca nota colentum
Argurium Muſis ſponſo, ſponſaeq; fovendis,
Nuntius adventus Regi citus advenit idem,
Nunc Dux, ante comes, medica veniſſe putares
Authoremve artis Phœbum, medicumq; Deorum
Paeona, divinis ſic Regia corpora ſuccis
Fota repentè ſacra pepulerunt lampadis aeſtus,
Surgit, & excuſſo de tabe priore veterno,
Cominus ipſe ultrò ſponſae procedit amandae;
Totus & ipſe auro, baccis contextus & Indis,
Et patris & matris gazis: ſecumq; frequentes
Mille trahens comites claros clariſſimus ipſe,
Nec latet in medio Rex agmine, Regis in ore
Unius omne latet decus, & decor agminis omnis.
Tantus honor regalis ineſt; tantum Jovis inſtar.
Tunc ubi ſiderei cum Maieſtate decoris
Junoni occurrit cum mille Deûm comitatu,

Semideûmq́ue choris cœli genialis in aulâ
Sed nos mortales vates mortalia plectra
Sortitos, cantare nefas convivia Divûm,
Regalisq́ue thori ritus & gaudia ſacra.
Divinis divina fuerunt carmina menſis
Muſarum, Phœbiq́ue ſatis: quibus iſta videre
Fas fuit: aſt ad nos tenuis vix murmuris aura,
Fama allapſa ſonis, dilati quæ mihi cauſa
Carminis ante fuit: At nunc venit apta canendi
Hora mihi poſtquam licuit cognoſcere Divos
Præſentes oculis præſentibus: haud tamen auſim
Muſa, modis levibus geniales dicere pompas:
Quarum tota capax vix magna Lutetia viſa eſt,
Sat mea Muſa, modis (quanta eſt tua copia) paucis,
Sequanidesq́ue ſuas Regina iterare ſorores:
Carolus ô ter Hymen Hymenæe ter Eliſabetha.

JOANNIS AURATI.

AD CAROLUM IX. DE ELISABETHA Auſtriade.

CAndida num gelido Nais tibi venit ab Iſtro,
Carole Rex, magnâ non ditione minor?
Arſit amore tui caſtiſſima filia magni
Cæſaris. Arctoæ tunc caluere nives.
Mens præ lætitia volitat præſaga futuri;
Et fore Sidereum nuntiat inde genus.
Cum tua ſit coniux ſeptem propè nata Triones,
Creditur humanâ Stella revulſa manu.

STEPHANI FORCATULI.

IN

IN ORIGINEM NOMINIS ET MATRIMONII HENRICI REGIS NAVARRÆ, *ET* MARGARITÆ VALESIÆ EJUS UXORIS.

CVM Venus in conchâ natali clauſa lateret,
Clauſus ut in niveo cortice pullus avis;
Ros Jovis, unde Deæ fuerat genitalis origo
Qui de conceptus parte ſuperſtes erat,
Purior ille quidem; & vitreo pellucidus albo,
Pro lacte incluſæ venit in ora Deæ,
Sed naſcente ſimul Divâ, patefecit hiulca
Seſe teſta humor duruit ille tener.
Forma tamen manſit pellucens quæ fuit ante;
Qui lapis, Argolicum Margara nomen habet.
Et quia gratus erat Veneri cibus, humor alumnæ
Nunc eſt, Virginibus quas amat illa, decor.
Hunc gravida imprudens quondam Catharina lapillū,
Oſtrea dum ſorbet forte cupita, vorat.

Qualis

Qualis & eſca fuit, talem quoq; ventre puellam
Edidit, & nomen Margaris inde manet.
Splendor & inde manet, qui virginis exſtat in ore,
Qualem ullæ baccæ non Orientis habent.
Utq; ſuum agnoſcens in ea Venus alma nitorem,
Hanc amat & Martis mox cupit eſſe nurum.
Ergo è ſtirpe ſatis Martis circumſpicit unum,
Cui nubat digno digna puella viro:
Antiquaq; ſibi Regem de gente Navarræ
Eligit, is viſus Martius eſſe nepos.
Nam vetera ut repetam terræ monumenta vetuſtæ,
Näoaria vetus, dicta Navarra nova eſt:
Quæ loca Geryone tenuiſſe, tricorpore victo,
Et rediens hortis victor ab Heſperiis,
Dicitur Alcides, ſua & heic ſtatuiſſe trophæa;
Hinc Martis templum nomen ineſtq; locis:
Quod Martis ſacrum devicerat ille Draconem,
Abſtuleratq; horti divitis hoſpes opes.
Deinde potius erat natâ de ſtirpe Draconis
Pyrene; montes nomen & inde tenent.
Hinc Pyrenææ deductus origine gentis,
Qui tenet hæc Marti templa dicata Deo.
HENRICUS *Veneris gratus gener ille Latinæ;*
Nam Catharis nunc eſt, ante Cytheris erat.
Vtq; ſuo Venus eſt ſemper chariſſima Marti,
Vt Veneri Mars eſt charus & ipſe ſuæ:
Sic nunc ſtirps Veneris, Martis de ſtirpe creato
Margaris Henrico chara futura ſuo eſt.

JOANNIS AURATI.

IN EIVSDEM NUPTIAS.

QValia Virtuti Virtus ſi nuberet ipſa,
Carmina pieridum voce canenda forent:
Talia Margaridi (Virtus nam Margaris ipſa eſt:)
Carmina Pieriis ſunt modulanda ſonis.

JOACHIMI BELLAII.

PROPEMPTICON AD SPONSAM HENRICI IV. QVVM FLORENTIA PROFICISCERETUR IN GALLIAM.

GLauca Thetis, bipedum quæ curru inſiſtis equorum,
Nec leve in Oceano gurgite numen habes.
Tyrrheno Regina ratem de littore ſolvit,
Italiæq; ſacrum trabs cava portat onus.
Rarum ingensq; tuis concredit Etruria regnis
Depoſitum, pelago fluctuat orbis amor.
Non minor eſt commiſſus honos tibi, non minor inſtat
Cura procelloſum pacificare fretum.
Quàm tuus ad Troiam cum filius ivit Achilles,
Dardanidûm imperio triſtia fata ferens.

Aut cum lecta virûm ſoboles, Argiva iuventus,
Prima rudes celebri nave ſubegit aquas:
Non memorandam æquè tulit alta per æquora prædã,
Iuppiter è Divo verſus in ora bovis.
Sterne vias faciles pulcherrima Neptunine,
Tangat ut optatam regia puppis humum:
Reddaturq; locis, ubi turbidus agmine vaſto
Præcipites Rhodanus volvit in æquor aquas.
Illic regnum ingens, regnoq; ingentior heros,
Hanc ſibi ſacrato fœdere poſcit heram,
Rex genus Hectoreum, duplicis cui gloria palmæ
Cingit honoratum Laurea bina caput.
Quem ſtupet attonitus belli in certamine Mavors
Dum rotat hoſtiles igneus enſe globos.
Quem rapidæ poſtquam deferbuit impetus iræ,
Patria communem ſentit amore patrem.
Hunc loquor, immenſo cuius laus didita tractu,
Finibus includi temporibusq; negat,
Qui nunc Allobrogum populos ſine ſanguine victor
Subiugat & fidei fœdera Marte ferit.
Huic tu Diva Duci debes Heroida, Martes
Vt pariat Celiæ Pallas Etruſca Iovi.
Huc delata ſimul portus intraverit, & iam
Debita complerit munia feſtus Hymen:
Ingredietur ovans medias regina per urbes,
Et lætum populis exſeret alma iubar.
Qualiter effuſis Venatrix Diva capillis
Inſequitur celeres per iuga ſumma feras.
Turbatosq; agitat clamore per avia cervos,
Aut acris iaculo traiicit ora lupi.

Seu cum læta choros inſtaurat amœna ſecundum
Prata Caballinæ quâ ſalit Vdor aquæ.
Illam formoſæ Dryades comitantur euntem,
Virgineosq; legunt ad latus omne gradus.
Vnicuiq; ſuus ſuperat decor, una ſed omnes
Eminet auguſtæ frontis honore Deas.
Talis per populos incedet regia Coniunx,
Quaq; ſalutiferos inferet illa pedes:
Lætitia ludisq; viæ, cava templa tonabunt
Plauſibus, & recinet vox geminata ſonos.
Vndiq; Votivis lucebunt compita flammis,
Condeturq; nota proſperiore dies.
Carceris illuviem iubar irradiabit amicum,
Triſtibus & veniet lux rediviva reis.
Mater ut unigenam deſiderat anxia natum,
Longa procul patrio quem lare terra tenet:
Haud aliter Cupido conſpirans Gallia ſenſu
Cunctantem Vnanimi Voce requirit heram.
Sequanides Nymphæ quia non datur ora tueri
Virginis, atq; ſui ſolis honore frui;
Præ deſiderio caput occuluere ſub undis,
Torpentesq; pigro diriguere gelu.
Nobilitas illam fremitu, plebs languida votis,
Ordo ſacer precibus ſupplicibusq; vocat.
Præcipuè Vrbs rerum pulcherrima, cui dedit olim
Tros puer à patriis nomen honore Parin.
Ecquid ab igne novo, Nerine, incendia ſentis,
Peleaq; emeritum priſtinus intrat amor?
Credo equidem, neq; enim fax dignior Ilion uſſit,
Excidioq; dedit Laomedontis opes.

An Paridis forſan vos nomen, & omen aterbat,
Incutiuntq; animo Dardana tela metum?
Omnis abeſto dolor, maternaq; cura faceſſat,
Nec vim, nec fraudes alveus ille gerit.
Vos quoq; Tyndaridæ felices eſte, boniq;,
Hæc ſoror eſt Helene, raptor at omnis abeſt.
Nullus in hac claſſi famoſus navigat hoſpes,
Qui Iove progenitam fœdet adulterio.
Sed Magno Hectoridæ Virgo, nurus inclyta Regum,
Lege maritali conſocianda venit.
Quæ Venerem facie, Iunonem moribus æquans,
Sola reperta fuit cœlite digna viro:
Quem ſi fata diu ſeclo, terriſq; reſervant,
Non decus hoc repetent patria regna poli:
Conteret immanem valida virtute tyrannum,
Quo truce ſub domino Græcia ſerva gemit.
Græcia Muſarum quondam domus, orbis ocellus,
Vnde fluit Tuſcæ nobilitatis honos.
Græcia magnanimûm generatrix Vna Virorum,
Clara togæ ſtudiis, nec minus apta ſago.
Quam nunc imperio premit impius iſte ſuperbo,
Diſſitaq; immenſis regna tenet ſpatiis:
Chriſtiadûm torpore potens, lateq; timendus,
Dum ruit Europe viribus acta ſuis.
Hinc animos ſibi ſumit atrox, hinc ſerpit ut hydrops
Horridus, & noſtro creſcit ovatq; probro:
Tellurisq; ſacræ ſecla triſtibus occupat armis,
Vixit ubi ſervi ſchemate Rex ſuperûm.
Heu quænam miſeros verſat dementia fratres,
Cæcane vos rabies, an malus error agit?

An Nemeſis gravis ira & inexorabile numen,
    Has ſibi crudeles flagitat inferias?
Quidquid id eſt; hinc iam ſtudiis concordibus iras
    Ponite, paxq́; animos inviolanda liget.
Aut ſi tantus amor bellandi accendit, in hoſtem
    Vertite, qui Chriſto bella nefanda ciet.
Cuius adoratum terris exſcindere nomen
    Perfurit, haud metuens, Cominus ire Deo.
Procurate nefas, diramq́; avertite cladem,
    Flos procerum, ſanctæ robora militiæ.
Plus ſatis eſt animi nec opes, nec cætera deſunt,
    Cunctorumq́; inſtar dux memorandus adeſt.
Impiger Hectorides, cuius decora alta nec æſtu
    Tardabit Libye, nec nive Thraca rigens.
Mars erit auxilio tam iuſta foventibus arma,
    Threicio quamvis ducat ab orbe genus.
Huc veneranda fides vocat, hinc ſpes ampla Triumphi;
    Talibus auſpiciis militat ipſe Deus.

ALIUD EPITHALAMIUM DICTUM REGI HENRICO QVARTO, ET MARIÆ MEDICES.

CVr ita præcipiti petis arduus æquora curſu,
    Phœbe, quid à noſtro ſic citus orbe fugis?

Nunc

Nunc erat æſtivos ſub Cancro extendere ſoles,
Sidereo ut liceat longius ore frui.
Namq́; licet radiis terras, mare, & æthera luſtres,
Conſimile huic aſtro nil tua flamma videt.
Illam purpurei circum vectantur amores:
Fulgurat ex oculis miſtus honore decor.
Regia maieſtas inceſſu habituq́; refulget,
Veraq́; magnanimo pectore diva patet.
Diva duas pariter, contraria numina Divas
Quæ iugat, & miris exprimit una modis:
Comis in auguſta reſidet gravitate iuventus,
Lenis, & in rigida Pallade Cypris ineſt:
Spirat amabiliter gravitas, graviterq́; venuſtas,
Hanc ut amicet honos, illam ut honeſtet amor.
Quà graditur, fugiunt, curæ, mœrorq́;, timorq́;:
Diſcutit ut tenebras ſole oriente dies.
Unius in ſpecimen Charitum chorus omnis, & æther,
Et bona ſors cunctas accumulavit opes.
Talis ab annoſi thalamis Aurora mariti
Surgit, & humentes rore fatigat equos.
Non Phryga Priamiden facies præclarior uſſit,
Quam repetens ſolvit Græcia mille rates.
Adde quod illa nocens mœchum ante putavit Atridæ,
Pergameasq́; gravi funere merſit opes.
Pulchra ſed hanc pulchro decorat præ corpore virtus,
Inſequiturq́; comes forma pudicitiam.
Non ſecus ac flavo quam circumveſtiit auro
Docta manus multo gemma decore nitet.
Juppiter ipſe licet largo pluat aureus imbri,
Confeſſusq́; Deum ſupplicet huic Danaæ:

Nil niſi ludibrium referet, turpemq; repulſam:
Non ſi legitimos qualis init thalamos,
Procedat, qualemq; truci Cadmeia fato
Senſit ab inſidiis Juno maligna tuis.
Deniq; multivolus formas ſe vertat in omnes,
Depoſitoq; tegat numine furta ſua:
Non tamen invictum poterit perrumpere pectus,
Tantus in horrenda virgine regnat honor.
Illa dolos, arteſq; vafras virtute retundens,
Arma Triumphato de Jove opima feret.
Pervia ſunt auro quævis loca, ni vigil intus
Mens habitet, nullum certa ſubire nefas.
Limina ſponte patent, pretii quà vector aſellus,
Membra licet ſenio debilis, ire poteſt.
Non canis excubitor, non turris ahenea munit ”
Matronale decus, ſed pudor atq; fides. ”
Quæ dare cunctatur, dedit: & mox offeret ultro,
Si fore clam ſperet, quod malè fronte tegit.
Fruſtratur populum, tituloq; exſultat inani,
Quam Lex eſſe malam, vel mala forma vetat.
Interiora animi ſervat penetralia virtus,
Hinc radians vero nomine fulget honos.
At tua quæ noſtro nubit Diana Gradivo,
Ducit ab ingenii ſtirpe pudicitiam.
Acceptamq; refert ſibi, nativoq; pudori,
Mente quod integra reſpuit omne probrum.
Virtus ſub fauſtis nutrita penatibus iſtos
Inſevit mores, nec ſinit eſſe ream.
Legibus, atq; nimis terrentur inertia corda,
Lex eſt officii mens generoſa bonis.

Huic

Huic genus, & veterum ſors inclyta præſtat avorum,
Ne probior poſſit iudicis eſſe metu.
Fortunata domo, nullius & indiga dotis,
Maius ab indigena lumen honore capit.
Talia dona probant cœleſti è ſemine cretam,
Nil ſibi mortalis vindicat inde parens.
Non igitur mirum eſt, ſi tantæ ob munera laudis
Coniugium meruit bellipotentis heri.
Quam ſtudio ingenti petierunt undiq; gentes,
Quà procul Europæ ditia regna patent.
Te magis eſt mirum ceſſare in honore ſororis,
Cui cœlum omne vacat, cui favet ipſa V. nus:
Numine quem ſtabili fatalis comprobat ordo,
Vellere parca favens candidiore notat.
Ex quo terrigenas, moribundaq; membra reliquit
Ordinibus ſuperûm iunctus uterq; parens:
Felices animas nunquam meliora bearunt
Tempora, nec fulſit lætior ulla dies.
Largius ipſe pater diffundit nectare vultum,
Mater ab immodicis liquitur ægra bonis:
Nec ſua iam potis eſt moderari gaudia matrûm
More, bonamq; ferunt luxuriare Deam.
Cœlica templa ſonant gratantum vocibus, omnis
Turba fremit feſtum concelébrare diem.
Tu frater tardusq; venis, ſubitusq; recedis,
Abſceſſuq; refers nubila ſæve tuo.
Quorſum adeo feſtivus abis pulcherrime rerum,
Quisve tibi eſſe poteſt ludus in Oceano?
Num veteres iras memori ſub pectore ſervans,
Fers gravè, quod Marti nupſerit alma ſoror?

Frater es, inflectat pietas fraterna rigorem,
Germanæq; ſacro ſidat amore dolor.
Conditio haud potuit melior ceſſiſſe ſorori,
Regna licet triplicis temperet una plagæ,
Delia apud Superos, Hecate tellure ſub ima,
Cœleſtes inter lucida Luna choros.
Non te nulla manent placatæ præmia mentis,
Gratia nec Phœbo proderit iſta nihil.
Nam tibi pro tali merito Mars cedere geſtit,
Quidquid in Omnivola Cypride iuris habet.
Principis eſt animi placidos abducere amores,
Hic labor, hoc titulo Iuppiter ipſe caret.
Tu quoq; das ſpecimen, qui libertate Deoq;
Dirutus agnoſti quam ſit amarus amor.
Ergo age Luciferos inhibe ſufflamine currus,
Plenius ut poſſis paſcere amore oculos.
Sed quid iniqua queror? Nil Marti iraſceris, & quam
Poſtulat alta ſoror, vis in amore manet.
Quin hac mente diem gyro interiore coerces,
Noctis & optatæ protrahis usq; moras:
Ut te olim perhibent patri ſerviſſe benignè,
Iuppiter Alcmenæ cum fuit in gremio.
Scilicet haud poterat tanta puer indole naſci,
Ni data ſeminio tempora iuſta forent.
Sic tibi, maxime Rex, properant ſe condere ſoles,
Longior & ſolito nox vigilanda venit:
Vt te Marte gravis decimo poſt menſe Diana
Parturias Gallis Amphitryoniaden.

DOMINICI BAUDII.

SVPER ANNI TEMPORE QUO NVPTIÆ HÆ CELEBRATÆ.

QVid tantum accelerat volucres abiungere Veſper
Solis equos, luci quæ mora ſegnis obeſt?
Extimuit frater, ni tempeſtivus abiret,
Flagrare in terris igne Diana tuo.

ALIUD EIUSDEM ARGVMENTI.

PHœbe quid Heſperio properas te mergere fluctu?
Curriculoq; rotas interiore diem?
Cauſa pia eſt: timuit, ſi ſerius iſſet ad undas,
Ignibus amburi Cynthia pulchra tuis.

ALIVD EIVSDEM.

TEmporius ſolito cur Veſpera claudit Olympum?
Auroræ biiuges quæ mora tardat equos?
Surgere Sol pavitas cognati ob luminis aſtrum,
Germanæq; times frater ab igne coqui?
Nam tua ſancta ſoror Marti iam debita coniunx,
Dum parat heroi ſe ſociare ſuo:
Talem ſeſe infert tantos exſpirat amores,
Tot ſimul ambroſio pectore dona gerit,
Vt nequeant mentes expleri, atq; ora tuendo
Mirificum genii luxuriantis opus.
Vnam omnis ſuperumq; cohors hominum beatam
Clamat & aſſenſu regia tota fremit.

Solus in officio memorem cunctaris ob iram
Præq; valet ſolido vanus honore dolor.
Si ſapis haud tibi erit duplex Amanthuntia tanti,
Coniugio ut tali Delia pulchra cadat.
Quin potius caſtos alio transſcribere amores
Cura ſit & valeat cum grege mœcha ſuo.
Quod ſi hanc perniciem, tetrumq; expellere morbum,
Non datur, & venis hæret adacta Venus:
Germanæ præcellat honos, cui ſe improba Cypris
Judice nec Phrygio dixerit eſſe parem
Tota licet ſoli contingat propria Phœbo
Dedecorumq; pigens eſſe pudica velit.
Adde quod ille tuos Mars amplexatur honores,
Cui ſe connubio iungit honora ſoror.
Fulget enim duplici radiantia tempora Lauro,
Palladis & gemino numine plenus ovat,
Terribilis denſos cum turbine fulminat hoſtes,
Tranquillus rapidi poſt grave Martis opus.
Ergo agedum veteres hinc iam obliviſcere rixas,
Offenſam officiis & reparare velis.
Germanæ thalamo cur frater, & unicus obſtas,
Præpoperoq; gradu vergis in Oceanum?
Forte quod inceſto metuiſti fulmine tangi
Tempeſtivus abis, tardigradusq; venis.
Fallor, an affini maturior occidis, & nox
Immenſo ſpatiis æquore laſſat equas:
Immenſæ quia noctis eget quod nobile pignus
Tuſca dabit Gallo Marte Diana gravis.
Ergo tibi vigilant noctes, Auroraq; dormit,
Mars piger, & linquit ſera cubile ſenis:

Digitized by Google

Alter ut Alcides toto Jove dignus ad auras
Ætherias Italo ſanguine mixtus erat.
Qui maria et terras famâ arduus impleat omnes,
Quas obit exoriens, occiduusq; dies.
Cuius ad occurſum iam nunc Marrana tremiſcunt
Regna, parvorq; ipſos ad Garamantas abit.
Thrax dominus, gentesq; timent ventura ſuperba,
Summittuntq; animos, & fera corda domant.
Tot latè imperitans populis regnator Iberus
Mollior in leges occupat ire bonas.
Fœderibusq; manet non relligionis honore,
Sed timet experti naufraga ſaxa maris.
Qui modo ſublatus cæca ambitione furebat
Jungere velleribus lilia trina ſuis,
Jam nullum agnoſcit potiorem pace triumphum,
Acciſasq; gemit poſt mala cautius opes.
Belga novi cupiens, & libertatis amore
Legitimos etiam ſæpe gravatus heros:
Nunc aut ſponte cupit ſocios adſciſcere Celtas,
Aut ſimulat ſtudium, diſſimulatq; metus.
Jamq; animis, iamq; auſpiciis maioribus ardet
Excutere iniuſto libera colla iugo.
Allebrogum mulctatus agro dux Inſuber Alpes
Circuit, atq; hyemis munere fata fugit.
Quod ſi pertendens animo parere recuſet,
Malit & uſq; furens ultima noſſe mala:
Qui veniam facili ſub conditione paciſci,
Lenibus & poterat ſpem reparare modis:
Mox inhonorus, egens animam prece ſupplice poſcet,
Inferior genibus Rex metuende tuis.

Aut

Aut patriâ extorris profugus Lare pulſus avito
Perferet imperium deterioris heri:
Sic placitum ſuperis mentes frænare ſuperbas,
Neſciaq; in lætis corda tenere modum.
Non bene fert animus Fortunæ munera magna,
Qui ſpe ſemper hiat, nec ſua vota capit.
Perfida ſed tumidos tandem premit Vltio faſtus,
Fallitur hanc ſe quis fallere poſſe putat.
Illa tuum iam iamq; ſuprâ caput, Inſuber, aſtat,
Diraq; fatorum iuſſa patrare parat.
Cede Deo, viresq; tuas metire, nec ultra
Contendas aquilæ cominus ire culex.
Tot tibi ſunt exempla domi, quam ſit grave Reges
Temnere liligeros, & temerare fidem.
Te pater Eridanus, tua qui ſata pinguia ſulcat,
Cuius in amne iacet fervidus ille puer:
Iuſtitiam docet, & vetat indulgere furori,
Si tua conſiliis mens foret æqua bonis.
Verum ubi proſcripta regnat ratione libido
Deteriora placent morbus & ipſe iuvat.
Scilicet eſt tanti Phaëthontia fata ſubire,
Dum novus in terris Lucifer eſſe queas.
Pone parum ſanos famoſæ mortis honores
Ne miſer extremos experiare metus.
Hæc ut plura tibi gravis Adraſteia minatur,
Ni ſapis, & mentem diſcis amare bonam.
Aurea ſed mundo renovabit ſecula Delphin,
Quem Maria Henrico Chriſtiadiſq; dabis.
Naſcere magne puer, cui tot bona deſtinat æther,
Flos & amor populi, naſcere magne puer.

Et vos ô fauſto coniuncti ſidere amantes,
Pronuba quos ſtabili fœdere Iuno ligat.
Par, quo fata nihil maius meliusve dederunt,
Nec iubar ex alta deſuper arce videt.
Vnanimi auſpicio ſtadium decurrite amoris,
Plenaq́ felici pandite vela thoro.
Magnus ut auguſto de Semine prodeat infans,
Publica quem mundi Vota precesq́ flagrant.
Quo duce, ſi qua ſuper ſcelerum contagia reſtant
Funeſtum referent tartara ad ima pedem.
Illius ad faciem, ceu triſtis ad ora Meduſæ,
Cernere erit gelido monſtra rigere metu.
Diffugient volucres Briareia gens, Harpyia,
Quiq́ ſacram pretio proſtituêre Themin.
Iura dabit pietas, aderit flos ille Dearum,
Quam fraus atq́ nefas linquere adegit humum.
Aurea progenies terram colet; aurea paſſim
Copia abundanti gurgite fundet opes.
Sic erit; Haud vano præcordia concutit aſtro
Lauriger, atq́ omen rite ſecundat Hymen.
Hoc decus, an ſobolem promittunt ſidera ſeclo,
Cultoriq́ labos, ingeniumq́ ſoli.
Nec nil efficient communia vota bonorum,
Si quis apud ſuperos eſt pietatis honos.
Alme Deus, ſub quo ſeries longiſſima regum,
Per tot inoffenſo ſecundo ſecla tenore viget:
Si genus Hectoreum placido pater aſpicis aſtro,
Nec dum fata manent ultima Francigenas:
Si duce & auſpice te Priami de clade ſuperſtes
Dardanius rexit littora noſtra nepos.

Hen-

Henricum tutare patrem, quo ſoſpite nunquam
Celtarum ſobolem deſeret alma Salus.
Nam quæ dementes poterat vis ulla ruinas
Siſtere, & extremis ſpes ſuperare malis:
Tale iubar Gallis ni cælitus affulſiſſet,
Quis poſitis fati in limine ferret opem?
Quas etenim ſcelerum facies non vidimus, ætas
Impia? cui monſtro iam locus eſſe poteſt?
Sed quid ab exorſo digreſſus ſtamine texo
Pro luſu leſſum, pro thalamo tumulum?
Ira meret veniam, verum importuna querela eſt,
Convenit & ſacris nil Hymenæe tuis,
Attamen hinc oritur prælustris adorea Regi,
Ment.s & excelſæ pignora certa patent:
Quod valuit tantos rerum componere motus,
Non fuit humani roboris illud opus.
Macte pater, magni genus Hectoris, optime Princeps,
Delicium populi, publicus Orbis honos.
Mens tua nil ſecum tacito ſine numine volvit,
Inde tibi ex voto proſpera cuncta cadunt.
Nil deſit regniq; bono, ſtudiisq; tuorum,
Quam genus ut clara prole propaget Hymen:
Atq; Henriciades magna tibi parvulus aula
Ludat, & olim ingens vincat honore patrem,
Auguſtæq; domus fortunam fulciat hæres,
Haud aberit votis hæc quoq; ſumma piis.
Sic tibi Muſarum ſpondet chorus, augur Apollo,
Trina charis, triplices ſic ſtatuêre colus.
Sic proba nobilitas, ſic relligioſior ordo,
Sic populus poſcit, ſic rata fata volunt.

ALIUD
IN NUPTIAS
PHILIPPI ET MARIÆ, HISPANIÆ, ANGLIÆ, &c. REGUM.

ILiacum excidium, Dircæaq; funera, & Argo
Per freta quærentem Phryxæi velleris aurum,
Cognataſq; acies civilia ad arma ruentes,
Deſcribant alii, aut Seſtæis naufraga membra
Littoribus, Stygiiq; feros rectoris amores,
Corporaq; in varias rerum tranſſumpta figuras:
Materies vatum hæc, ſed ſecli læta prioris.
In nova fert animus tædas cantare iugaleis,
Et toties votis exoptatos Hymenæos,
Carolidæ Auguſtam qui coniunxere Britannam,
Feſtoſq; applauſus, & lætos gentis honores.
Tu mihi da vires in carmina magne Philippe,
Cui Solymas arces & victam pandere Idumen
Conſpirat cœlum: Libyæ quem fama ſubactæ
Atq; Aſiæ rerum non gloria parca ſequetur:
Tu Cynoſura eſto currenti fida carinæ
Tu noſtra orſa iuves, cœptiſq; faveto ſerenus.

Digitized by Google

Sanguineam Mavors quatiebat turbidus haſtam,
Horrendus galea, clypeiq; umbone coruſci:
Multifidæq; facis ſtridore armata Megæra,
Et tortum vibrans Bellona cruenta flagellum
Inſanusq; Furor pugnæ & Diſcordia mater,
Vexabant armis miſerè furialibus orbem:
Queis ſe falce potens, noxæ irreparabilis autor,
Diſſidiiq; parens Saturnus iunxerat acer,
Involvens populos ferali turbine belli.
Ebrius Iſmarium dum Medus Acinacis haurit
Sanguinem & Æous Turcarum paſcitur ales
Viſceribus: dum Belga acer, Galliq; feroces
Concurrunt odiis fatalibus arma cientes:
Dumq; potens vexat turritam Hetruria Senam
Et fortuna parum reſpondens nomine, terras
(Heu) fortunatas ſpoliis malè multat opimis:
In tua dum ſævis furioſo viſcera bello,
Atq; inteſtinis odiis gliſcentibus Angle.
Iuppiter aſt hominum caſus miſeratus iniquos
Pertæſus toties Heroum martia corda
Indignantem animam crudeli ponere letho,
Abſumi igne caſas gelidæq; ſolatia brumæ
Diripi opes, mœſtas abducto pignore matres
Et paſſim fluvios per rura natare cruoris,
Conſilium indicit ſuperum, ſeriemq; retexit
Cauſarum & fati quæ ſit ſententia pandit:
Sicq; orſus fatur, ſolio ſublimis ab alto:
Illicitos hominum furiata mente calores
Olim ulti fuimus, Superi, ſtagnantibus undis
Pœnituitq; iræ: ſed enim caligine tanta

Obvo-

Obvoluit mentes extinctus numinis horror,
Audiat ut virtus ſcelerum aſſuetudo pudenda.
Exemplo ſævire novo, conſurgere in iras
Par fuerit iuſtas: Sed qui? flammáne rapaci?
At non fata ſinunt: funeſti an vortice belli?
Sed ius faſq; armis temerent impune trucident:
Mutua damna legant: hæc iuſta ſit ultio, crevit
Crevit in immenſum intoleranda potentia Turcæ,
In præceps ruitura ſua iam proxima mole:
Hanc agitet ſpargens fugiendo ſpicula Parthus
Senaq; turrigero concedat vertice Coſmo,
Coſmo ornamento dives tibi Thuſcia raro,
Et coniuratis coniunctos fœdere Lunis
Iunonis flores ut Lilia, conterat ales
Grata Iovi roſtro bifido, fera Parca minatur,
Iamq; furor rabidus per bina triennia ſectas
Diſtrahit in varias ſemotos orbe Britannos,
Dum rerum arbitrium nunc hic, nunc ille protervus
Per ſcelus invadit, ludibria dira ſecuris
Sanguineà exercens magnatum in mutua colla:
Et nunc ambitio vaecors, & tetra libido
Regnandi ſtimulis verſat furialibus actam
Dudlæi mentem, rerum qua ſcandere culmen
Poſſit, & imperium funeſta cæde cruentus
Aſſerat (& vix dum crudelibus occupat umbris
Eduuardus puer indignus, quem pallida tabes
Lancinet) & iam nunc facinus ferale volutat,
Ac Mariam ſceptri decus immortale Britanni,
In qua labentis ſpes vertitur unica regni,
Mactandam patriis ſceleratè deſtinat aris.

Pulvereas cogit turmas, atq; expediat arma
Perfidus, & natam ad cædem depoſcit herilem.
Id vero noſtri cultrice in virgine durum eſt,
Sed ruit exitio præceps: ita volvitur ordo:
Autoriq; ſuæ nectentur colla catenæ.
Nam Maria adverſum molimina ſæva tyranni
Intrepidum opponet pectus, ſeſeq; periclis
Durabit victrix, & vindex maſcula nobis
Thura dabit, votis onerans luſtralibus aras.
Quæ poſtquam acciderit, certum eſt (ſtyga iuro profundam)
Cuncta catenato rerum ſic agmine volvi,
Danda opera eſt nobis, ut ne ſtirps regia damno
Virgineo intereat: vos huc advertite mentem
Cœleſtes nec conſilium damnate ſalubre:
Mutua quo tandem ceſſet laniena, fidesq;
Et pax alma ſuas vires rediviva receptet,
Ac repetat ſedes fugitiva Aſtræa relictas.
Hactenus innuptæ caſtra intemerata ſecuta eſt
Palladis obnixe virgo: verùm hora requirit,
Ut generis fraudem præſtet, Zonamq; Hymenæo
Solvat: coniugio non dignior orbe maritus
Quæratur quàm Carolides ſpes Cæſaris una.
Hanc Venus Urania curam mea filia ſumet.
Illa dabit ceſton, nexuq; ligabit amanteis
Et populos ſtabili coniunget fœdere binos,
Communemq; operam ponet Cyllenius ales,
Connubii qui ſpem retegat fatumq; Philippo.
Dixerat: ut ſubito concuſſus pondere Olympus
Intremuit, concorsq; ſtetit ſententia divûm,
Communi audito aſſenſu, mox iuſſa faceſſe

Nata meæ vires, inquit divûm atq; hominum rex
Ad Mariam fato cui ſceptra Britanna parantur
Remigio haud ita poſt multum delabere penna.
Inſinua, quæ cœlicolûm, quæ noſtra voluntas.
Fac bibat inſolitos (erit hæc tua cura) medullis
Ignes, ter magni tenereſcat amore Philippi.
Adiice ſpem prolis, parviq; hæredis in ulnas
Adſultaturi matris. Nec tu quoq; longùm
Differ iter Maia genite, & molliſſima carpens
Tempora colloquii cum nato Cæſaris, illum
A vidui thalami revocato cupidine, fati
Et ſeriem referas: hic facto fine quievit.
Nec mora, continuò patris mandata capeſſit
Maiugena, & pedibus pernicibus aëra ſulcat:
Nam petaſus caput, armabant talaria plantas.
Dextram virga levis, biiugi quam molliter angues
Cauda innodabant, vibrantes ſibila linguis.
Iamq; Caledonii ſub ſe freta concita ponti
Miratur, refluoſq; ſinus & Cantia rura
Cernit oloriferam Thameſin, ſua Doridi amara
Flumina miſcentem, & tectis opibuſq; refertis
Londinum & (ſi fas) numeroſo cive ſuperbum
Larga ubi fœcundo rerum undat copia cornu,
Colluſtrat: teq; ô nimium Vintonia tanti
Connubii auſpicio felix, Vectamq; iacentem,
Inde ſupervectus ſpumoſi marmoris iras
Deſpicit hinc terras Britonum; hinc ſylveſtris Iernes
Littora: tandem oris volucer conſedit Iberis.
Hinc alios ducens vultus Hæcmundius Heros
Ore habituq; fuit toto, filoq; decente

Corporis egregii: mox atria longa ſubintrat
Carolidæ: is tum forte ſibi conqueſtus amores
Succiſos viridis primævo in flore iuventæ.
Ducebat mœſtus ſuſpiria pectore ab imo,
Quem ſic aggreditur placido Cyllenius ore:
Arbiter Heſperiæ rerum, ter maxime Princeps
Anxia quid te cura coquit? quid vulnere crudo
Conficis infelix animum? viduos ne perenni
Lugebis mœrore thoros? hanc exue mentem,
Et vanum cineri atq; umbris permitte dolorem:
Teq; ipſum rebus ſerva melioribus. Ecce
Fata viam pandunt ultrò? Iacet inſula dives
Æquore in occiduo, vatum non indiga laudis,
Anglia non pridem vocitata Britannia priſcis.
Illius imperio virgo ſucceſſit avito,
Quæ vel Eleuſynæ Cereris myſteria caſta
Contrectare manu queat, & te digna marito:
Armiſonæ Virgo cultrix ſtudioſa Minervæ,
Inclyta progenies Regum, pariturаq; Reges.
Hæc tibi ſervatur fatis fidiſſima coniunx,
Indubitata loquor: voti hanc ſectabere certus,
Optatam multis prædam, paciſq; ſerenæ,
Munere bina ſimul cœleſti regna beabis.
Hæc ſumma eſt: his tu contra ire caveto: paterq;
Fari plura vetat. Tenues ſic fatus in auras
Vaneſcit, ceu longa ſolent glomeramina fumi.
Lumina mox partes verſare Philippus in omneis,
Fallor, ait, mentem num vana inſomnia ludunt?
An quiſquam noſtris impune illuſit ocellis?
Hæc ne hauſi coram? non ille? acceſſit imago

Quiſ-

Quiſquis es ætherei cœli, lucentis & axis
Incola, te ſequor obſequium tua iuſſa merentur.
Talia dicentem latitans cornu occupat aureo
Ortus amor cœlo: namq; hic dum limina matris
Alta per ætherei repetit confinia tractus
Obvius alipedi, & cauſas properantis odorans
E minius aſſequitur, relegit veſtigia divi
Prævia, clámq; illo ſubiens eadem atria furtim,
Poſt villoſa ſtetit pendentia ſtragula tectus,
Ex illo igniculis mens inflammata Philippi,
In niveos vultus, & lactea colla manuſq;
Vertitur, & fauſtum trutinat primere labello
Nomen vel chartis victuris illinit: & iam
Sæpe pudor tingit ſecreti proditor ora:
Sæpe etiam nuptam præſentem inſomnia ſiſtunt.
Quin iam dona parat ſponſæ rariſſima veſtes
Attalicas auro, baccata monilia: & Indo,
Aut exportatas Erythræo ab littore gemmas
Et magna invidia, ac fulgore adamanta coruſco
Vincentem lunare iubar, Titaniaq; aſtra
Ardenteſq; oſtro Tyrio, pictoſq; Tapetas
Tunetis teſtes victi, & Carthaginis alta,
Inclyta Ceſarei (certum eſt) monumenta triumphi.
Sæpe dies queritur lentos iam tardius ire,
Feſtinuſq; avidos complexus coniugis optat,
Sed rerum momenta vetant: componere regnum
Dum ſtudet. exemploq; bono complere labores
Se dignos, ſancto & defungi munere Regis.
Interea exquiri mandat Venus aurea amorem
Abſentem non quem peperit laſciva Dione;

Non illum, quem vana oculis radiantibus orbat
Græcia: ſed nitido pollentem lumine natum:
Aurea cui tergo pharetra, & non livida plumbo
Spicula, ſed fulvo pendent fabricata metallo:
Quo ſine turpe nefas, & triſti morte piandum
Carpere iter ducit, tam nil cum Cypride quidquam
Deſultoria habet commune hæc Cœlica, tandem
Conſpicitur revolans à gurgite pinguis Iberi.
Quem complexa ſinu mater, quid frons ſibi læta
Quid vult riſus? ait, vel quo diverſus abiſti
Ex oculis? volucer cui libans oſcula natus,
Gloria magna refert, parta eſt: inſigne trophæum
Hiſpanis poſui terris, noſtrumq; Philippus
Heſperiæ princeps præter maximus arcum
Senſit, virgineoq; calet nunc igne Britannæ
Reginæ: cuius proles Cyllenia ſuaſit
Coniugium, properato parens, atq; annue votis,
Et ſocios coniunge toros. Vultuq; renidens
Hoc ago, mater ait, nec tu dilabere quoquam.
Continuò non tarda, ala ſe præpete librat
Lapſa polo: niveo quam Lactea ſemita tractu
Candet, Londiniq; petit regalia tecta
Succeditq; hortis, Thameſis quos gurgite lambit,
Qui Corcyræi vincant pomaria regis.
Et nato comitata intrat ſecreta cubile,
Regifico fartum luxu quod fulva metalli
Bractea Dalmatici exornat, pulchriq; tapetes:
Regia ubi grates reddebat virgo Tonanti
Qui faſtu Arſacio tumidum fregiſſe tyrannum
Dignatus ſolio fraudatam immiſit avito,

Sicq;

Sicq́; exorſa dedit tales de pectore voces:
Salve ô cœlituum virgo certiſſima cura,
Rara pudicitiæ, & conſtantis gloria mentis:
Quonam hic uſq; pudor pavidus vacuiq́; cubilis
Integritas perſtat? nunquamne iugalia cordi
Vincula erunt? ſociumq́; odio damnabis acerbo
Heu nimium tibi iniqua, thorum? labi ne potentes
Per te fortunas regni patiere, genusq́;
Stirpitus Henricum cadere? ah procul iſta faceſſat
A te tam ſæva, & damnoſa calumnia: quin tu
Reddere ſpem gentis, damnum ſarcire iuventæ
Labentis ſatagas: gravior mox ingruet ætas.
Non ideo tibi tale decus, formamq́; venuſtam
Contribui, aut Pallas Doctrinæ munera raræ,
Non Muſæ eloquium, ut marceres cœlibe vita:
Fata parant aliud, numenq́; his auribus hauſi.
Ipſa Iovis, nec tu fatis immota reſiſtes.
Heſperio latè dominatur in orbe Philippus
Carolides tibi cognato de ſtemmate Regum
Iunctus, gentis honos, ſpes & votum unicum Olympi,
Imperium cuius iam ſuſpicit accola Iberi
Divitis, & placidi Bethis, Rheniq́; bicornis,
Prænitidiq́; undis Ticini, Scaldisq́; recurvi.
Ipſa ſinu puerum fovi, puerumq́; papillis
Gratia lactavit, docuere Heliconis alumnæ:
Quod Titus orbis amor: quod Pyrrhus fulmen in armis
Ingenium velox, ſolers prudentia, priſca
Nobilitas, comisq́; decor, ſumma omnia in uno.
Suave micant oculi, frons alta & pondera rerum
Ferre potens, umbratq́; genas lanugo tenellas.

Hunc tibi conſignat cœlum, hunc conſigno maritum
Alma Venus: labem hic generis præſtabit, & ante
Lucidaq; quam decies repararit cornua Phœbe
Maternas feriet teneris vagitibus aures
Parvulus Henricus, matris qui ludet in ulnis
Et molles riſus iactabit, & oſcula blanda,
O felix virgo quam mutuo amore calebis.
Unum obſervabis, merito poſſeſſa marito.
Ipſa ego (dicam etenim) repeto cœleſtia templa,
Natales nobis ſedes: natumq; relinquam
Hic vice depoſiti, tranquillæ pacis amicum:
Ille novi ignaros ignis, primiq; caloris
Ille rudes docet, ac venis flammam imprimit altis.
Quumq; dies veniet, quo pronuba pinus odores
Incendet (memori hoc dictabit parca tabella)
Ipſa adero, Muſæ gnato comitata Hymenæo.
Dixit, & in ventos abiens ſe condit olympo
Ipſe amor, interea vires acquirit utrinq;
Creſcendo, ceu flos paulatim adoleſcit in hortis
Quem cultura fovet, ſol roborat, educat imber.
Secula Abydeni iuvenis mirentur amores
Antiqua, & celeres ſuperantia brachia remos,
Seſtiacæq; canant flagrantes virginis ignes:
Mutuus at calor hic veteres tranſcendit amores.
Cogitur interea ingenti molimine claſsis,
Per mare velivolum fauſto vectura Philippum,
Alite olivifera, quam Bethis fronde revinctus.
Quam Tharteſsiacis armarat Duria in undis,
Hic Batavum claſſis, contemptrix illa minarum
Oceani, exequans immania templa profunda

Mole,

Mole ſinus pandit velorum: hic anchora dente
Ferrea mordaci Zelandica robora firmat.
Illic Tartareis puppis tonat Anglica bombis,
Ætherias imitata Jovis quum perfurit iras
Et modo delaſſat lentis Neptunia remis
Arva, modo effuſis velis effertur in altum
Lenibus, ah quoties Zephyris Africoq; ferenti
Laxare invalidis optavit navita votis
Carbaſa, in ingrata iuſſus ſtatione morari.
Tempus erat quum iam Nemeæi terga Leonis
Fervidus accendit Titan: quum Sirius aſtro
Exurit ſegetes rabido: Callecia quando
Invita & fruſtra obluctans dimittere natum
Cogitur, Irenes placidæ, mitiſq; Galenes
Delitias curam ter magni Cæſaris unam
O fauſtam merito & Thracum de more notandam
Lucem, Romuſidæ hac vitulam placaſſe leguntur
Lœtititiæ dulcis (nec enim vacat omine) Divam,
Inde piis ornans altaria fumida donis
Puppim intrat liquido auſpicio, ſtipatq; carinis
Ingens argentum, & magna famulante caterva
Principibuſq; viris vehitur comitatus in altum,
Aſpirat blandi genitabilis aura Favoni.
Namq; pater cœco fremebundos carcere ventos
Clauſerat, Hippotades: iratum ſtraverat æquor
Fuſcina Neptuni trifida: hic piſtrice revectus
Hiſpidus ante rates Triton excivit acuto
Aquoreæ ſonitu conchæ Nereidas omneis,
Atq; Anthedonius vivaci gramine Glaucus,
Littoreaq; alga redimitus tempora Nereus,

Digitized by Google

Fluctibus extollunt capita, Inouſq; Palæmon:
Extabat toto Neptunia pectore coniunx
Et pariter viridis Glauco, Panopeaq; blanda
Et fidum numen curvis Euplæa carinis,
Cymothoeq; levis, Galatæaq; lactea, & alba
Leucothoe Aonii ſoboles Athamantis, & uda
Cymodoce, Phorciq; chorus numeroſus in alto
Æquore ludentes ratibus gratantur amicis:
Ac placido vectas pelago ſtatione capaci
Tranquilli exponunt portus: quam vecta minaces
Oceani inſultus reflui nemoroſa refringit,
Qua Thetis Antonæ ſinuato gurgite mordet
Turritæ muros, & propugnacula ſæva.
Aſpera perpeſſi nautæ iam pectora curis
Solvite, iam plenis ſpumantia dona Lyæi
Læti haurite cadis: ſtratis cerealia menſis
Ponite liba, hilares & adorea ponite cives.
Publicus ætherei lambat confinia cœli
Omnigenos ignis ſpirans per compita odores
Tura ſacris adolenda focis: pia numina divos
Exoret Flamen, celebrem Pæana canendo.
Neve dapes menſis ſaturæ genialibus abſint
Tantæ lætitiæ teſtes Baccheia læti,
Infundant famuli non parcis munera dextris,
Sacchareiſq; pilis latè omnis ſemita inundet:
Sutilibuſq; caput virgo redimita corollis
Impellat tremuli numeris ſocia agmina cantus,
Threicias citharas agite, & Phœnicia nabla
Vertice Pieriaſq; lyras, & cymbala rauca
Accendantq; brevem Berecynthia tympana noctem

Septiſe-

Septiferiq́; aures ſatiet cava fiſtula buxo.
Namq́; Caledonios portus atque hoſpita ſoſpes
Littora magnanimus ſubiit cum claſſe Philippus,
Clarior haud venit victricia ſigna reportans
Nyſæus nigris ſuperatis Liber ab Indis.
Forte recenſebant memores nunc annua Faſti,
Quo Regina die iamdudum ſaucia curis
Plena Deo tamen, eventus & certa futuri
(Tanta Deo innixam mentem fiducia cœli
Suſtinet ignaram immergi) cecidiſſe Tyrannum,
Læta canente tuba Regina edicitur hæres
Regni, Reginamq́; omnes clamore ſequuntur,
Quando illi faſces omnis ſubmiſerat ordo.
Iam menſis Phrigii de nomine dictus Iuli
Bis rutili ſolis duodenos viderat ortus:
Poſtera cum croceis Aurora invecta quadrigis
Purpureos vidit proceres multo agmine utrinq́;
Atria ſtipantes Regum, promptisq́; paratos
Obſequiis cuncti gemmis, auroq́; trilici,
Et pictis lucent ſagulis, ars dædala certat
Vincere naturam quicquid prata herbida Veris
Munere purpurei pingunt hortiq́; virentes.
Hic videas quicquid lapidum maris accola rubri,
Decolor aut Indus diverſo in littore legit.
Divitias Arabum hic luſtres, ariq́; feracis
Meßici, & extremi quæ mittunt munera Seres:
Et quas bis Afrum chlamydes ſaturaverat oſtrum.
Iamq́; propè medium Titan urgebat Olympi,
Quando ſacro ritu commiſſa piacula, luſtrans
Antiſtes votiva Deo libamina ponit.

Inſu-

Inſula cui nitidis mordebat tempora gemmis,
Antiſtes dignum cui vox dat Græca coronæ
Nomen. & auſpiciis felicibus utile regni:
Et ſacroſancta obiens antiqui ſymbola ritus
Connubii nodo ſtabilis confarreat orbis
Caroliden decus Heſperii Mariamq; Britanni,
Quis fando enumeret primorum gaudia patrum?
Omnigeni & cœtus hominum, vulgiq; profani
Applauſus lætos? non ſi mihi ahenea lingua
Non ſi centenis reſonent mihi vocibus ora,
Et rigeat ferro pectus canere omnia poſſim.
Interea allapſæ medium per inane quaternæ
Aſtiterunt nymphæ, ſacrata altaria circum
Quas diverſicolor, certo diſcrimine picta
Inſtita veſtierat, præſtanti corpore cunctæ
Quæ verbis fuerint quibus uſæ, & fauſta precatæ
Vati Muſa refer: fas veſtro hæc pandere myſtæ.
Ante omnes, cuius veſtem tria lilia fulva
Cæruleam, terniq; interſtinxere leones
Ex auro, tali eſt ſermone affata morantes:
Exoptatus ades longinquis advena ab oris,
(Fatidica hoc cecinit quercus, cecinere Sibyllæ)
In quo naturæ certant miracula, Princeps
Nunc noſter gener, & regni ſpes maxima noſtri.
Illa ego cæruleo quondam notiſſima crine,
Atq; cutis vario maculoſæ ſtigmate plena,
Nunc cultu haud impar civili aut moribus ulli:
Cui dederant olim (fama eſt) memorabile nomen
Aëriæ nimia ſpectata albedine rupes:
Iſta ego terrarum, refluus quas Doride ſalſa

Circuit Oceanus, Princeps reginaq́ longè
Inſula, quæ nulli cœli bonitate, ſoliq́
Ceſſero lanigeri pecoris ditiſſima, fœto
Vbere dives agri, ſtudiisq́ aſperrima belli.
Hactenus inceſſi macie præ lurida triſti,
Vitalemq́ bibit Dudlæi inſania ſuccum
Exugens penitus venas, regniq́ medullas.
Hactenus ingemui, & corrupi lumina fletu,
Dum queror infelix orbam me ſtirpe virili
Priſtinus at (nil diſſimulo) vigor oſſa ſubivit
Poſtquam te aſpicio proles Lancaſtria, noſtra
Progenies, vectum longinqua per æquora, natam
Exoptaſſe meam, ac pacto iunxiſſe iugali:
In qua omnis viduæ ſpes inclinata recumbit.
Tunc homini ſummam ſtellas affundere ſortem
Pagina promittit Babylonia, quando ſupremo
Cardine cœlivagi volvuntur clarius ignes,
Atq́ acie haud dubia feriunt & lumine recte:
Tunc me felicem dicam, quum pondera rerum
Arbiter imperii ſumma in ſtatione tenebis.
Macte animo iuvenis, macte ô virtute Philippe,
Me tutare opibus ſociis, animisq́ labantem.
Me ſtirpe, & natam fœcunda prole beatam
Ante auge, decies quam Cynthia compleat orbem.
Vivite concordes cornicis ſæcula longa:
Hoc opto, hæc ſuperi non irrita vota ſequantur.
Proxima quæ Poenum contrectat pollice malum,
Æmula turrigeræ Cybeles; & multicolore
Induitur palla, placidum ſic ora reſolvit.
En adſum ob raras vocitata Hiſpania dotes,

Heſperiæ extrema cognomine nota Poëtis
Herculeis olim regio cantata trophæis:
Nec minus Heſperidon hortis celebrata ſororum,
Vicina occiduo ſoli, læta ubere glebæ
Dives agri, dives pecoris, fulviq; metalli,
Et rigidi venis ferri, plumbiq; liquentis.
Malorum genitrix, meritum quibus Aurea nomen,
Nobilis & vinis, queis non Mareotica certent
Pocula, non Chii latices, colleſq; Falerni.
Quam Tagus auriſluis ſcindit fœcundus arenis
Et clarum genti nomen facturus Iberus
Quæ complexa ſinu numeroſi pondera regni,
Sceptraq; ſuſtineo digreſſa Atlantis ab ora
Piniferi (imperii) quondam quam ſymbola noſtri
Alcides ſtatuit, manuum monumenta ſuarum)
Occiduóſq; emenſa ſinus & gurgitis Indi
Victrices Aquilas, victricia ſigna ſub Arcto
Oppoſitas gentes, diverſaq; littora movi
Arboreiſq; comis, qui pectunt vellera Seras
Naſcentiſq; vident primos Hyperionis ignes,
Prima adii inventrix Peruſæi nobilis auri,
Hanc talem, natumq; ſinu complectere digno
Auguſta & ſceptri moderatrix fauſta Britanni,
Hunc etiam in magnum noſtri, volventibus aſtris
Partem (haud invidia eſt) iure adventura iugali.
Parthenope merito titulo cum coniuge dotis
Cedet virgo tibi, mox conſignabo triquetram
Sicaniam antiquæ (nil mentior) horrea Romæ.
Addo etiam Solymi titulos & nomina regni.
Nulla noverca dies veſtras & nubila nulla

Con-

Conturbent tœdas, pariter ſed vivite læti:
Arganthoniacis ſuperet vivacior annis
Ille, & Cumanæ tu vincas ſæcla Sibyllæ,
Atq; uterum partu ſolvat Lucina beato,
Ante tibi decimum quam Luna expleverit orbem.
Tertia poſt illas chlamydem pſalteria cuius,
Pictam inſigne ornant, ſic voce effatur amica:
Illa ego ſum Graiis olim glacialis Ierni
Dicta & Iaſoniæ puppis bene cognita nautis:
Quæ Tartheſſiaco propior, ſe tingere ſoles
Flumine conſpicio Cauro ſubiecta procaci:
Cui Deus & melior rerum naſcentium origo
Ius commune dedit, cum Creta altrice tonantis,
Noxia ne noſtris diffundant ſibila in oris
Terrificæ creti tabo Phorcinidos angues,
Et forte illati compreſſis faucibus atris
Viroſo pariter vitam cum ſanguine ponant.
En ego cum regni ſceptro, Mavortia bello
Pectora & horriferas hominum, nil fingo, figuras
Qui curſu alipedes norint prævertere cervos,
Dedico piſcoſosq; lacus, volucrumq; paludes
Omnigenum luſtris fœtas, ſtanniq; fodinas
Et puri argenti venas, quas terra refoßis
Viſceribus, manes imos viſura recludit.
Cuncta ego communi fidei dextræq; reſigno.
Teq; Philippe opto chara cum coniuge longum
Vivere longævi Pylii ultra Neſtoris annos,
Regali & decimum partu prævertere menſem.
Poſt omnes longo trahitur cui ſyrmate palla
Omnigenum vario diſtincta colore Leonum

Nympha vigens firma laterum compage, modeſtè
Poplite curvato, verbis ſic talibus infit.
Haud quaquam poſtrema adſum provincia, regno
Non impar, (titulum regni fortuna negavit)
Tertia Romulei verbis vocitata. Senatus
Gallia, quam bifido Rhenus diſterminat amne.
Quamq́; ſecas culvo Scaldis ſinuoſe meatu:
Illuſtris toto claris mercatibus orbe,
Ipſa tuum nomen, iuſſu genitoris adoro,
Me tibi do, dedo generoſe Philippe, tuaq́;
Coniugis unanimi arbitrio: communibus armis
Immineant ſi quam Scoti Pictiq́; doloſi,
Aut male grata tamen concedens Francia regni
Iure Anglis, ſævas armorum concitet iras,
Propulſare potens & claſſe & milite, quicquid
Hoſtile eſt, adero, & præſente ope mutua tradam.
At quia fatidici eſt aliquid ſummo ab Iove nobis,
Penelopen caſta, & conſtans Alceſtin amore,
Et vincas Nioben partu regina beato,
Atq́; aviam factis claram immortalibus æques
Fortuna Auguſtum, Mariam pietate Philippe
Traianumq́; tuum ſuperes virtutibus opto:
Ac patriam obſcures famam victricibus armis.
Veſtraq́; ceu nodo coniungat mutuus ardor
Pectora Lemniaco: veluti Magneſſia cautes
Illigat & vinclo chalybem retinere tenaci
Aſſolet: aut adamas ferrum inſuperabilis ab ſe
Dimittit nuſquam: ſic nodo perpete amoris
Illicium liget ac confirmet pectora amantum
Et tibi (quod voto regina optatius omni eſt)

Antea

Digitized by Google

Antea quam decies fraternis ignibus orbem
Delia complerit, gremio vagire puellus
Materno incipiat, patrem & placido ore referre.
Finierant omnes, quando en clangorq; tubarum
Et litui incurvi ſonitus laquearia templi
Perſtrepit, ingeminatq; Echo vocalis imago,
Reſponſant valles felicia nomina Regum.
O ſi Mæonidæ divinos fata labores,
Exæquare darent Andinave carmina nobis
Quæ digne hiſtoriam poſſem pertexere rerum:
Juſtitiæ ancipitem ut gladium Penbrokius heros
Darbæusq; Comes, regali ſtemmate creti
Ambo, Marte ambo, & clari caſtrenſibus armis
Prætulerint pompa ſolenni Regibus, utq;
Vindice perfidiæ vel ſola mente receptæ
Carolide torque, ac pericneme, inſignibus aureis.
Quæ poſuit fidei ſpectata ſymbola nota
Eduuardus, de quo ſtirpem deducis avitam
Indueris: vel quas epulas quæ ferula luxus
Conturbator opum, & ganeata palata coquorum
Regifico aptarint faſtu. Sed lege tenemur
Noſtra, atq; hæc melius, quibus hæc tam cura diſerta,
Incumbit, dicent: vos cætera pandite Muſæ.
Poſtquam exempta fames dapibus menſæq; repoſtæ,
Torqueretq; breves Veneri ſacer Heſperus ignes:
Accendant noctem funalia lucida opacam,
Terpſichore en nymphas & virginea agmine iunctim
Combinat choreasq; cient tellure recuſſa,
Alternisq; pedes tendunt repedantq;, novoq;
Schemate congeminant obliquaq; zeugmata iungunt.

Adfuit hic aures dimulcens murmure Terpſis,
Et rapiens animos Thymele, viridisq; Thalia
Atq; Erato recte ſaltandi prima magiſtra:
Phemius & fidibus canere & modulamine vocis
Flectere cuncta potens, amborum ſtemmata Regum
Pangit ab Eduardo, qui nomine tertius audit,
Incipiens geminos ortus corrivat in unum
Ceu pater Oceanus fons eſt, pariterq; fluentorum.
Alveus, à quo ortum ducunt, quò cuncta recurrunt.
Senſerat Uranie perlecta pinace (namq; hanc
Parca Jovis ſolio affigit, quid quæq; ferat lux
Dictantem ſcripto) Mariæq; cubile ſubintrat.
Cumq; illa facilis Jocus, atq; Thalaſsio, Muſa
Pieridos natus, Graii dixere hymenæum
Quem Venus alma ducem thalami præfecit amœnis
Auſpiciis: tædam pinguam tetigiſſe virorum,
Hoc ſine fas nulli eſt: Syrio fragrabat amomo,
Tota domus quacunq; intrant, ſpicæq; Ciliſſæ
Ambroſiis nimbis: Phariiq; aſpergine Cyphi,
Adfuit in comitum numero & Concordia comis
Expreſſum geſtans Cornicis ſymbolon auro,
Pronuba quin etiam, Juno & quæ Cinxia fertur
Tergeminæq; Deæ Charites Junonia & Hebe,
(Sic ætas viridem vocitavit priſca iuventam)
Adfuerant: prompte expediunt ſua munia cuncta
Quando ecce ingreditur thalamum regina iugalem,
Qualis quæ ſequitur pelago Titana cadentem
Stella Dionææ Veneris, nitidiſſimus ignis.
Aut qualis violas inter caltasq; rubentes
Purpureus foliis Amarantus mollibus extat.

Occur-

Occurſu prima Vranie gratatur amico
Dictorumq; fidem nuptæ refricare tenacem
Inſtitit, illa Deam agnovit, roſeoq; rubore
Accendente genas memorem teſtatur honorem,
Depoſitiq; monet vultu pudibunda venuſto.
Nec mora diſpoliat zonam, cinctumq; reſolvit
(Virgineus quamvis pudor, ingenuuſq; reſiſtat)
Cinxia Herculei inſpirat vim roboris Hebe
Gratia pactilibus redimivit tempora ſertis.
At Feſcenninos alacer Iovis atq; hymenæos
Excluſere ſales, laſcivaq; carmina lege
Amſancta quicquid mordax fœdumq; vetantes,
Ipſa torum verbis conceptis conſecrat alma
Vranie: & faciles in vota cupita vocavit
Cœleſtes omneis, facileſq; precata labores
Lucina exoptat novies cum exegerit errans
Curriculum Phœbe: votum concordia firmat.
Inſpirant leni luſtralia verba Camœnæ
Concentu, fauſtumq; iugum felixq; precantur.
Pervigil interea noctesq; dieſq; fatigat
Artifices operas labor, indefeſſaq; cura
Dum ſtudio certat magno, ingentiq; paratu
Excipere auguſtam frontem populoſa, Philippe,
Londini urbs, feſtoſq; tibi decernere honores.
Fervet opus, veluti fulvo ſi quando ſub antro
Aera Iovi Æthnei fratres Liparæa retractant.
Regali paſſim conſurgunt Pegmata faſtu
Ædificata, altum ferientia vertice cœlum.
Arduus hic quadrupes efflare e naribus auras
Creditus, aſſultans phaleris præſignis & auro

Bellerophontei pennas ſibi deeſſe volucres
Indignatur equi, eniti nec poſſe ſub aſtra
Dædalea arte dolet picto ſeſſore Philippo
Dum gaudet criſpansq; iubas temere alta ferocit,
Hic tibi paciferas nectit victoria lauros:
Romuleiq; duces. Troianus origine Cæſar
Scipiades magnusq; tibi aſſertorq; Camillus
Concedunt, conduntq; enſes tibi iure Philippe,
Illic quatterni oſtendunt ſua fata Philippi
Virtutem Macedo baptiſmi ſemina primi
Clarus Arabs & noca Boni potioraq; gazis
Nomina Burgundus referens Audacis & alter
Hic trahit illicibus numeris modulisq; ferarum
Agmina Threicius quercetaq; montibus Orpheus.
Parte alia ramis diffuſa patentibus arbos
Tertio ab Eduuardo radices egerat altas,
Quæ gemmam ſtirpem Mariæ magniq; Philippi
Exortu illuſtrem & claris natalibus edit.
Hic prono Icarios imitatur pondere lapſus
Extentum librans per reſtim corpus Iberus.
Ardua parte alia reſerans ſe machina nympham
Dimittit regum aptantem cervice coronas.
Nec tacitum omittam vultu te Emunde verendo
Antiſtes, vitta crines gemmante revinctum
Sacrantem reges Panchæi thuris honore
Atq; receptantem ſacri intra limina templi
Talibus orantem dictis placidumq; tuentem.
Ingredere ô princeps toties optate malorum
Depulſor merito Alcida cognomine nobis
Dicende, & noſtris adytis ſuccede, ſacriſq;

Digitized by Google

Perfruitor: tu macte animo, rediviva ope veſtra
Increſcat pietas: ſic æthereâ itur ad aſtra.
Hoc revehes pacto Saturnia ſecula nobis,
Roſcida ſic fagus producere mella, natare
Lacte amnes, Ceres incultis exurgere campis,
Vulnificiq; uvas gravidas producere ſentes
Incipient: rictumq; lupi non agna timebit,
Dum bona ſpes & cura vigil ſimul uret amantes,
Et magno accipiet Thamaſin gremio Amphitrite
Te noſtra invictum delubra Philippe loquentur
Carolidæ nomen diſcent hæc reddere ſaxa.
Cypriaci interea iam machina multa metalli
(Tartarea hanc primus conflaverat arte Pyracmon)
Pulvere ſulphureo buccas obfarta patenteis
Fulmineum ruit ore globum, qui ferreus alvo
Sedeat interiore latens, tonituq; minaci
(Horrendum) æthereos ignes mentitur olympus
Quo ſonitu immugit penitusq; exterrita tellus.
Triſtis Hyas non tam ſpiſſo terram obruit imbre,
Nec tam confertis Pleias furit aſpera nimbis
Machina quam crebris dirum tonat ænea bombis.
Et iam quadrupedans agmen procedit equorum,
Inſignes tituli proceres ſanctusq; Senatus,
Et clari Heroës generis quos fama vetuſti,
Aut vitæ laudatus honos evexit in altum
Atq; apices fidei, puræ quos relligionis
Cura manet, longam ſeriem pompamq; trahebant.
Poſt quos regali faſtu ornatuq; ſuperbo
Pergunt cornipede invectus Rex aureus acri,
Et iunctim ſocio lateri Regina ſubhærens

Jactabat ſolito Titan rutilantior ignes,
Et leni Zephyrus nigrantia nubila flabro
Diſpulerat: rabidi ceſſarunt murmura ponti,
Et Thameſis viridi præcinctus tempora iunco
Iam refugos Nerei linquens nitidiſſimus æſtus
Exerit os alveo, & reges miratur euntes.
Obſidet artificum numeroſus ſtrata viarum
Cœtus, quos vel opes numero exemere potentes,
Vel meriti dederunt plebi præcellere honores.
Effuſi paßim feſta in ſpectacula, ſtipant
Compita cirrati pueri, facileſq; puellæ
Auguſtumq; omnes læto clamore ſalutant,
Atq; aliquis media in turba ſic fauſta precatur:
 Eia age felici divinitus omine nobis
Addite Rex ſalve, communia ſceptra Britanni
Orbis iuſtitia meritò recture ſalubri.
Parcito ſubiectis clemens, duroq; ſuperbos
Frenato imperio, & lætæ ſequere otia pacis.
Nempe ſagittipotens tandem te rege vigebit
Anglia, & antiqui reddentur ſecla metalli.
Per te armis toga ſuccedet, fornacibus enſes
Sudabunt calidis conflandi in ſarcula: duri
Vomeris in faciem caßis curvabitur: haſtas
Integer umbriferis vitis frondoſa racemus
Nimirum pax alma olea eius termite gaudet
Impia Bellona franget molimina diræ,
Ferreaq; occludet gemina ſua limina Iano.
Tu verò ſeu nunc mortalis fallere ſenſus
Iuppiter armigera, & vectarier alite gaudes:
Seu te aliquem Superûm mutata dixero forma:

Æternum hos populos Arctoo quotquot in orbe
Vivimus & rege conſilio, & rege legibus æquis.
N c fraudare tuo veniat tibi dira cupido
Numine venturam ſobolem, ſeroſq; nepotes.
Inde tuo nutabundum ſub pondere dextrum
Axem fac ſerus repetas: tunc ſat citò gratam
Excipiet molem convexi regia cœli,
Qua ſe Tyndaridæ complexi mutua fratres
Alternis vitam mutant, lucemq; reſumunt.
Sic tandem optatos veluti ſuccedere portus
Navita cœruleus gaudet, regale ſubintrant
Leucæum reges (dederant memorabile quondam
Atria quæ niveo candebant marmore, nomen)
Quod Thamaſis, prima eſt cui gloria paſcere olores
Lædeos, rauco pronus ſubterluit æſtu.
Hactenus exortus rerum, lætoſq; receptus
Principis & nexus Hymenæi rite peractos
Londiniq; Heroa ſuum ceciniſſe triumphum,
Muſa dedit, quæ nunc laſſata excedit arena,
Et ſpatium ceditq; locum maiora canendi
Vatibus, intonſi quorum præcordia fæta
Accendit Phœbi numen, venamq; beavit.

ALIUD
DE NUPTIIS
INCLYTI REGIS POLONIÆ
SIGISMVNDI AVGVSTI,
ET
ELISSÆ CÆSARIS
FERDINANDI FILIÆ.

Vos mihi quæ puero Naſonis amabile carmen,
Dulcia Pegaſei dictaſtis numina fontis:
Nunc ſublime mihi carmen concedite vatis,
Conceptum genuit quem Mincius Andide Nympha.
Grandibus aſſurgens numeris Hymenæia dicam,
Gaudia, Sarmatici quibus exultantia Regis
Atria, dant lætos, ubi volvitur Iſtula, plauſus.
Si vos rite puer colui, vobisq́; dicatas
Sæpe coronavi ſeriis halantibus aras:
Aſpirate mihi, cœptisq́; favete Camœnæ.
Fortè ſub undoſi muſcoſo gurgitis antro,
Iſtula cœruleus tumidarum rector aquarum
Nymphis iura dabat, qua vertice Carpathus alto
Frigida Sarmatiæ proſpectat iugera: cuius

Montis aduſta rigent canis iuga ſumma pruinis.
Ipſe ſedens, urnamq́; manu ſceptrumq́; tenebat,
Carbaſeæ glauco pallæ velatus amictu:
Naiades circum fontanaq́; numina ſtabant,
Quæq́; lacus amnesq́; colunt, udasq́; paludes.
Venit mobilibus cœli per inania pennis
Fama volans, lætis quæ vocibus attulit iſtuc,
Sarmatiæ claris Auguſtum regibus ortum,
Eſſe maritali connubia fœdera pactum:
Ducere Cæſarea natamq́; propagine ſponſam.
Quas pater arrectis ut voces auribus hauſit,
Protinus ex nymphis formoſam Callianaſſam,
Phyllodocenq́; Rhaninq́; vocat, Crocalenq́;, Thoënq́;
Inſignemq́; comis oculisq́; nitentibus Æglen.
Omnes pingere acu doctas, omnesq́; peritas
Arguto tenues percurrere pectine telas.
His tum præcipiens, rarum ac memorabile munus,
Inquit, adornandum ſponſo: nunc arte magiſtra
Eſt opus: ergo manu celeres incumbite Nymphæ,
Pictaq́; rebus imaginibusq́; aulæa vetuſtis
Texite, Sarmaticosq́; illic deducite Reges:
Sponſus ut effigies, præclaraq́; facta ſuorum
Inde recognoſcat, validis imiteturq́; armis.
Talia feciſſet cœtu cum tu verba ſoluto,
Haud mora: textricum cingunt ad pectora ritu
Collectas Nymphæ veſtes, nudantq́; lacertos.
Poſt hæc expediunt longas ſub tegmine telas,
Intentæq́; ſedent operi, peraguntq́; laborem.
Sarmatiæ at poſtquam cunctos ab origine primâ
Pinxiſſent Nymphæ reges, operi inde ſupremam

Impo-

Impoſuere manum: pars cingitur ultima telæ
Nexilibus foliis hederæ, atq; virentis Acanthi
Ergo Nympharum labor, ac ſolertia poſtquam
Hoc vetus aulæis intexuit argumentum,
Ilicet undanti pater Iſtula ſurgit ab antro,
Altaq; Carpathiis ſub rupibus atria linquit:
Illuc dona ferens, turrita ubi mœnia ſurgunt,
Romulides quorum poſuit fundamina Gracchus.
Denſis progreditur Cinnis, & fronde ſaligna
Cinctus: & attollit roranti cornua vultu.
Naribus unda fluit, madidis fluit unda capillis,
Hærentemq́; rigant uligine flumina barbam:
Humida cæruleo velamine membra teguntur,
Cuius nexa ſonant picto Conchylia limbo.
Proſequitur totus Nympharum cœtus euntem,
Quaq́; pedes, udoq́; movet veſtigia greſſu,
Naiades ſpargunt flores, ac ſerta Napeæ.
Iamq́; propinquabat regali ſpumifer urbi,
Cum procul impulſo reſonare frementia cœlo
Tympanaq́;, raucisq́; tubas clangoribus audit:
Ac videt inſignes illinc fulgentibus armis
Teutonas; hinc patrio clypeatos more Polonos
Comminus accelerare, & equeſtres pandere turmas.
Conſiſtit viridi declivis margine ripæ:
Veſtigatq́; oculis inter tot millia ſponſum:
Quem ſonipes geminis & multo ſplendidus auro
In mediis portat turmis, auratáq; ſequuntur
Eſſeda, nuptæ quibus ſedes, invehiturq; per agmen.
Talibus inde ſuum compellans Iſtula verbis
Affatur Regem, ſponſamq; ſalutat Eliſſam.

Salve

Salve virginei decus inclyta Nympha pudoris,
Sarmatici conſors, Romani filia regis:
Haſq; meo latè quas irrigo flumine terras,
Ingredere auſpicio fauſto: Dîi læta cubilis
Gaudia, fortunentq; tuæ connubia tædæ.
Tu (ſi vera mihi nec rettulit irrita quondam,
Noſſe futura ſenex qui creditur omnia Proteus:)
Tu dabis heroum claros paritura nepotes,
Qui ſuperent famâ proavos: qui fortibus auſis
Ardua Sarmatiæ tollant ad ſidera nomen:
Victa triumphantes validis quos ſentiet armis
Turcia: quoſq; tremens horreſcet Caucaſus: Ergò
Tanta tuus cunctis adventus gaudia rebus,
Ut montana fremant lætis iuga plauſibus, affert.
Vocibus alituum reſonat mea ripa canoris,
Inflatiſq; leves Satyri modulantur avenis
Carmina: noſq; tibi gratamur ovantibus undis.
Tu quoq; Rex animi præſtans, qui clara parentis
Æneadæq; refers Auguſti nomina, ſalve.
At miranda tibi Nympharum munera ſponſe
Ecce fero, regum intextis ornata figuris
Munera, quæ pretio gemmas, quæ nobile vincunt,
Lydia quod gignit, quod Pannona terra metallum.
Qualiter Æneæ Clypeus monumenta Quiritum,
Hæc ita maiorum referunt monumenta tuorum.
Hinc imitanda petas exempla domeſtica vitæ:
Te ſeu læta quies pacis, ſeu bella manebunt.
Scipio ſi quando ſtatuas ſpectabat avorum,
Incenſus magno virtutis amore flagrabat:
Quos tibi virtutis ſtimulos, illuſtria regum

Hæc

Hæc ſimulachra, iſtis efficta tapetibus, addent?
Aſpice Meſconem, pugnaces aſpice Lœchos,
Quos toga, quos acris commendat gloria Martis,
Hos propone tibi morum, vitæq; magiſtros:
Hos contende duces longo præcedere curſu
Laudis: at inprimis reges de ſtirpe Jagella,
Atq; Sigiſmundum factis imitare parentem.
Nulla quidem virtus eſt principe dignior, ardens
Quam pietatis amor: quocirca ante omnia curam.
Relligionis agas, & propagare memento
Hunc, ſacra quo gaudet Chriſti Reſpublica, cultum.
Iura deinde tuis ſapienter ut æqua miniſtres
Civibus: officium poſcit munusq; regendi.
Namq; Deus celſa Reges in ſede locavit,
Ac tantis opibus, tantis & honoribus ipſos
Auxit: iuſtitiæ quò ſint legumq; miniſtri,
Attenti & caveant ne turpi cedat honeſtum:
Neve relaxenter ſcelerato fræna furori.
Clemens eſſe bonis debes, & ſontibus atrox:
Æquat enim ſuperis animi Clementi Reges.
Ardua magnarum ſi quando negotia rerum
Sunt tractanda, viris prudentibus utere: nequid
Inconſultus agas: nec te dulcedine captum
Fallat, & illecebris ad inertem blanda voluptas
Deſidiam, mollis traducat & otia vitæ.
Acres namq; tibi populos fortuna regendos
Commiſit, cœlo quos frigida deſpicit Arctos:
Duratosq; gelu quos Martius excitat ardor.
Non ignava ferunt hi deſidis otia Regis.

Adde quod effrenis es gentibus undiq; ſeptus:
Hinc Scythiæ Nomades tibi bella minantur, & illinc
Hoſtis ab infeſto Mahometicus imminet Iſtro:
Sævaq; molitur violentus prælia Moſcus,
Ipſe tot indomitis populis es præda futurus,
Si tua torpuerint ignavo pectora luxu.
Strenuus ergo geras animum curamq; virilem:
Nilq; prius virtute putes: hæc regna tuetur.
Turpis avaritiæ quoq; deteſtabile crimen
Effuge: nullus enim reges non odit avaros.
Nec tamen in cunctos effundas prodigus aurum:
Debita munificus virtuti præmia confer.
His da largus opes, qui Martia ſigna ſecuti
Ob patriam duris adiere pericula bellis:
Quiq; novem claris Muſarum dotibus aucti,
Ingenio præſtant aliis, linguaq; diſerta.
Nam largis opibus debent à Rege foveri,
Quæ ſacra virtutis ſervant cunabula Muſæ.
Plura monendus eras: volucrum ſed mater amorum,
Teq; ſacras expectat Hymen ducturus ad aras.
Ergo detineam ne te, remorerq; loquendo:
Hæc agedum læto tunc accipe munera vultu:
Sic tibi, conſortiq; tuæ, fœlicibus adſit
Tædifer auſpiciis, cui ſunt connubia curæ.
Sic vos alma ſuo genitrix Æneia ceſto,
Jungat & æternis concordia nexibus ambos.
Hæc pater oblato cum munere verba dediſſet
Iſtula, conticuit, caput occuluitq; ſub undis:
Rex acceptа ferens Nympharum munera ſecum,

Inde

Inde recedebat ductis ad mœnia turnus.
Omnis at ore fremens populus, plauſuq; per urbem
Hymen ô hymenae hymen hymenae ſonabat.

GEORG. SABINI.

DE NUPTIIS OTHONIS HENRICI, PRINCIPIS PALATINI, ET DOROTHEÆ MARIÆ, PRINCIPIS WIRTENBERGICÆ.

Q*Vem genus, & genius commendat, & inclyta virtus:*
Magnus OTHO-HENRICUS *dux, & honore potens:*
Coniugio MARIAM *ſibi, non ſine numine divûm,*
DOROTHEEN *iungit, conſociatq; parem:*
Quam genus, & ſpecies commendat, & aurea virtus,
Teccia gens ſic, & Boia propago coit.

Felicem thalamum! felicia fœdera! tantis
Coniugibus ſoboles ecquæ futura nova eſt?
Nonne aquilas aquilæ generant? & nonne ſuorum
Eſt in equis virtus, viſq; vigorq; patrum?
Fortibus atq; bonis ſunt ambo parentibus orti:
Fortes hos pariter quis neget atq; bonos?
Faxit coniugii Deus auctor, & auctor amoris
Ipſe novi: Votum qui velit omne ratum:
Vt nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Sint patribus ſimiles fortibus atq; bonis.
Floreat & ſemper, nec longo deſinat ævo
Tecciaca gens, ſimul & Boia propago ſibi.
Ipſa renaſcentem ſe læta propagine multa,
Innumeris videat cœlitus aucta bonis.

DE IISDEM NUPTIIS.

ISTER & NICER.

Sponſus Otho-Henricus, Maria cum Principe Princeps
Dorothea thalami dum nova feſta parat:
Ille Palatini Comes, & Dux ſanguinis hæres,
Tecciacæ Princeps nobilis iſta domus:
Patrius exultat Nicer hic, & Patrius illic
Iſter, uterq; novo fœdere lætus ovat.

Tunc ſic pauca Nicer: Quantum mea gloria creſcit
Iſter: cum mecum fedus amoris inis.
Fedus idem Rhenus fluviorum rector, amoris
Jam colit: haud te iam Tibri vel Arne moror.
O me felicem tantorum numine divûm!
Federa (dii faciant) ſint rata noſtra diu.
Iſter at huic contra: Creſcat tua gloria ſemper:
Et creſcat generis ſic utriusq; decus:
Nam licet adverſus Rheni ſit curſus, & Iſtri:
Fœdera Diis æquis hæc rata ſemper erunt.
Auguror: augurium firmat Deus: Ilmus, & Albis,
Et Lanus, & Viadrus, Salaq; vota probant.
Gaudet OTHO-HENRICUS, MARIA *cum Principe Princeps*
Ille ſuæ coniux coniugis, iſta ſui.

AD OTHONEM-HENRICVM PALATINUM RHENI *DE NOMINE DOROTHEÆ Mariæ Sponſæ.*

MYrrha MARIA *maris, dominæ vel amara poteſtas*
DOROTHEÆ *donum dicitur eſſe Dei.*
Cur OTHO *vis* HENRICE *novam hoc age nomine nuptam?*
An quod coniugii, dulcis amaror, amor?

Sed

Sed fatale Dei donum eſt, cœleſteq; munus?
Sic puto: namq; mel eſt non ſine felle ſuo.
Coniugii ſit dulcis amor licet, atq; voluptas:
Coniugii tamen & crux ſolet eſſe comes.
Macte animo, Dux magne: Deo parêre decorum eſt:
Atq; crucis læto pectore ferre iugum.
Perfer & obdura: nam ſic dulceſcit amarum,
Acceptum ſi vis munus habere Dei.

AD
DOROTHEAM-MARIAM
DUCEM WIRTENBERGICAM
DE NOMINE OTHONIS-HENRICI Sponſi.

SI data conveniunt interdum nomina rebus
Omina nominibus ſicut ineſſe ſolent.
Coniugis HENRICI *tibi nomen ſpondet* OTHONIS,
Fœcundum multa prole, MARIA, *torum.*
Nã *pater eſt* OTHO: *ſed multæ, ceu magnus Abramus,*
HENRICUS *ſobolis dicitur eſſe parens.*
Prolis erit dives, Patriæ Pater, optimus heros:
Quisquis OTHENRICI *nomen ut omen amat.*
Quod precor eveniet: nam cuius amabile munus
Diceris, is lecti pignora multa dabit:
Quot natos, tot habet genios domus alma piorum:
Felices, quibus hæc dat ſua dona Deus.

N. REUSN.

IN NUPTIAS
SERENISSIMI
FRIDERICI IV.
ELECTORIS PALATINI, &c.
CVM
ILLVSTRISSIMA
HEROINA LOYSA JULIANA, URANIÆ PRINCIPE, &c.

PAVLVS MELISSVS
Schedius Fr.

STROPHE I.

VENIT *ecce venit ſereniſsimi*
Principis FEIDERICI *thalamicuba,*
VRANIUM *genus.*
Reboant PALATINVM *iuga collium,*
Mugiunt valles, & antra fremunt
Lætitiâ & gaudio.
Data mi date non citharas

Lyrasq;

Lyraſq; leves; ſed lituos,
Sed tubas, ſed tympana,
Caſtalides Muſæ.

ANTISTROPHE I.

TEner auribus obviis haud placet
Halitus. Juvat ingentibus animum
Harmoniis quati,
Reſonante perculſum crepitaculo.
Publicos plauſus ſequi volupe eſt.
Jam capimur grandibus,
Mediocria vix aliquem
Habere locum dædala mens
Augurat. Reſpondeant
O cupido vires!

EPODOS I.

NVptias propediem ſolemnibus
Abſolutas rite ceremoniis
Ceſtigera Venus, & Cinxia
Non ſine gratiarum
Lepôre ſummo, dare poſtquam
Deſtinarant, Deæ
Coniugales;
Ita enim in fatis erat,
Rectorq; poli utriusq;
Ita conſtituerat fore,
Ut duo pectora ſimul
Vinculo vierentur
Indiſſolubili.

STROPHE II.

PIa Relligio Jovem ſtans prope
Sic loqui infit: Amor, prolificus Amor
Cauſſa quidem eſt iecur
Rapido igne ſuccendendi, & idoneis
Pectus urendi incitum facibus;
Unde avidos copulat
Animos ſibi mutuiter
Fide parili dulcis Hymen,
Sanctio ſanctiſsima
Pro genere humano:

ANTISTROPHE II.

SEd enim niſi corda flagrantior
In Deum pietas torſerit, & idem
Nexibus integris
Similis ligamen fœderis in fide
Orthodoxâ coniugaverit; eſt
Juppiter, eſt, ut tibi &
Mihi non benè conſtet honos.
Ego una ego ſola unanimi
Vincio obſtringoq; cor
Coniugibus nodo.

EPODOS II.

ECquid eſt vel erit in mortalibus.
Quod voluntates magis contrarias
Diſtrahere queat, ac cultuum
Differitas ſacrorum?

Aratrum amat recta guberna.
Taurûm inæqualitas
Sulculos haud
Benè protelo trahens
Ducit. Rata nulla certè
Specitur benevolentia,
Alter ubi alterius ad
Separem nihil nutum
Confert, quod utile eſt.

STROPHE III.

E*Quidem vehementer hoc approbo,*
Comparem ſibi quod talem Hamadryadas
Inter amabiles
Juvenis Dynaſtes legerit unicam,
Quæ pari cultu ſibi patrium
Deveneretur Deum,
Eademq́, nimis fatua
Superſtitionis vacua,
Sentiat ſecum piè,
Freta ſuo inſtinctu.

ANTISTROPHE III.

C*Umulaveris ergò, largitor ô*
Comodiſſime, tantis beneficiis
Rhenigenam ducem,
Thalamiq́ conſortem placidiſſimam,
Liberos ut ritè progenerent,
Pignora caſti tori,

Genitorq; ſenex iuvenem
(Sed eximium) conſpiciat
Filium veſtigio in-
Siſtere patrito.

EPODOS III.

F*Loreant igitur ambo, floreant.*
Sit pater fecundus & fecunda ſit
Mater & alacriorum creent
Robora filiorum,
Iacobidarum egregiorum
Qualia antiquitus,
Seda vixe
Memorantur. Luminum
Æquet numerum aſtricorum,
Locuplete ſerie genus,
Teutoniciq; pelagi
Grumulos arenarum
Vincat ſcatentium.

[illegible]

D*Ea finierat. Sator maſculæ*
Gentis annuit, & declarata habuit
Nec mora, Cypridos
Famulæ atq; Iunonis, Charites ſimul
Apparant lectum roſis nitidis,
Et niveis liliis.

Hymenæon honorificum
Canens Erato: Pindarici
Æmulatur barbiti
Pandere menſuras.

ANTISTROPHE IV.

NVmeris gravioribus Pythius
Arrigit chorus aures. terete bibunt
Aure etiam ſonos.
FRIDERICUS inſignis, generoſaq́ue
JULIANA. & metra mirificis
Excipiunt plauſibus.
Veneris puer ad faciles
Salit modulos ebriolum
Pænè fingens, & reor
Cretica guſtarat.

EPODOS IV.

EVgenes epos acutum verberans,
Poſtero Lauti die convivii
Corda cata procerum Teutonûm
Decinuit ſonoro,
Et entheo commodulatu.
Quippe cantabat, ut
CASIMIRUM,
Patruum Sponſiferus
Traxiſſet in arma Mavors,
Lacera auxilia Galliæ
Suppetiasq́ue trepido
Perquam idonee latum
Pro rege, pro grege.

STROPHE V.

SIquidem pietas, Tyrannûm dolis
Preſſa fœdifragis pœnè perierat;
Hanc niſi fortior
Animoſiorq; heros, pater illius,
Filio miſſo bis ad Ligerim,
Adſeruiſſet. Viget
Hodieq; utriusq; fides,
Viget ſtudium, cura viget
Atq; diligentia,
Et labor exhauſtus.

ANTISTROPHE V.

ETiam GVILIELMVM atrociſſimis
Hoſtibus meditatum fera cecinit
Prælia, bellaq;
Batavo ſub anfractu, & regionibus
Huicce vicinis, patrem URANIÆ,
Naſſovi ſanguinis:
Duce quo ſtetit integritas,
Stetit probitas, & pudor &
Caſtitudo, ſartaq;
Tectaq; maieſtas.

EPODOS V.

RHenus atq; Nicer undans alveos
Ante mutabunt ſuos, quam gloria

Famaq́ potior illuſtrium
Principum in orbe lato
Silentiis ſive tenebris
Obruatur. Tacet
Lingua vatum,
Tacet auctorum ſtylus;
Laudem lapides loquentur,
Hominesq́ vitii fera &
Bruta animalia malè
Arguent; uti perſtet
Invicta veritas.

STROPHE VI.

ANimum bone Dux meis admove
Vocibus. tibi fac lætitia fibras
Exſtimulet nova;
Novus ardor inceſſat tibi pectora.
En habes nuptam ad latus, referentem
Andromoden Perſei,
Atlantam & Hippomenis,
Piamq́ Ariadnam Bromii
Aut ſodalis Theſei
Iſchomachen diam.

ANTISTROPHE VI.

UT amœna nitat decens lumina!
Non ita aſtra refulgent face geminâ
Tyndaridûm. Ut labra

Rubet ac genas? certare coralliis
Poſſit. En cervix nivem ſuperat!
Quid loquar, ut melleo
Madefacta liquore catos
Diſerta ſonos lingua tibi
Fundat ubertim fluens
Inſtar aquæ vivæ?

EPODOS VI.

IPſa tota tua nunc eſt atq; erit.
Portus hæc & aura, navis hæc tibi eſt
Ancoraq;, ſimul & Carbaſus.
Spes cluet hæc iuventæ.
Fidelis & cura ſenectæ.
Vnus hac unicâ
Acquieſces.
Tibi quodcumq; accidat,
Æquam feret illa partem.
Superis igitur intimo
Perpetuas memineris
Corde agi referriq;
Debere gratias.

STROPHE VII.

POpuli tibi ſunt & urbes datæ,
Quas regi licitis legibus opus eſt,
Iureq; debito.

Opulentitatem ditior addidit
Plutus, & cenſûs ſuperbifico
Principe dignos, item
Solio reſidere tuo
Vt abſq; metu ullo valeas,
Annuit rerum ſator,
Qui tibi cuſtos eſt.

ANTISTROPHE VII.

F*Atearis oportet, hæc maxima*
Eſſe commoda. Sed compare careas,
Quid tua vita ſit,
Niſi imago vana umbellaq; tranſiens?
Somnium vita eſt ſine auxilio
Coniugis, at ne ſiet:
Vtinam mihi amarities,
Acorve alôes, aut ſpecies
Fellis, ultra cœlibem
Vivere in his oris.

EPODOS VII.

O *Tuam illam & ego poſt menſes novem*
Conſpicerem nuptam eſſe prole auctã nova!
Quanta tibi tripudia & carmina,
Quot celebres ovatûs
Forent, apertiq; triumphi!
Tu pater ſcilicet,
Illa mater
Vocitaretur. Diem hunc

Phœbi

Phœbi properent iugales
Celeri pede laceſſere,
Vt ſolido ſolidius
Gaudeamus haud lævâ
Junone gaudium.

JOANNIS POSTII

ARCHIATRI PALATINI

EPIGRAMMATA.

I.

UNDE *tibi legeres Princeps* FRIDERICE *puellam,*
Quæ thalami conſors fida tui fieret,
Nuper eras dubius: dubitanti magnus Apollo
Protinus URANIAM *donat habere Deam.*
Quis non felicem te dicat & eſſe beatum,
Dignatur niveo quem Dea tanta ſinu?

II.

ANTE *novem fuerant Muſæ, nunc octo ſuperſunt:*
URANIAM *Princeps abſtulit inde meus.*

III.

Læta dies Veneris fauſto tibi ſidere primum
Oſtendit Venerem, Dux FRIDERICE, *tuam.*

Hic

Hîc ubi flammivomus Tileburgum nobile turres
Ad nitidi tollit celſa theatra poli.
Salve clara domus, Comitum pulcherrima ſedes,
Poſt eris hoc etiam nomine clara magis.

IV.

LOISA PRINCEPS URANIA,

ANAGRAMMA

EN SOLA PRINCIPIS AVRA.

AVRA *viatorem rapido ceu mulcet in æſtu,*
Suaviter & corpus recreat atq́; animum;
Sic. EN SOLA *pii, tu Princeps*, PRINCIPIS AVRA *es;*
Tu feſſi curis ſola quies animi.

V.

URANIE *tenui dulces dum gutture cantus*
Fundit ad auratæ fila canora lyræ;
Alma Venus choreas comitata Cupidine ducit,
Ad numerum Charites ſubſiliuntq́; Deæ.
Mirantur pariter matreſq́; viriq́; canentem,
Divinoſq́; bibunt attonitâ aure ſonos.
Scilicet Aonias inter nutrita puellas
Flectere voce hominum corda, Deûmq́; poteſt.

VI.

URANIA *amiſſâ doctæ flevere ſorores,*
Queis placido ridens pectore Phœbus ait;

Ponite

Ponite triſtitiam: mox vobis optima plures
URANIA *Uranias Uraniosq; dabit.*

VII.

VISUS *es inſomnis nuper mihi dicere, Princeps,*
Credita iam fidei eſt cara LOISA *meæ.*
Nocturnæ experior non vana fuiſſe quietis
Viſa: ſubit thalamum cara LOISA *tuum.*
Credite mortales non ſemper ſomnia fallunt,
Sæpè etiam Morpheus vera monere ſolet.

VIII.

Dum FRIDERICE *aberas, triſtis* NASSOA *frequentes*
Ex imo repetens corde dabat gemitûs;
Denſa per abductum currebant nubila cœlum,
Aſſiduiſq; dies noxq; madebat aquis.
At ſimul huc celebri de Martis es urbe reverſus,
Continuò cepit purior ire dies.
Et tibi nupta hilari procedens obvia vultu,
Amplexa eſt charum terq; quaterq; latius.
Vera ô progenies Divûm! te Phœbus euntem
Et Venus & Charites, & comitatur Amor.

IX.

STEMMA *Palatinum (libris res nota vetuſtis)*
Romani celebre eſt faſcibus Imperii:
Unde genus ducit FRIDERICUS, *in ordine quartus,*
Romano Dapifer primus in Imperio.
Et tu Borbonidum claro ſata ſanguine Regum,
Stemmatis eximius flos, nova nupta tui es.

Quàm

Quàm benè vos ſocio iungit Venus aurea lecto,
Qui generi Reges annumeratis avos!

X.

INGREDERIS *thalamum, Princeps generoſe, maritum:*
Omnipotens fauſtum quod velit eſſe Pater;
Coniugii ut quondam verè omni ex parte beati
Exemplum canâ ſitis uterq; comâ.

IX.

AD SPONSAM.

ET pater & genitrix tua mille pericula vitæ
Et damna ob veram ſuſtinuere fidem.
Hos FRIDERICVS, avus Sponſi, auxiliaribus armis
Conſilioq; Pius iuvit & hoſpitio.
Pro quibus officiis tu iam NASSOA nepoti
Iungeris optato fœdere coniugii.
O mirum & penitus non perſcrutabile fatum!
Quàm ſunt hæc Domini conſilia alta Dei.

EPIGRAMMATA
MARQVARDI FREHERI
CONSILIARII PALATINI.

I.

CVRRIBVS & turmis equitũ cũ inſtructus abires,
Et præco æripedem clangeret ante tuum;

O Spe-

Sperabam patriæ prolatis finibus, Heros,
Poſſe triumphali te repedare gradu.
Tu tamen ecce redis iam libertate relictâ;
Et dominam, quantum eſt cernere, captus habes.
Quid dixi? à nobis Hera vel Domina audiat illa:
Eſt thalami conſors imperiiq́ue tibi.

II.

PRINCEPS *vetuſtæ Arauſionis incluta,*
Regum trineptis alta, Anaxonium genus.
Adesne tandem Principis Pallantii
Novella nupta dulcis uxor & comes?
Adesne, teq́ue per vias & æquora
Haud absque cura ductitatam Mercurî,
Nobis valentem hilaremq́ue te expectantibus,
Maiorem & ipsâ famâ & omnium fide
Domiduca curru Iuno ſiſtit aureo?
Salve ô marita digna tanto Principe,
Præſesq́ue tantis digna principatibus.
Ultrò en tibi devota numini tuo
Provincia & ſe dedit alta Regia.
Rhenus bicornis ecce fratre cum Nicro,
Et Myrtileti utrinque amœna culmina,
Nemusque Boium & Genius ambûm locûm
Heram ſalutant; & patronam amabilem
Orantque totum ſibi præeſſe ſæculum
Dignere, nec niſi ex toro natis tuo
Deinceps regenda poſteris ſe tradere.

III.

Quis ſatis expediat tanta illius acta diei,
Quâ FRIDERICE *redis, quâq;* LOISA *venis?*
Publica gratantes teſtantur gaudia plauſus,
Queis pia plebs Dominos rite ſalutat ovans.
Ludicra per campos belli diſcurrit imago,
Et trucia innocuis ictibus arma movent.
Armatas acies comitatus tranſit equeſtris,
Seq; per haſtatos pompa curulis agit.
Sulphureum interea rapidi ceu Iovis iras,
Immanes crepitus fulmen ab arce tonat.
Hæc tamen, hæc nil ſunt, taciti ſuſpiria voti
Proq; tuâ fuſas corde ſalute preces
Si magis inſpicias. Oculos tantum illa videntûm,
Hæc penetrare valent aſtriq; templa Dei.

IV.

Auctior aureolo curru ſponsaq; ſuperbus
Mœnia Myrtilidos cum populoſa ſubis,
Iuppiter en ſubitas non parcè depluit undas,
Nimborumq; ſonans vis inopina ruit.
Luxuriant tali ſylvæq; & prata madore,
Fertilis & pluvio rore ſuperbit humus.
Te quoq;, non dubito, diâ virtute beabit
Innumerâ coniunx optima progenie:
Atq; Palatino generi incrementa miniſtrans,
Simmeria columen reddet opemq; domo?
O imbres opportunos minimeq; moleſtos,
Qui ſpondent populis Imperioq; Duces!

V.

LVX IVNI bIs ſeXta VenIt, VenIt InCLIta ConIVX,
Certus honos niVeI DVX FrIDerICe torI.
Euge vetuſtatis iam regula vana faceſſat,
Hæc niſi poſt Idûs hoc ſacra menſe vetans.
Cui tam felices datur illuceſcere tædas,
Si ſit & atra dies, candida continuò eſt.

VI.

LÆTA dies, rediens quà feliciſſime Princeps
Adducis dominam civibus ipſe tuis.
Diſpeream, niſi momento mihi gratior omni eſt,
Natali proprio ni mihi cara magis:
Si bene perpendo, quam provida cura Tonantis
Tantum exoptato miſerit ecce bonum.
Publica ſunt populis tua gaudia, vindicat inde
Patria partem, aliam concio ſancta ſibi.
Cuius iam membrum quem non iuvet eſſe? quis autem
Publica præ propriis non magè amare velit?

VII.

PROXIMVS ille virum, Princeps, te reddidit annus,
Iuraq; iam officii non dubitanda tui.
Annus at hic (& vix ſcio num non gratior illo)
Virginis heroæ iura marita dedit.
Sic bini certant donis ingentibus anni:
Qui ſequitur, faciet te FRIDERICE patrem:
Et facient reliqui numeroſa prole parentem.
Nec tamen hoc votis ſufficit omne meis.

Opta-

Optamus validas vires, tardamq; ſenectam,
Temporaq; Imperii tam diuturna tui:
Ut natas videas matres, natosq; parentes;
Vtq; pater patriæ ſis ita prolis avus.

VIII.

PRIMA *Palatinæ FRIDERICVS gloria gentis,*
Conſortem thalami ducit Anaxoniam.
Auguſtos tulerat genus (& quis neſcit) utrunq;:
Quis ſcit, coniunctum quid modò ferre queat?

IX.

PRISCA *vetuſtorum valeat iam fabula vatum,*
Cœlibe de Phœbo, Virginibusq; novem.
Ecce Palatinus matronam ducit Apollo:
Nubit ei Vranie: ô nobile coniugium!

X.

TEVTONIÆ *fratres, genus inſuperabile, Belgas*
Preſſit ut ob veram vis inimica fidem;
Juvit avus patruiq; tui pro viribus ambo,
Suppetias prompti vindice ferre manu.
Arma CASIMIRI ſat nota, nec excidit ulli
CHRISTOPHORE, occaſus Dux generoſe tuus.
Pro quibus officiis tibi nunc FRIDERICE nepoti
BELGICA quod referat grandius, ecquid habet?
Belgica regalem mittit tibi grata puellam,
Auſpiciis ſceptri congrua dona tui.
Eſt magnum (fateor) vitam defendere amicis,
Nec propriæ interea parcere, tanta fides.

Summa tamen merces, pretiumq́ quod accipis ingens:
En tibi, quod vitam dixeris hercle tuam.

XI.

Tempore quo teneram duxti FRIDERICE *maritam,*
Præſtitit exempli rem Schola veſtra boni.
Doctores quia his partu uno enixa novenos:
Qui ſacra: qui medicam, iuſtitiamq́ colant.
Res equidem gaudet proventu publica tanto:
Omen at his factis maius ineſſe putem.
Iam fœcunda tori ſit conſors: quotq́ peritos
Iam ſchola, tot thalamus det tibi habere Duces.

IN NUPTIAS

FRIDERICI IV.

PALATINI &c.

I.

Q*Vis non coniugium, felix fauſtumq́ precetur*
Seu FRIDERICE *tibi, ſive* LOISA *tibi?*
Quin par ſub cœlo nequeat componier ullum,
Unius deceat quod magis eſſe iugi.
Relligio una eademq́ piè curatur utriq́,
Cuncta ſuperſtitio cui popularis abeſt.

Ætas

Ætas penè eadem eſt ambobus: & ut tibi primum
Purpureis prodit flos, FRIDERICE genis;
Sic ſocia ad formæ ſummum procedit honorem,
Et fit quotidie pulchra mage atq; mage.
Vena tibi Heroo de ſanguine ducitur: ipſa
Nec minus à claris ſtemmata traxit avis.
De meliore tibi ſtant pectora ficta metallo:
Ipſa pol & ſexus gemma ſerena ſui eſt.
Parca tibi pueræ vitæ fila improba nevit
Nevit & illa ipſi vellera nigra nimis.
Hinc vobis chari rapiuntur morte parentes,
Illorum cum iam maximus uſus erat.
Sed bene habet. Pertæſa Atropos nam triſtia ſemper
Nere, colum Phryxi mox amicivit ove.
Jamq; deinde tibi FRIDERICE, tibiq; LOISA.
Vſq; uſq; exſpectes aurea penſa iubet,
Aurea penſa, nihil tenebroſi habitura, tametſi
Tu Pylii peragas, Deiphobæ ipſa dies.

II.

Sicut ubi Phœnix natali prodit ab igne,
Niliacisq; infert ſacra paterna tholis
Alituum hinc atque inde cohors numeroſa, renatum
Circuit ac fauſtâ voce ſalutat herum;
Quâq; volat, paſſim venerantum denſa corona
Proſilit, atq; alæ plauſu utriusq; calet:
Haud aliter FRIDERICE tibi dum ducta LOISA eſt,
Prole Palatinos ditet ut alma Lares.

Fœmineum genus omne in eam genus omne virile
Nomina fauſta animo, nomina voce iacit:
Quaq; iter ingreditur, tũ oculis tum mente ſequuntur,
Non una obſequiis dedita corda novis.
Sic eſt, ut rediit penetralia in illa LOISA
Progreſſa ante annos octodecim unde parens,
Altera iure audit Phœnix, poſt funera matris
Flore iuventutis fas cui poſſe frui:
Iure & eam populus quoq; pro Borbonide matre,
Sed tamen hoc facie ſub meliore colit.

III.

Quam benè præteritos penſat, Dux ſumme, labores
Sors tibi, converſæ culmine nixa rotæ!
Transactus proprii iuris te reddidit annus;
Iſte maritalis ditat honore thori.
Utq; ſequens faciat vitali prole parentem
Alter ita Auguſti nomen habere dabit:
Curaq; erit proferre tibi pomœria ſedis,
Haidelbergiacos & duplicare focos.
Quæris id unde habeam? quia, Princeps, nulla venire
Sola ſolet, ſeu ſit ſors bona, ſive mala.

IV.

Ut pretium omne ſui ſecum fert Unio, conchæ
Primitus ut ruitur de genitale ſinu;
Nilq; cati argutæ mangonis ſupplicat arti,
Sculptorisve aliquâ parte requirit opem.
Sed tamen obryzo ſimul illam gnariter auro
Ut ligat artificis nobilitata manus;

Neſcio

Neſcio quo meliore nitet ſplendoris honore
Et magis ad ſe hominum mentem oculoſq; trahit.
Sic quoq;, bacca LOISA ſoli Batavi unica, quamvis
Fama tuæ excellens virginitatis erat;
Nilq; videbatur iam poſſe accreſcere laudi,
Quam tulerat virtus formaq; rara tibi:
Nunc tamen Heroi FRIDERICO ut iungeris atq;
Se tibi perpetuâ glutinat ille fide;
Juppiter: ut magnum virtus tua formaq; ſumpſit
Augmentum ac pretio ter graviore venit!
Nempe prius quæ nil poteras niſi gemma vocari,
Jam modo gemmarum vel nova mater eris.

V.

Quod tibi cuncta favent, Princeps, terraq; & Olympo,
Ducitur in thalamos ut nova nupta tuos,
Indicium eſt, hoc coniugio mox moxq; futura
Proſpera multa polo, proſpera multa ſolo.
At quod, ut Haidelbergæ intras modo mœnia, largâ
Deſuper illuvie præcipitantur aquæ;
Omen & hoc fauſtum eſt: nam ſe gratum ille benignus
Dum properat Delphin exhibuiſſe tibi;
Imbelliq; nimis radio contingere terras
Non foret, ob Solis ſolſtitiale iubar:
Quod reliquum fuerat, feſtos tibi depluit imbres;
Sic quoq; fœcundi ſigna futura thori.

VI.

Si quis tecum huius Veteriſq; Heroidas ævi
Comparet, ô Batavi fama, LOISA, ſoli;

E numero innumero fortè una atq; altera, forma
Muneribus tecum cernere iure queat.
At, quæ etiam donis auſit contendere, Virtus
Cultrices ſolita eſt queis cumulare ſuas:
At, quæ etiam pugnet vitæ candore nivali;
Nulla fuit veterum, nulla recentium erit.
Quantum igitur verè præſtant æterna caducis,
Et magis externis interiora beant;
Tanto vincuntur Veteres ſimulatq; recentes,
Seculi & una audis duplicis almus honos.

VII.

Multorum, Princeps, voces capis auribus, & pars
Maior abeſt, voveat quæ bona multa tibi.
Quisq; ſe tut demum iam optaverit omnia, fidus
Pro Domino poſſit quæ rogitare cliens:
Vnum & ego porrò adiiciam, quod forſitan ulli
Non fuit in mentem, quanquam erat illa ſagax.
Scilicet, etſi omnes, Princeps, meritò atq; libenter
Hoc tibi gratamur connubiale ſacrum;
Opto tamen, faciat cœli arbiter, Vnicum & unum
Hoc tibi gratemur connubiale ſacrum:
Eq; die hac ſic ſit tibi coniugium uſq; ſecundum, ut
Coniugia inveniant nulla ſecunda locum.

JAN. GRUTERUS.

Digitized by Google

PALATINVS
URANIA.

*A*RA *decus templis, decus* ALTA *eſt* PINVS *in hortis:*
Illic certa ſalus, hic datur alma quies.
Tu PINVS, *Friderice tuæ ſis coniugis:* ALTA:
Sis VNI *Princeps* ARA, *Loiſa, Duci.*

N. REUSN.

IN NUPTIAS PRINCIPIS CAROLI, DVCIS FINNONIÆ, &c.

ET

ANNÆ-MARIÆ, D. LVDOVICI ELECTORIS PALATINI &c. FILIÆ.

NECCARE, *qui tacito præterfluis agmine ripas,*
Quò ſubitò properas? quò pater alme ruis?
Siſte parum curſus, venies maturus ad urbem,
Clara Palatini, qua Ducis aula nitet.
Siſte tuos, inquam, curſus: aureméq; benignam
Porrige: & hæc curæ verba rogantis habe.
Sic tuus æternùm fluat alveus: & tua ſylvis
Orta ſub Herciniis vena perennis eat.
Sic Cochar & Zaberus: ſic Remiſus, Oenus, Iaxes,
Nagoltuſq; tuas augeat udus aquas
Heidelberga iacet, tibi non ignota, vetuſtis
Sedibus, & biſido conſpicienda ſitu.

Hic

Illîc regifico princeps Ludovicus ovatu,
De ſeptem imperii portio ſumma viris.
Coniugium natæ genitor parat optimus ANNÆ
Phinnonii exſpectat dum Ducis oræ ſui.
Et nunc Phinnoniæ ductor fortiſſimus oræ,
CAROLVS *innumero milite cinctus adeſt:*
Ut ſibi deſponſam patriis à finibus ANNAM
Pace bona. Sueci ducat ad arva ſoli.
Quare age Neccaridum perſolve huic vota tuarum,
Regaliq́ toro nuncia pauca refer.
Non te prætereunt veteris communia gentis
Nomina: cum Sueco quæ Sueo fortis habet.
Tu meminiſſe potes noſtris antiquior annis,
Ad nos vix tenui murmure fama venit.
Adde quod hoc ſeſe nuſquam tabularius offert
Tempore: tam celeri qui ferat illa pede.
Nec mea tam longas qui carmina portet in oras,
Certior in curſu nocte dieq́ ſuo.
Tu potes hæc eadem celeri committere Rheno:
Teutonicum ut ſecum volvat in Oceanum.
Inde ſuo Oceanus Codano, Thetidiq́ maritæ
Sarmatiæ, & Chronio verba legenda feret.
Gurgite mox idem reſluo deportet in æquor,
Vincta ubi perpetuo ſtat maris unda gelu.
Cumq́ ſui pretium poſcat non vile laboris
Nuncius: & largum munus habere velit:
Tu mea perficies nulla mercede ſubactus,
Sufficietq́ tibi carminis huius honor.
Quare age, quæ perſtet noſtra ſententia mentis
Percipe, Sueviaci fama decusq́ ſoli,

Cum

Boddicus hinc Suecis oram diſterminat arvis:
Illinc Phinnonii percutit unda ſinus,
Terra ferax Cereris, ſemperq́; adoperta virenti
Gramine: dives agri, nec malè dives opum.
Non tibi grex pecudum, non fontes, non ſua campis
Vbera, non pomis fertilis arbor abeſt.
Hinc bellator equus ruri ſeſe arduus infert,
Moſchorum quoties induit arma furor.
Extulit hæc genus acre virûm, Finnosq́; Rugosq́;:
Hæc Vindos, Herulos, Oſtrogothosq; dedit.
Hinc Gepidæ forteſq́; venêre, Hunnıq́; potentes,
Arduus hinc celeri venit Alanus equo.
Nec gens eſt hodie toto bellacior orbe,
Quàm Finni, Moſcho gens metuenda fero.
Quid dubitas generum LVDOVICE adſciſcere tam-
Imperio cuius natio tanta ſubeſt?
Pande fores Ludovice tuas, Deus omnia læti
Auſpicii atq; animi proſpera ſigna dedit.
Nec tu maternas, patriasq́; relinquere ſedes,
Nec ſponſi certas ANNA morare vias.
Sic Iſabella ſuum Regina ſequuta maritum,
Cimbrica ab Auſtriacis venit in arva plagis.
Sic pia Dorothee, matris de more paternos
Mutavit Nicro cum leviore ſocos.
Altera ſic Regem Danosq́; ſequuta penates,
Saxonicos liquit Dorothea lares:
Quæq; Palatino nupſit prior Anna Georgo,
Deſeruit cari Suecia regna patris:
Fœmina, qualem olim non aurea protulit ætas,
Seu faciem ſpectes, oraq́; ſive fidem:

I decus, I virgo melioribus utere fatis:
Aſpiret tædis ſorsq́; , Deusq́; tuis.
Fallor; an aſpicio ſurgentem pulvere campum?
Et video Suecos denſa per arma viros?
Eia age nunc oculos aliò fer Neccare: cerno
Huc equitum latis agmen adire viis.
Reſpice: & argutis venientes excipe turmas
Vocibus: ac tales profer ab ore ſonos:
CAROLE Phinnoniæ princeps fortiſſime gentis,
O dux, ô patriæ cura ſalusq́; tuæ:
Salve Neccaricis hoſpes gratiſsime ripis,
Ah nimis es longâ viſus abeſſe mora!
Anxia iamdudum tua nupta exſpectat euntem,
Proq́; tuo reditu publica vota facit.
Ingredere ô, thalamoq́; tuo, ſociaq́; potire
Virgine, Germanis hoſpes amice tuis.
Exhilara ſocerum, matresq́;, virosq́;, nurusq́;:
Et feſtos agita tuq́; tuiq́; choros.
Abſint triſtitiæ: veniant riſusq́;, iociq́;:
Plenaq́; lætitiis atria tota ſonent.
Interea poſitis Livonus ſecubet armis:
Et vetus in templo bellica parma vacet.
Segnis & in patria Moſchus tellure quieſcat:
Et nigrum ceſſet puppe ſecare fretum.
At te amore tuo deducat nulla ſenectus:
Sive Nöas, ſeu tu Mathoſalemus eris.
Nec ſibi dilecta ſit fœmina carior ANNA,
Mortales inter repperienda nurus.
Hæc patrium linquens tectum, dulcesq́; penates,
Sarmatici tecum marmoris intrat aquas.

Suppoſitasq́ domos ſtellis Erymanthidos Urſa
Quærit: ubi gelido terra ſub axe riget.
Hac quaeiscunq́ locis, hac omni tempore tecum
Sive ægro pariter, ſive valente, manet.
Tandem cum patrias rurſus perveneris urbes,
CAROLE ſis Nicri, ſicut es ante, memor.
Communem & mecum ſerva pietatis amorem:
Et quo cepiſti nunc pede, ſemper eas.
Sic placidâ patriam Ductor ditione tenebis:
Finitimoq́ hoſti terror & horror eris:
Nec tua te tantum, licet inſuperabilis, Abô
Protegit: muris ænea Olafa ſuis.
Nec tua Sarmaticas te tantum armabit in hoſtes
Phinnoniæ tellus, Phinnoniaq́ ſinus:
Quantum relligio cœleſti conſona verbo:
Et qua præſtanda eſt & ſine teſte fides.
Hac ope vim reprimes hoſtilem: ubi proteget urbes,
Murus & arma Deus, portus & aura Deus.
Faxit hic ut longos ambo vivatis in annos:
Nec ſint ulla domi bella nec ulla foris.
Idem etiam ſoceros noſtro feliciter ævo:
Ut videant neptes progeniemq́ ſuam.
Hac ubi Phinnonio tu Neccare dixeris: altum
Condi caput vitreæ margine rurſus aquæ.
Mox eadem patri refer hæc nova gaudia Rheno:
Rhenus Teutonicum portet in Oceanum.
Oceanus Thetidi Cimbræ ferat. ipſa parenti
Phinnoni: is in tanto gaudeat usq́ ſinu.

NIC. FRISCHL.

IISDEM NVPTIIS

CAROLI SVECIÆ PRINCIPIS, ET MARIÆ LUDOVICI ELECT. PALATINI FILIÆ.

I.

LEO PALATINVS.

QVæ, Veneris iuſſu, Charites aulæa ſuperba,
Artifici feximus, Carole, picta manu:
Accipe: Finnonicæ Dux inclyte gentis: & hæres
CAROLE Gotthorum Rex, Sueonumq́ potens.
Aureus ipſe Leo eſt: ALEMANNI nobile munus
HERCVLIS: à quo gens Boia nomen habet:
Quæ nova Rhenani moderatur ſceptra Palati:
Scilicet hâc coniux eſt nova gente ſata:
Principis illuſtris LVDOVICI filia QVINTI:
Septem de ducibus quem ſua Roma colit.
Magna iuvant magnos: magnum decet eſſe Leonem:
Qui vult invicti nomen habere Ducis.
Cur? animo magnus LEO, rex dominusq́ ferarum
Quadrupedum: Somnis pervigil: ungue minax.
Sponte ſua parcit proſtratis: dentibus urget
Quos videt armata velle nocere manu.
Sic & magnanimum regem populiq́ parentem
Pro regno fas eſt pervigilare ſuo:

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos:
Innocuis damnum, vim prohibere bonis.
Talis erat quondam LEO, cum patre filius HYLLVS
HERCVLE; cui nomen fecit utriq; LEO.
Talis Boiorum priſcus ſator, Herculis olim
Æmulus Alcidæ, rex ALEMANNVS erat.
Talis & Vgrorum terror, LVTHOLDVS, & alter
ARNVLPHVS: Boiæ Sidus uterq; domus.
Talis Septemvir primus LVDOVICVS: OTHONE
Cum patre, qui Magni, nomen & omen habet.
Talis RVPERTVS: talis LVDOVICVS: uterq;
Cæſar, & Imperii Rexq; paterq; ſacri.
Deniq; (ne morer exemplis æquantibus ipſos)
Talis avus Sponſæ dux FRIDERICVS erat.
Quam dum coniugio ſtabili tibi CAROLE iungis:
Tot tantosq; Duces iungis amore pari:
Tot tantosq; duces geniturus, coniuge magna:
Ceu fortis quæ te prole Leæna beet:
Prole beet ſancta, fortiq;, bonaq;: paternum
Quæ geminet morum Nobilitate decus.
Auguror; augurium firmet Leo fortis Iudæ:
Qui Rex eſt Regum, Dux & in orbe Ducum.

II.

URSUS FINNONICUS.

ET te, Sponſa decens, donat Cytherea tapete:
ANNA Palatinæ ſtella MARIA domus:

Inter

Inter Germanas longè pulcherrima nymphas,
Principe digna viro, Principe digna Patre:
Fulvus hic eſt VRSVS; gladio præſignis acuto;
Finnonici ſignum nobile nempe Ducis:
Cui par eſt Sophiæ laus, & par cura Deorum:
Ingenio virtus nec minor, atq; fides.
Felix nupta viro: Felix & Principe tanto:
Pharraſius maius quâ nihil orbis habet.
At quorſum mihi pondus iners: & beſtia turpis,
Munere pro magno, cur datur Vrſus? ais.
Nempe manus lambit placidus, digitosq; ſuorum
Vrſus: haud cuiquam dente vel ungue nocet:
Si tamen eſt læſus nimium, ruit acer in hoſtem:
Pectus & ad luctam, grandeq; robur habet.
Sic placidus tuus eſt Princeps, facilisq; bonusq;:
Dum licet ad pœnas ſuppliciumq; piger.
Quod ſi vi ſit opus, non hunc impune laceſſit,
Quamvis immanis viribus, hoſtis atrox.
Vrſus erit, belloq; ferox, & cladibus aſper,
Proteget invictâ ſubdita regna manu,
Proteget & ſanctum veræ pietatis honorem.
Vltor Eliſæi ceu ſenis Vrſus erat.
Scilicet eiuſdem eſt (quamvis pugnare videtur)
Sontibus eſſe malum, ſupplicibusq; bonum.
Talis erat ſanctæ pietatis amator OLAVS,
Talis STENCHILLVS, WALDEMA-
RVSq; potens.
Talis CHRISTOPHORVS, Sueonum rex,
Boius heros,
Talis GVSTAVVS: talis ERICVS erat.

Hic avus, ille pater Sponſi, rex fortis uterq́ue:
Et pater, & patriæ miles uterq́ue ſuæ.
At tu, de tanto tibi coniuge, Diva virago
Sic forma nâtos ad decus omne Duces.
(Ceu format genitrix informes Urſa catellos:)
Per grave virtutis quo gradiantur iter.
Et laudis patriæ memores, & laudis avitæ,
Pace beent populos divitiisq́ue ſuos.
Eventura precor: Votum probat alma Dione,
Fortunantq́ue ſacrum Diiq́ue Deæq́ue torum.

DE IISDEM NUPTIIS
ETEOSTICHON
ANNI M. D. LXXIX.

FInnonicus Princeps, Guſtavo Carolus ortus
Fit coniunx, Maii lux ubi quarta venit.

N. REUSN.

IN NUPTIAS

SERENISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS

COMITIS PALATINI RHENI, ELECTORALIS PALATINATUS ADMINISTRATORIS, S.R. IMPERII VICARII, DUCIS BAVARIÆ, &c.

ET

SERENISSIMÆ

LOYSÆ, FRIDERICI IV. ELECTORIS PALATINI FILIÆ.

EPITHALAMIUM.

Ergo Palatinæ Palatinus iungitur? euge!
Sic Laurus Lauro, ſic roſa nexa roſæ eſt.
Aurum ſic auro, ſic baccæ bacca ligatur,
Ipſa quibus non fert India tota pares.
Nam quod habet Virtus, Ars, Fors, Natura beati;
Appoſitumve iſtis quattuor Orbis amat:

Cuius non in te cinnus, Palatine, coruſcet,
  Cuius non in te luxurietur honos?
Nam quid habet Virtus, Ars, Fors Natura, beati;
  Appoſitumve iſtis quattuor Orbis amat:
Cuius non in te cinnus, Palatina, coruſcet,
  Cuius non in te luxurietur honos?
Macte tuis igitur tædis, Palatine, cui uni,
  Multorum votum quod fuit ante, datur.
Macte tuis igitur tædis, Palatina, cui uni,
  Multarum votum quod fuit ante, datur.
Detq́; Deus, ceu Sponſa ſui Gemma ordinis audit;
  Sponſus item ceu Flos ordinis ipſe ſui eſt:
Sic quoq́; Gemmarum longo mox ordine gemmas,
  Sic Florum Flores illeq́; & illa ferant:
Gemmarum Gemmas, Flores Florum, unde moventur,
  Deliciæq́; ſolo, deliciæq́; polo.

JAN. GRUTERUS.

ALIUD.

ORdine quæq́; ſuo divina potentia fecit,
  Sive quod occaſus ſive quod ortus habet.
Cuiq́; ſuum, ſine quo nequiit conſiſtere, iunxit:
  Cuiq́; parem, auxilio poſſet ut eſſe, dedit.
Cuncta ſuo generi, piſces, pecudeſq́; feraſq́;,
  Et placido dulces fœdere nexit aves.
Omnia ſic rectè divinis legibus ibant,
  Omnia ter-magno perplacuêre Deo.

Solus

Solus homo, ut poſſet dominari in cetera factus,
Solus erat: ſoli nemo ferebat opem.
Inventumq́ue nihil cui ſe coniungere poſſet,
Quòd reliquis longè dignior ille foret.
Obrutus à ſomno, coſtâ privatur: & inde
Femina facta, viro ſubſidiumq́ue fuit.
Hinc amor in nobis, longè hinc dilectio maior,
Et præſtat ſocias illeq́ue & illa vices.
Proximior ſe nemo ſibi eſt, ſua quiſque tuetur:
Et, quantum potis eſt, vindicat illa ſibi,
Quid mirum, ſi nos, veluti magnetica ferrum
Gemma ſolet, faciles blanda puella trahat?
Quiſq́ue ſibi exoptet, modo non ſit plumbeus, illud
Quo caret, & ſine quo fëmina nulla foret?
Hæc Helice, hac Cynoſura præit, ſic ducimur aſtro,
Huicq́ue intenta ani mens generoſa manet.
Quod nequiit pietas, quod non valuêre parentes,
Intuitu ſolo hoc una puella poteſt.
Omnia vincit Amor, Divoſq́ue homineſq́ue feraſq́ue
Vrit, & in caſſes quemlibet uſq́ue trahit.
Quo quiſq́ue eſt maior, magis eſt obnoxius illi,
Divinos motus ſpiritus altus habet.
Id quoque ſenſiſti, Princeps Palatine, *tuoque*
Haud leviter ſedit pectore parvus amor.
Parvus Amor, quamvis ſummas modereris habenas
Imperii, atque Aquilas, Martia ſigna geras;
Et circum innumero ſtipatus milite vivas,
Tutus, ut ab omni vivere parte queas:
Non tamen extimuit tua pectora dura ſagittâ
Percutere, ut vires experiare ſuas.

Ignotos aditus, ſecretaq; cuncta locorum,
  Quáq; magis reputes invia, tranſit Amor.
Mille modis Argus, gaudet ſub mille figuris
  Molliter occultus ſerpere dulcis Amor.
Difficile eſt blando Veneris ſe opponere nato,
  Sæpe volens victor lædere, læſus abit.
Non victi, victoris at eſt, ſuccumbere Divo,
  Saucius à puero Juppiter ipſe fuit.
Nec minus Imperium in ſuperos hominesq; tenebat,
  Sic quoq; nil iuris detrahet ille tibi.
Ter felix, ô Magne Heros, cui contigit uxor,
  Cuius vix tellus eſt habitura parem.
Cui facies vel digna DEO, moresq; decori,
  Et conſtans pietas, & ſine labe fides.
Quam Venus & Charitum larga indulgentia certat
  Undiq; muneribus accumulare ſuis.
Quam decorat virtus, quam ſumma modeſtia laudat,
  Et quæ præterea non referenda mihi.
Singula quis referet? quod ſi mihi Juppiter ipſe
  Spondeat, hoc impar viribus eſſet onus.
Stemmata ſi ſpectes, vix ullum dignius illis,
  Sive velis matrem, ſive referre patrem.
Imperii primas tenuit pater, ordine longo
  Huic ſimiles multos annumerabis avos,
Qui longè implerunt vaſtum virtutibus orbem,
  Et latè volitant cuncta per ora virum.
Principe ab AVRIACO mater prognata, quis ille
  Et quantus fuerit, mundus uterq; canit.
Tu quoq; crudelis referes Hiſpane, vel ultrò
  Aut etiam invitus, dum Polus aſtra feret.

Si taceas, lapides & marmora mille loquentur:
  Illaq; ſi ſileant, Fama loquetur anus.
Ille tuâ quamvis cecidit, viliſſime, fraude,
  Non tamen impunè hoc ſic abiiſſe puto.
Mox tantum ſcelus eſt iuſtiſsima pœna ſequuta,
  Et tanti patris filius ultor adeſt.
Ille avidum veſtro mutavit ſanguine pontum,
  Et viridem meritâ cæde replevit humum,
Et cineri patris vel ſic ex parte litavit,
  In totum haud redimi mors ea morte poteſt.
Cunctorum quos terra capit Marana, vel uſquam
  Quæ regio Occiduo ſubiacet Imperio
His proavis Sponſa eſt, PRINCEPS PALATINE, creata
  Veſtra, ſolent vires ſemini ineſſe pares.
Non generoſæ Aquilæ timidam excluſere columbam,
  Non leporem Emathii progenuere canes
Inclyte DVX, multumq; hac felix virgine PRINCEPS,
  Et multum hoc felix PRINCIPE, virgo, tuo.
Carpite ſperatos ſine ſollicitudine fructus,
  Nullaq; diſcutiat gaudia veſtra dies.
Vivite felices, iuſtis neq; Numina votis
  Obſiſtant, tribuat pignora multa DEVS.
Filius ore patrem, referat quoq; filia matrem,
  Perpetuò ut veſtro in pectore creſcat amor.
Sanguine communi vinclum firmatur amoris,
  Et coniuncta manent quæ ruitura putes.
Hæc videam, videantq; alii, qui pectore toto
  Pro Patria & vobis vota preceſq; ferunt.

Et mea

Et mea ſit pietas cum carmine grata; voluntas,
Quod nequiit verſus, ſuppleat ipſa precor.

NICOL. HEINSIUS.

ALIUD.

NAm quis in hac totâ tam obtuſi eſt pectoris orâ,
Quemve ita degenerem patria noſtra videt:
Cui non ad tantos thalami mens ſurgat honores,
Queis, ſi nil aliud, at bona verba ferat,
Has tedas, Dux magne, tuas ad ſidera cœli
Tollat, & effuſo protinus ore canat?
Communi liceat nobis applaudere feſto,
Nec mihi: quæ cunctis ſunt proba, ſint vitio:
Sit bene Principibus liceat mihi dicere Sponſis:
Quodq; feram munus ſit mihi pugnus aquæ;
Illius exemplo, qui, ceu monumenta loquuntur,
Ne vacuus Regis iret ad alloquium,
Attulerat manibus ridentis ad ora tyranni,
Quam fons contiguus ſuppeditabat, aquam.
Scilicet exiguis placantur numina donis,
Nec ſola in magnis gratia rebus ineſt.
Quin etiam, priſci ſi qua eſt, reverentia moris,
Non minimum in lympha nuptiæ honoris habent.
Hac nuptas ſparsêre novas Romana inventus,
Prælatamq; ſuo pompæ habuêre loco:
Et veteres Galli, porrectâ nubere lymphâ
Uxorem lecto, conſtituêre, viro.

Nil

Nil lymphâ melius, ſine quâ nec iura marita,
Quâ ſine nec conſtans vita manere poteſt.
Accipe, pacato qui ſuſcipis omnia vultu,
Quod ferimus, Princeps, accipe munus aquæ.
Non ea Caſtalio Muſarum è fonte petita,
Vngula quam volucris ſurgere iuſsit equi;
Nec quæ Nympharum cœtis latet abdita lucis,
Aut qua cæſariem flavus Apollo lavit:
Si tamen hâc quacunq; olim mea labra rigâro,
In tua prodibo facta canenda loquax;
Facundum Pietas & publica commoda reddent,
Et quem de nobis patria poſcit, amor.
Nunc etiam magnâ contendam voce, mihiq;,
Quo potero ſonitu ter reſonabit Hymen.
Quod nequeunt numeri, ſupplebunt verba precantis;
Concedent votis publica vota meis.
Queîs ſi ſupremus faciles Deus applicet aures,
Nec ſunt præda feris verba futura Notis:
Aurea proſperitas terris incumbet amicis,
Dives & ad plenum Copia fundet opes.
Priſca Palatinæ florebit gloria gentis,
Quà Titan iungit, quàq; reſolvit equos.
Auſpiciisq; tuis, cœlo mittetur ab alto
Qui res Romanas temperet imperio:
Cum canibus venient in mutua fœdera tigres,
Nec metuent rapidos paſcua tuta lupos.
Et novus Elector, totus quem reſpicit orbis,
Qui nunc in viridi gramine ludit ovans;

Sur-

Surget, ut Eoo veniens de vertice Phœbus
Aurato lætam lumine viſit humum:
Aut velut immani quos uſſit Sirius aſtro,
Maturus feſſis incubat imber agris.

FRIDER. LINGELSHEMIUS.

CHARISTERIA CHARITUM
NUPTIIS

GVILIELMI
DVC. BOIORVM,

ET

RENATÆ FRANC. DVC. LOTHARINGIA F.

SPONSI SERVVM.

Accipe quam ferimus Charites tibi Sponſe, coronam,
O ingens Patriæ Dux GVILIELME *decus;*
Hoc tua donamus connubia munere: quod tu
Jucundâ clemens ſumere fronte velis.
Gemmeus eſt orbis: gemmis auroq; decora
Tænia: quam variat ros maris, atq; roſa:

Digitized by Google

Sunt gemmæ Pietas, virtus laudabilis aurum;
Sincerus Domini tænia pulchra timori
Sis pius inprimis: Pietas tutiſſima gaza,
Felix, in ſuperos qui pius eſſe poteſt.
Prima Dei verè timor eſt ſapientia: rectè
Vt ſapias ſanctè diſce timere Deum.
Tum cole virtutem; virtus habet omnia dives,
Exæquat virtus Regibus una Deum.
Sub te pacis amor, ſub te reverentia iuſti
Floreat, ut floret ros maris atq; roſa.
Triſte gelu rorem læditq; necatq; marinum
Et nimio Solis languet ab igne roſa.
Sit curæ bonitas, armiſq; potentius æquum;
Juſtitia vires ſic moderare tuas:
Iura tuis populis ſapienter ut æqua miniſtres;
Sontibus iratus, ſupplicibuſq; bonus.
Sic Patriæ Princeps ſanctus dicere, Paterq;,
Sic tuus æterno flore virebit honos.

SPONSÆ MONILE.

NOs etiam ferimus Charites munuſcula prompta,
Atq; ſacrum facimus candida vota torum.
Accipe, quod generoſa damus tibi Sponſa monile,
Signa voluntatis non aliena piæ.
Ambitus aureus eſt; lucens viridante Smaragdo,
Funda brevis, gemmis hæc variata micat.
Caſta fides aurum, Pietaſq;, Pudorq; Smaragdus
Sunt gemmæ, mores cum probitate boni.

Digitized by Google

Sis pia, ſis fidei cultrix, cuſtoſq́; pudoris;
Caſta fides, caſtus res pretioſa pudor.
Sufficit, & longum pietas perdurat in ævum,
Perq́; ſuos annos hinc benè pendet amor.
Addimus hos flores, & nata Corallia Ponto,
Roborat hæc, illos triſtis adurit hyems.
Forma bonum fragile eſt, ſemper durabile Virtus:
Illa perit, ſpatio creſcit & illa ſuo.
Dilige perpetuas animi caſtiſſima dotes,
Nil virtute prius, nil pietate putes.
Tu Dominum reverenter habe, curaq́; fideli
Dilige: quaq́; potes dote placere, place.
Illius ad nutus mores compone pudicos,
Arbitrio magni vivere diſce Ducis.
Soſpite ſic te ſit coniunx quoq́; ſoſpes: & olim
Imperet hoc natus cum ſeniore ſenex.

SPONSI, SPONSÆ-QVE ANNULUS.

Jaſpis, Onyx, Adamas, Carbunculus, Opalus uno
Quam benè Sponſorum fulget in articulo,
Concordes animos, ardentis fedus amoris,
Coniugiiq́; fidem, lætitiamq́; notant.
Salve Dux animi præſtans, Sponſe inclyte ſalve:
Inclyta Boiaricæ ſpes GVILIELME *domus.*
Flos Regum, quibus eſt Orbis data ſumma poteſtas,
Alter avus Cæſar, Dux fuit alter avus.

Salve

Digitized by Google

Salve dulce decus Patriæ, Sponſa inclyta ſalve,
E Lotharingorum ſanguine Nata Ducum.
Franciſci patris, Chriſtinæ filia quondam
Matris, Avi Regis neptis, aviq́; Ducis.
Sit felix, fauſtumq; precor: iam Rhenus & Iſter
Vnanimes digne vos venerantur aquæ.
Eſte unà, lætiq; annos implete iugales,
Creſcite fœcundo, ſed ſine lite toro.
Dulcis in innocuo regnet concordia lecto,
Complicet amborum mutuus oſſa calor.
Ferveat una fides, caro ferveat una duobus,
Spiret in amborum mentibus unus amor.
Tantus amor, tantus vos arctet, & uniat ignis,
Quantus Ceycis Halcyonæq́; fuit.
Sint patriæ, populis ſint proſpera gaudia veſtris,
Duret in æternos læta propago dies.

N. Reusn.

EIUSDEM

ANAGRAMMA,

GVILIELMUS RENATA
MVLSI GELV, RE NATA.

GVILIELMVS BOIVS.
MVSIS VIGE, LIBO LVE.

R. *Frigida mens, & amor ſine compare frigidus : uxor*
Facta Gelv Mvlsi *pectoris omne tui.*
G. *Tu* Re Nata *mea vita mihi vive* Re-Nata:
Ne *ſis* Atra, *diu ceu bona Muſa vige.*
R. Mvsis *ô Gvilielme* Vige : Libo Lve *ſacra*
Muſis : perpetuent ſecula longa tibi.

NUPTIIS SECUNDIS

ILLUSTRISSIMI

Principis ac D.

D. AVGVSTI

DVCIS ET ELECTORIS SAXONIÆ, &c.

CVM

INCLYTA HEROINA

AGNETE HEDVVIGE,

PRINCIPE ANHALT.

GREG. BERSMANNVS.

FAS, ſibi cuncta virũ promittere numine dextro,
Omnia fas ſperare: Dei quia ſubditur omnis
Imperio natura, nec eſt obnoxia legi,
Nec certo præſcripta modo, ſine lege poteſtas.
Nil deſperandum nutu aſpirante potenti,
Qui freta, qui terras, qui magnum torquet Olympum:
Nil deſperandum Chriſto Duce, & auſpice Chriſto.
Annuat ille, rotas ſiſtet ſol: annuat idem,
Lapſus unda ſuos medio frenabit in amni,
Et convertet iter curſu reditura ſupino.
Annuat, adverſo Boreas inſurget ab axe,
Et ſua cum Phocis mutabunt prata iuvenci,

Et pontum volucres, tranabunt aera piſces,
Et pacem iungent Vrſi & genus acre Leones.
Ille coïre iubet diſcordia ſemina rerum,
Et ſociare uno concordem in corpore nexum?
Frigida ne pugnent calidis, humectaq; ſiccis,
Mollia neu duris decertent, tenuia craſſis:
Ille mari, toto diviſaq; corpora cœlo,
Junctura ligat unanimi mentisq; toriq;,
Et geminans unum, de binis efficit unum!
Ne modò qui fuerat ſuus, amplius ille ſuus ſit,
Sed ſuus alterius pes fiat, pectus, ocellus.
Quid moror? ille vetat viduo tabeſcere lecto,
Poſtquam primus amor deſertum morte reliquit,
AVGVSTVM Imperii columen? quo ſoſpite non-
Teutoniæ fractas res acciſasq; fatemur. (dum
Quid moror? ille ſenis iuvenili ſanguine venas
Implet, & ætatis minuit cum mole laborem:
Aſcaniæq; ſatam dio de germine Nympham
Connubio iungit ſuavi, quæ dura ſenectæ
Fata levans, triſtem obducat ſolamine luctum.
Credimus? an tantam ſors haud incerta ſalutem
Conciliat, neq; conſilio ſine numinis heros
Saxoniæ, JOACHIME tuos ERNESTE penates
Ingreditur, pactæq; torum ſibi virginis ambit,
Induiturq; procum ſceptri gravitate remota?
Credo equidem, nec vana fides, connubia fatum
Hæc ſancit? fato coëunt in fœdera dextræ
AVGVSTI Ducis, HAGNETISq; binominis ambæ.
Ergo lætitiâ nemus omne, amnesq; reſultant,
Clamoremq; ferunt gratantûm ad ſidera venti

Digitized by Google

Et quem Saxo iacit plauſu, vicinaq; linguis
Myſnidos ora favens, nec cedens Marchia votis:
Et quem Tyrigetes cum Franco conſonus edunt.
Cumq; Chattinis ſociata voce Cheruſci?
Et lecti proceres, Germanæ robora pubis.
Certat Anhaltinæ ſtudiis gens impigra terra,
Hinc trabeatus eques, hinc provida cura ſenatus
Advigilans. fervent hymeneia ad gaudia cives:
Nec ſua Deſſavium capit intra mœnia vulgus
Spectantum? latas anguſtat turba plateas,
Et fora? plebeio teritur prætexta tumultu,
Et permixta ſtolæ cyclas ſpatioſa laborat.
At domus urbe nitens ſumma, quam leniter undis
Milda ſuis lambens hyberno ſtringit ab ortu,
Tectum anguſtum, ingens, regali ſplendida gaza
Inſtruitur: fulgent pictis ornata tapetis
Atria, candet ebur ſoliis, auroq; renident.
Pocula, menſæ auro ſplendent, tedam imbuit aurum.
Hîc aulæ in medio divæ geniale locatur
Accubitum, ſtruiturq; torus. quem ſindone velat
Baccata toral, & prædivite byſſus amictu,
Intextos longo ſignans patrum ordine vultus,
Aſcaniâ de ſtirpe patrum, cum gente nepotum.
O nimium fauſto parcarum ſtamine iuncti,
Nulla quibus ſimiles lux unquam iunxit amores,
Heröes ſalvete mihi: ſalve optima virgo,
Divorum prognata ſatu. parituraq; divos.
Salve virginei flos intemerate pudoris,
Nominis augurium morum virtutibus implens.
Salve HAGNES, ſalvè HEDVIGIS? cui ſidera lato

Riſerunt voltu, non vanum ſternuit omen
Naſcenti, quicunq; bonus quicunq; probatus
Religione Deo, carus pietate parenti?
Perfugium præſtes miſeris, quod nomine ſpondes
Ipſa tuo? ESTERAM præſtes te rebus in arctis,
Armat in innocuos cum vis crudelis AMANEM.
Sic nulli thalamum quæſtus, nec iurgia menſam
Turbabunt: ſic ſemper Amor, ſic gratia veſtras
Ambibunt ſedes, & labris corda ligabunt.
Tu quoq; tu Septem decus immortale viratus
Imperii, quo non VITEKINDI è ſanguine tantum
In tituli quiſquam meritis proceſſit honorem,
AVGVSTE, augendis nomen fatale tropæis,
Accipe felici deductam ſidere Nympham,
Nec, maior quamvis, hanc dedignare maritam,
Cuius ab ore faces, cum vult accendere divos,
Ignipotens inflammat Amor: Cui lumina flammas
Bina vomunt: imitatur ebur manus, inq; natantes
Lacte roſas æquant niveo labra mixta rubori?
Bombycum vincit telas coma, lilia cervix.
Quam Charites finxêre manu? Mildalbides inter
Gemmas conchatis enutrivêre ſub antris,
Eductam ingenuè ſancto aſſuetamq; pudori.
Quam præter meruit dici te nulla marito
Digna, nec in vacuum ſuccedere nupta cubile.
Accipe coniugii ſociatam fœdere divam,
Alma cui caſtum pietas inſevit amorem:
Quam tibi conſortem vitæ, de millibus unam
Delegit Deus ipſe tuo Deus æquus amori,
Et luctus relevare graves, curiſq; mederi

Præcepit, matremq́ tuâ de prole vocari.
Nempe ſui nondum curam dimittere cœtus
(Iampridem quamvis cœli te regia nobis
Invideat, pridemq́ iubas tibi contrahat, olim
Puniceo qui naſcenti Leo fulſit in ortu:)
Nondum ille Imperii te vult deponere faſces,
Quod fulcis humero, certam prohibente ruinam.
Ergo, tuam quoties ulnis amplecteris HAGNEN,
HAGNE AUGUSTE *tuæ quoties fers oſcula labris,*
Sponſa tibi ſubeat Chriſti, quam fœdere iuris
Deſpondit ſibi perpetui, propriamq́ dicavit,
Expertem nævi frontis ſulcoq́ carentem,
Atq́ ſuo lotam depurgatamq́ cruore.
Cuius membra ſumus corpus commune profeſſi,
Communis Corpus Capitis, cui nomen Ieſu?
Huius cura tibi ſubeat quæ ſupplice voltu
Intonſas laniata comas, perfuſaq́ multo
Pulvere caniciem, atq́ imbutam ſanguine veſtem,
Auguſtos amplexa pedes, tibi brachia tendit.
Audi humiles, Dux ſumme, preces, miſerere rogantis
Dum licet, & nondum gladii, rota, flumina, virgæ,
In miſeræ cædes, & triſtia vulnera deſunt?
Dum ſuper exilio locus eſt, ferrumq́ catenis,
Ligna rogis reſtant, nec tortor deficit omnis.
Eripe quod ſuper eſt, immanibus eripe bellis?
Aut, hoc ſi nimium eſt, turbatis conſule rebus?
Conſule turbatæ malè relligionis honori.
Incipe, nec ſegnis procerum manus orſa ſequetur,
Teutoniæ procerum, Chriſti quos gloria tangit.
Ad te oculos auresq́ trahis: tu dirigis omnes

Exemplo, dubiis Helice Cynoſuraq́; rebus.
Affer opem, de te ſibi quam ſpes ampla piorum
Promittit, cuius ſoli eſt tibi ſumma poteſtas,
Concedente DEO: quin conceſſa utere ſorte.
Aſſere divini illibata oracula verbi,
Quod patris interpres cœlo patefecit ab alto,
De genitore Deo Deus, & caro virgine matre?
Verus homo, verusq́; Deus. non nomine tantum:
Quod vates, quod bis ſeni docuêre miniſtri,
Quod per tot caſus per tot diſcrimina vitæ,
Sanguine ſignatum teſtes tenuêre fideles.
Aſſere ſalvificæ ſanctiſſima fercula cœnæ,
Ad vitam, mandente fide, qua paſcimur omnes,
Quod potes, inſani rabiem compeſce furoris,
In mea crudeli graſſantis viſcera lingua:
Supprime certanti maledictis lora catervæ,
Qui parêre tuis animoſos cogis habenis,
Ne diro inſontem lacerent convicia morſu,
Queis vinci pulcrum, nunquam viciſſe decorum eſt:
Te cohibente precor, ſileant infanda cathedræ
Fulmina, iam flammis in me bacchata triſulcis,
Scombrorum ſileant tunicæ piperisq́; cuculli?
Suggeſti & raucam reprimant crepitacula vocem:
Diſceptare Dei liceat, te iudice, cauſam
Hos contra, Chriſto qui ſuffurantur honorem,
Templaq́; blaſphemi rumpunt clamoribus oris,
Tellurem cœlo miſcentes, æthera terris!
Uno Chriſticolas uno omnes ordine habentes,
Omnibus infeſti pariter. quicunq́; magiſtrum
Agnoſcunt ſolum, doctorem patris Ieſum.

Cauſa Dei eſt, AVGVSTE, Dei tu ſuſcipe cauſam:
Neu dubita, eventum rebus feret ille ſecundum.
Hoc decet officium proceres, hæc munera cunctis
Impoſuit, quibus ipſe ſuum haud invidit honorem,
Arbitriumq́; Deus tribuit vitæq́; necisq́;.
Hoc pietas tua poſcit opus, quæ dedita terris,
Solis utramq́; domum, famâ celebrante, replevit.
Hoc exempla iubent veterum præclara regentum,
Vita mea quorum ſtabat contenta ſalute,
Quòd ſe membra mei cenſerent corporis, atq;
Non poſſent odiſſe ſuam mea portio carnem.
Hoc deſiderium, communia vota piorum
Expoſcunt? Votis deſiderioq́; piorum
Cede locum: potior neu te, fac cura moretur,
Nec tardet paci adverſum genus atq; quieti,
Nil niſi bella crepans, animamq́; necemq́; piorum,
Sic meriti monumenta tui, laudesq́; manebunt,
Dum piſces æquor paſcet, dum ſidera cœlum,
Dum flores campi; Volucres vehet aura canoras?
Dum merces pietatis erit, dum præmia recto
conſtabunt, lucisq́; vices noctisq́; meabunt.
Sic votis Deus ipſe tuis, cœptisq́; favebit,
Conditor ut pacis, Sionis pace fruare,
Prolis & aſpicias læta cum pace nepotes.

IN NUPTIAS
SERENISSIMI
D. CHRISTIANI
DVC. SAXON. &c.
ET
D. SOPHIÆ MARCHIO-
NISSÆ BRANDENB.

GRATVLATIO.

GRatantur tibi CHRISTIANE
Princeps.
Saxonum inclute quæ fluenta Muſæ
Albidos celebrant: tuæq; Muldæ,
Eliſtriq; Salæq;, CHRISTIANÆ,
Felix Coniugiumq; comprecantes,
Ioq; ingeminant, ioq; ioq;.
Gratantur tibi Marchias SOPHIA
Gratiæ Viadri, Sueviaq;
Nymphæ, & Haveliæ, choris pedesq;
Ferentes, numerisq; ſe moventes,

Felix

Felix connubium tibi precantur,
Ioq́; ingeminant ioq́; ioq́;.
Quàm par compoſitum probè, & beatè
CHRISTIANVS, & Oderis SOPHIA
Se thoro ſociant, avis daturi
Ambobus ſobolem, nepotulorum
Et blandum numerum: precemur omnes
Benè illis, geminando ioq́; ioq́;.
AVGVSTVS tibi CHRISTIANE ductor
Saxonum Pater eſt, & ANNA Mater
Cimbrico ſata Rege, cui celebre
Nomen dat pietas, bonaq́; geſtæ
Res fide: Soboli quis ô precetur
Non bène, ingeminando ioq́; ioq́;?
Eſt Pater tibi Marchias SOPHIA,
Quo non Parrhaſis Vrſa fortiorem,
Et cernit meliorem, amantiorem
Veritatis, & actuum decoris
Antiqui: Soboli quis ô precetur
Non benè, ingeminando ioq́;, ioq́;.
Vobis contigit optimè erudiri
CHRISTIANE, SOPHIA & educari
Litteriſq́; ſacraq́; diſciplina:
Quis non auſpicio bono profectas
Ad cœlum lepido voceq́; verſu
Tædas, ingeminetq́; ioq́; ioq́;?
Nunc inferte ſacras pedes in ædes
Princeps omine CHRISTIANE fauſto.

Marchiasq́; avibus SOPHIA dextris:
Et votis operemini ſacrisq́;,
Dum Muſæ, pueri, viri, ſenesq́;
Applaudunt, geminantq́; ioq́; ioq́;.

Autor connubii ligat modeſtas
Qui mentes adamantinis duorum
Clavis, ut ſocio thoro fruantur,
Educentq́; piè & ſuos pudicè
Liberos ades, approbatq́; fœdus
Quod SOPHIA init, atq́; CHRISTIANVS.

Naſcuntur pueræ, puelluliq́;,
Qui cœli aureæ cœruli tuentem
Templa quo docet, invocent, colantq́;
Æternum Dominum, Patremq́; honore,
Publicæ ſtudium rei dicantes,
Patriæ clueant ſuaq́; Patres.

Autores generis fuere quales,
Veſtri præcipueq́; cui Thetidæ
Nomen Theutonici fuit, duello
Clarus Mauritiusq́;, CHRISTIANE
Auguſtusq́; Pater, tuus SOPHIA
Johannes genitor Georgiusq́;.

Eventura precamur: O beatas
Terras, Miſniacamq́;, Marchicamq́;
Quas coniunctio principum revincit
Firmo fœdere, ventilante caſtis
Flammis pectora ſpiritu ſacrato
SOPHIÆq́;, Ducisq́; CHRISTIANI.

Amen

Amen accinat Albias Camena
Cum ſororibus, & Viadriana
Gratiæ, tibi CHRISTIANE *Sponſe,*
Et Sponſa tibi Marchias SOPHIA.
Et viri, pueri puellulæq́;
Ioq́; ingeminent, ioq́; ioq́;.

ADAMUS SIBERUS R.
SCHOLÆ GRIMMENS.

ILLVSTRISSIMI AC POTENTISſimi Principis ac D.

D. AVGVSTI DVCIS ET ELECTORIS SAXONIÆ FILIO

ILLVSTRISSIMO

D. CHRISTIANO, LANDGRAVIO THURINGIÆ, ET MARCHIONI MISNIÆ, SPONSO.

EXpectata dies, votiſq́; petita bonorum
Venit: quiſquis ades, lingua animoq́; fave.

Non nuper lux orta fuit felicior, ecce
Altiſonis æther plauſibus ipſe ſonat.
En Sponſo Illuſtri ſolis favet aureus orbis,
Et ſplendore ſuo fœdera pacta probat:
Terra ovat, inſultatq́; ſimul, ſecumq́; triumphat,
Grataturq́; ſuo Miſnias ora Duci.
Inſtantur calamiq́; leves, citharæq́; moventur,
Et tenerum fundit tibia docta melos.
Applaudunt proceres Sponſo, & clamore ſalutant,
Optantes tædis proſpera quæq́; novis.
Vulgus io reſonat, vocemq́; per atria volvit,
Et dat lætifico candida verba die.
Summus rerum opifex, qui feſta iugalia primus
Inſtituit, precibus ritè vocatus adeſt.
Confirmatq́; ſuo ſocialia numine ſacra,
Et nuptæ ſponſum copulat ipſe ſuum.
Inclyte Dux ſalve, patriæ ſpes altera terræ:
Saxonicæ ſalve luxq́; decusq́; domus.
Aggredere ô ſanctos thalami felicis honores,
Participem vitæ conſociaq́; tibi.
Non has conciliat verſuta Amathuntia tædas,
Nec puer Idalius, nec genialis Hymen,
Coniugium hoc ſancit Concordia mater amorum,
Et præfert pietas relligioſa faces.
Concipe Sponſe novas age forti in pectore flammas,
Et Sponſæ ardores ignibus ure tuis
Ac ſimul imperium patriis virtutibus auctus
Exerce, & leges iuraq́; diſce dare.
Multa ſibi de te promittit patria: plura
Ingenii ſpondent dona beata tui.

Inprimis venerare Deum, Venerareq́ Chriſtum,
De cuius ſanctum nomine nomen habes,
Et patris, extremis famam qui terminat oris,
AVGVSTI exemplo ſis pietatis amans.
Aſſere ſalvifici divina oracula verbi,
Quæq́ Deo coram nos beat una fidem.
Aſſere ſupremi Patris ſua nomina Nato,
Eſt à quo nobis certa parata ſalus.
Doctores defende pios, cohibeq́ Sophiſtas,
Inter qui populum dogmata falſa ſerunt.
Sic tibi, ſic Patri AVGVSTO vitæ augeat annos
Arbiter annorum qui regit aſtra Deus,
Saxonicumq́ genus tendat foveatq́ benignus,
Præbeat & terris ocia grata tuis.
Naſcatur pulchra generoſus origine Princeps,
Qui vultum ludat parvulus ante tuum.
Maioresq́ ſuos referat pietate fideq́,
Sitq́ decus patriæ præſidiumq́ ſuæ.
Hæc tibi Pierides Illuſtris Sponſe precantur,
Hæc eadem tellus patria vota facit.
Annuit ætherei ſupremus Rector Olympi,
Intentaq́ humiles excipit aure preces.

M. Jac. Fvrmanvs

IN NUPTIAS CHRISTIANI DUCIS SAXONIÆ, ET SOPHIÆ, JO. GEORGII ELECT. BRAND. FILIÆ.

QVi Sophiam primis animo complexus es annis
Gratia quam donat cœlitus ipſa Dei:
Mirum! nunc Sophiam cupidis amplecteris ulnis,
Atq; foves thalamo, Dux Generoſe tuo.
Quem Pallas, Chariteſq; ſuam profitentur alumnam:
Atq; ſuis donis muneribuſq; beant.
Par animo facies huic eſt, morumq; venuſtas:
Parq; pudicitiæ Gratia blanda ſuæ.
Felix ô Princeps rectæ rationis alumna
Cui Sophia hæc conſtans ad latus ipſa ſedet.
Nullum numen abeſt, vitæ Sapientia cuſtos
Si præſit; nam tunc Sorſq;, Deuſq; favet.
Si quâ ſede ſedet Sophia & Sapientia Diva;
Illa ſede ſedet Gratia magna Dei.
Præcipuè Chriſti ſi ſit ſapientia iuncta:
Quod Sponſi & Sponſæ nomen utrumq; notat.

Digitized by Google

Ergò bono tanto gaude, celſiſſime Princeps:
Et nomen fac ſic omen habere bonum.
Sic Pietas CHRISTI, SOPHIÆ *ſit Gratia iuncta:*
Ac thalamo fœtus procreet innumeros.

N. REUSN.

ANAGRAMMA

CHRISTIANUS, SOPHIA.

S. *VNIT DiVa CHARIS. CH. SAPIO OH*
Sophia aurea S. CHARVS
INSIT amor populis CH. HOS Charis ipſa
PIA.
S. *Laus VNIs vivet CHARTIS tibi debita ſemper:*
CH. OS PIA tu populi ſis, & in ore diu.

N. REUSN.

EIUSDEM.

ANAGRAMMA
IN NUPTIAS ET NOMINA
JOANNIS-GEORGII
ELECT. BRANDENB.
ET
ELISABETHÆ PRINCIP.
ANHALDINÆ.

ELISABETA.

E. *Me tibi iunxit Amor: tua ſim, tua dicar oportet:*
   I. *Sic decet: hac* ALETE, *Lux mea chara*, BASI.
E. *Tuq́; vige, mea Lux ô candida.* I. *nec tibi* LETHE
   BASIA *det; noſter ne moriatur amor.*

ECLOGA DE NUPTIIS

ILLVSTRISSIMI PRINcipis

ALBERTI

MARCHIONIS BRANDENBURGENSIS, PRIMI DUCIS BORUSSIÆ,

ET

ANNÆ MARIÆ, FILIÆ ERICI DUCIS BRUNSVICENSIS.

PALEMON FAUSTUS.

P. *Fauſte quid exultant læto Ducis atria plauſu?*
Hic ubi piſcoſus ſinuato gurgite ſeptem
Bregela turritæ pontes ſubterfluit urbis:
Quam rex (ut perhibent) Odoacer condidit olim,
Regalemq; ſuo montem de nomine dixit.
Nam pulſata ſonant tibicine tympana miſto,
Lætus & auditur concentus in arce tubarum.
F. *Gaudia percipiens hymeneia ducit Iolas:*
Hac nova lætitiæ eſt (ſi neſcis) cauſa Palemon.
Tertius extremo iam cardine vertitur annus,

In viduo cœlebs cum triſtia ſigna cubili
Suſtinuit: nunc Sponſus init nova fœdera lecti,

P. *Illic pauper ago ſylvis frondator in altis*
(Ut ſcis) nulla venit quo rerum fama novarum:
De quibus ergo refers mihi ſunt incognita tædæ
Gaudia: ſed memini, ſummoq; dolore recordor
Temporis illius, quo tota Boruſſia luxit
Principis heu triſti conſortem morte peremptam.
Namq; ego ſtridenti plauſtro tum vectus ad urbem,
Juniperi baccas & olentia ligna ferebam,
Flens ubi ducebat miſerabile funus Iolas.

F. *O ſi vidiſſes ſpectacula læta Palemon,*
Agmen & heroum, longamq; ex ordine pompam,
Ipſe triumphanti ſimilis qua Sponſus in arcem
Aſcendit, nuptamq; novam per mœnia duxit!

P. *Eia age fare precor: ſic candida Nais & Ægle,*
Hic quibus emiſti crepidas molleſq; cothurnos,
Dent optata tibi flagrantibus oſcula labris,
Ad patrios quando remeabis ab urbe penates.
Ac refer inprimis, quo ſanguine Sponſa parentum
Creta ſit: & numquid generoſa prædita forma.

F. *Edita præluſtri Guelphorum ſanguine ſponſa*
Eſt, ut pieridum cultor mihi rettulit Aegon,
Omnia qui novit clarorum ſtemmata Regum.

P. *Nobile Guelphorum genus eſt, notumq; per orbem;*
Quin & idem bellis aſſuetum & fortibus armis,
Neſcio quos olim Gibelinos contudit hoſtes,

Ut

Vt vulgata docent antiqui carmina Fauni,
Quæ Dryades noſtræq́ canunt per rura Napeæ.

F. *Ortus ab his claris heroibus acer Ericus*
Hanc genuit Sponſam, quo non laudatior alter
Dux, celebri nomen Brunonis ab urbe gerebat,
Dum triplices illi ducebant fila ſorores.
Ipſe ſuas habuit ſedes, ubi Fulda pererrat
Saxoniæ campos, & lucidus amne Viſurgis.
Dives agri, dives pecoris: tot pinguia terræ
Iugera, tot ſaltus, tot habebat paſcua, milvus
Tota luce vagus quod non circumvolet alis.
Nec non expertus belli Mavortia fecit
Prælia, liligero tutatus ab hoſte colonos:
Inſubriæ quorum ſcinduntur vomere campi.

P. *Et vetus & certe genus & illuſtre paternum:*
Sed de materna quid dicis origine Sponſæ?

F. *Si bene commemini, de ſanguine mater eodem*
Ducit Eliſa genus, ſatus eſt quo Sponſus Iolas.
Principis eſt etenim Ioachimi filia primi,
Qui fuit Imperii Septemvir, & inclita Brenni
Mœnia poſſedit: moderamine rexit & omnes
Marchiacas urbes, quas incoluiſſe feruntur
Tentones, ac primi Suevorum Semnones olim.

P. *Gratulor hoc nobis de Principe: gratulor ipſi*
Et ſponſo: tali nam coniuge dignus Iolas.
Verum perge precor narrare, ipſamq́ puellæ
Nunc effinge mihi verbis atq; exprime formam.

F. *Qualis mane novo cœli radiantibus aſtris*
Enitet auroræ præcedens lucifer ortum:
Talis viſa mihi ſponſa eſt, quam ſplendidus auro
Cultus & inſignem reddebat gratia formæ,
Veſtibus auratis carpenta aurata premebat
Nympharum ſtipata choro, quibus omnibus idem
Ex auro veſtitus erat, diveſq; paratus.
Sed tamen in toto formoſior altera cœtu
Non conſpecta fuit quam ſponſa: hæc anſere Leda
Candidior, roſeo ſuffecta colore nitebat,
Miſta papaveribus ceu candida lilia rubris.
Vtq; decus formæ, ſic (quod reor ominis inſtar:)
Ipſa etiam felix & amabile nomen adepta eſt:
Namq; refert aviam, & genitricem nomine Chriſti.

P. *Si viget egregio præſtans in corpore virtus,*
Ipſaq; contingunt (ut opinor) nomina fato:
Moribus haud dubie ſanctis, vitaq; pudica,
Quarum nomen habet divas imitabitur ambas:
Sic quo dicta fuit, dignam ſe nomine geſſit
Dorotheæ, tumulo quæ conditur altera Princeps:
Seq; Dei donum virtutibus eſſe probavit.
Mitis erat populo nec non affabilis omni,
Multaq; pauperibus donabat farra colonis.

F. *Hactenus hæc: paucis ipſam nunc accipe pompam.*
Vt nova ſponſa ſuis adducta cohortibus urbem
Ingreſſura fuit, cœtu comitatus equeſtri
Sponſus in occurſum tendebat, & obvius illi
Huc, ubi ſpumantis ſinus incipit æquoris, ibat
Intextam multo veſtem circumdatus auro.

Ful-

Fulvaq; cornipedem mandentem fræna regebat
Acer, & erecto iactantem pectore crura
Sæpius in gyrum facili flectebat habena.
Corporis armati cuſtodes undiq; ſeptum
Claudebant, humeris & acuto Lucida ferro
Geſa, Ducum quæ ſunt cuſtodibus arma ferebant.
Se fratri comitem fratrem Guilielmus eunti
Præbebat ſponſo, qui Rigæ mœnia præſul
Livonumq; tenet contermina iugera Moſcis:
Et vigil ætherei paſtoris ovilia cuſtos,
Extrema algentis cœli ſub cardine ſervat.
Viſendi ſtudio portis effuſa iuventus,
Complebat denſo ſpatioſos agmine campos:
Haud ſecus ac muſcæ ſub adulti tempora veris,
Obſita paſtorum fuligine limina complent.
Iamq; ſalutatâ cum virgine multa locutus,
Agmine converſo repetebat mœnia ſponſus:
Lætior intrabat turmis & ovantibus urbem.
Hic tibi quid referam phaleras, criſtasq; comantes,
Atq; argentatos enſes, aliosq; decores.
Ornatus: quibus ipſe meo nil tempore vidi
Splendidius: ſenior nec ſe vidiſſe Menalcas
Commeminit: quamvis centum iam vixerit annos.
Ante Ducem verò clangebant æra tubarum
Cum quibus & rauco caſtrenſia tympana pulſu
Mota dabant ſonitum: Circum carpentaq; ſponſæ
Inſignes ibant proceres, currumq; tenebant:
In quo cernere erat ſimulachra effecta Leonum,
Inclyta Guelphiacæ quæ ſunt inſignia gentis.

Quaq; vehebatur ductus per compita currus,
Lætitia celebriq; fremebant omnia plauſu.

P. *At quos Heroas, quos ſecum ſponſa propinquos,*
Ad nova longinquas hæc gaudia traxit in oras.

F. *Marchio qui Brenni cognomen ab urbe Joannes*
Ducit, in has terras ipſius avunculus unà
Venit: magnanimus Princeps, quem caſtra ſecutum
Decertaſſe ferunt pugna pro Daphnide nuper
Ad vada Danubii, cum Marte acerrimus Alcon,
Qui iuga Cattorum tenuit contermina Rheno,
Aſpera ſceptrifero cum Daphnide bella gerebat.
Sinceræ perhibent hunc relligionis amantem,
Intrepido verum profiteri pectore cultum,
Tradita ritè docent quem nos oracula CHRISTI.
Principis huius adeſt & laudatiſſima coniux,
Edita Gelphiacæ Catharina propagine gentis.
Venit & huc Princeps Gilielmus, origine Gelphus:
Qui validis audet contendere fortiter haſtis
In circo ludi cum committuntur equeſtres.
Præterea advenit formoſus & indole præſans,
Dux, qui torva gerit nigri bovis ora Joannes
ALBERTVS, fortes quo ſeſe principe Cymbri,
Vandaliæ & iactant ad Balthica littora gentes.
His coniunctus adeſt & vitricus ipſi puellæ,
Gallinæ de monte Comes, cui nobile Poppo
Nomen: quin etiam lectiſſima fœmina quædam
Fertur adeſſe, ſoror ſponſæ; illiusq; maritus
Popponis frater comitis, multiq; potentes,

Et

Digitized by Google

Et clari virtute viri: me nomina quorum
Prætereunt, & avita fugit natalis origo.

P. *Vix celebrata reor tanto connubia cœtu,*
Cum Thetis Æmoniæ Nereia nupſit alumno.

F. *Tandem ubi vecta rotis excelſam contigit arcem*
Sponſa, Ducis thalamum Nymphis comitantibus intrat.
Atria imaginibus, pictiſq; ornata tapetis,
Intus fulgentiq; nitent auro atq; argento:
Illic mille ſcyphos, gemmataq; pocula vidi
Pondere vaſta gravi, variis cœlataq; ſignis
Pulchrius, Arcadici quàm fagina pocula Mopſi.
Inde ubi noctis equos Veſper ducebat opacus,
Ecce ferunt pueri tædas de more iugales,
Sponſaq; ſubſequitur ſponſuſq; frequente caterva;
Congreſſiq; manus ſolemni fœdere iungunt,
Sancit & amborum connubia rite ſacerdos.
His actis abeo: nam duro ſtipite ſumpto
Sæva minabatur mihi verbera ianitor aulæ.
Protinus ipſe tamen ſub cæca nocte revertor,
Ornatumq; gerens buxo frondente galerum
Principis ingredior revolutis atria valvis:
Contemplorq; dapes, & regia fercula cœnæ.
Non ibi cæpa rubens, fumoſo coctaq; lardo
Rapa, vel inſtructas onerabat braſſica menſas:
Sed caro neſcio quæ Panchæi cinnami odorem
Latè diffundens: hic Lancibus ora ferarum,
Hic capita immani ſtabant & hiantia rictu.

P. *Formidanda refers magnorum fercula regum:*
Miror ad has ipſas epulas, rictusq; ferinos,
Ducere magnatis læto convivia vultu.

F. *In patinis non ſunt metuendi dentibus apri,*
Sicut in umbroſis fera dant ubi vulnera ſylvis.
Poſtera lux vero cum noctis abegerat umbras,
Ingreditur ſponſus ſacrati limina templi
Cum ſponſa, precibusq; piis ibi numen adorant:
Iamq; choros læti ducunt: & in arce iuventus
Martia commiſſis edit ſpectacula ludis:
Armatiq; viri concurrunt grandibus haſtis.

P. *Acre mihi gelidos niſi frigus adureret artus,*
Edita narrare etiam ſpectacula vellem.
Sed iam digredior: Votisq; ardentibus opto,
Coniugium noſtro Deus ut fortunet Iolæ.

GEORGII SABINI.

IN NUPTIIS

ILLVSTRISSIMI
Principis ac D.

D. IOANNIS FRIDERICI II. DVCIS SAXONIÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,

ET

SERENISSIMÆ SPONSÆ

D. AGNÆ, NATÆ PRINCIPIS HESSORUM.

EPITHALAMIVM.

IOAN. STIGELII.

INſonuere tubæ, perrupit ad æthera plauſus,
Argutæ per rura Lyræ, per teſqua ſonoræ
Dulce canunt cytharæ, quid voti concipis Ilme,
Læticia perfuſe nova? quid nunciat æther
Clarior, & molles horis ridentibus auræ?
Quò Charites, quò tendis Amor? quò ducitis agmen
Suaviter unanimi gradientia gaudia plauſu?

Hic

Hic tibi ſe magnis attollit menſibus annus,
Hac tibi lætâ die fauſto ſe protulit ortu,
Dux Friderice tua: ſic fati texitur ordo,
Ut tibi verus amor populi, plauſusq; piorum
Optatos celebrent thalami felicis honores.
Jam patre tranſlato promiſsi ad ſydera cæli,
Cui fuit invictâ nemo pietate ſecundus,
Ordine tres natos generoſo à ſanguine cretos
Imperii poſcebat onus: tu maxime natu
Librabas animo curas, artesq; regendi,
Juſtitiaq; decus, patriaq; levare laborem
Jam meditans, animi molem ſub corde coquebas.
Ergo ego fraterni, quoniam maturior annis,
Imperii ante alios dubiis aſtringor habenis,
Te poſtquam genitor pariter deflemus ademptum,
Quem nunc emerita perfunctum tempore vitæ
Cœleſtis pars orbis habet, campiq; piorum.
Quæ me fata manent? dum pax niſi nomen, & umbra (eſt?
Dum velut Euripus rerum momenta moventur?
Jam curæ excipient iuvenem, iam durior ætas
Moribus inſurgens conſulta ſenilia poſcet.
Quis ſcit an & belli quædam mihi ſemina reſtent,
Quid ferat exoriens Phœbus, quid veſper adumbret,
Quis calor ingeniis venturis pendeat annis?
Sed fato datur imperium, ſuperanda ferendo eſt
Audendoq; ſimul, cœlo quæcunq; venit ſors.
Qui ſapit, ille animum divino à numine rebus
Flagitat in dubiis, facit & quod poſtulat uſus,
Eventumq; Deo credit, qui cuncta gubernat.
Vis ea ſi non eſt animo, nec tanta facultas,

Quanta

Quanta aliis, ſtudio certè non impar agendis
Rebus ero, liceat modo te ducente per æquor
Curarum penetrare Deus, veſtigia cuius
Et pater, & patruus, nec non avus obvia monſtrant.
Forſan & hoc olim quidquid mihi texitur ævi
Longa dies curis, & vita cœlibe franget.
Quidquid erit, do ſponte manus, ſic patria poſcit.
Non tulit æterno quæ mens in numine vivit,
Quæ vigilat mundo, cunctarum provida rerum,
Sed vitæ ſociam, curarum dulce levamen
Omnibus è nymphis charo delegit alumno,
Quæ coniunx placidum cum coniuge duceret ævum.
Ignarus mox ardet amans, ſentitq; medullas
Igne coqui placido, quamvis non noſſet amorem.
Eſt via quæ mentes altæ virtutis ad arcem
Invitat meritis, & veræ laudis amore,
Arcta aditu primo, mox quando per aſpera ventum eſt
Oſtia, liberior, planoq; æquiſſima campo;
Hanc iuvenis toto dum carpens tramite Princeps
Plena legit laudis veſtigia lætus avitæ,
Excipit oblatum vultu Cyterhea benigno,
Nube latens, Nympham falſa mentita figura.
Atq; ita quid dubitas, dulci te credere flammæ,
Inquit, & optatis felix in amoribus uri.
Vita eſt cordis amor, mundi mellita voluptas,
Qui nexu hoc ingens ſociat lactante theatrum,
Quod cœlum & terras; quod motum & tempora dicũt,
Vernat odoratis ridens mihi floribus hortus,
Quem molles Zephyri genio cultore benigna
Exercent aura, cui Balſama rore madenti

Del-

Digitized by Google

Delicias adflant, cui dulces miſcet odores
Spiritus Aſſyriis late diffuſus ab herbis,
Quidquid Atlantiadum vigili obſervata Draconi
Rura tulere olim, quidquid Panchaius ales
Contulit Alcinoo, quidquid Panchaius ales
Congeſſit moriens ſexto reparabilis ævo,
Id mihi ſponte ferit genialis & educat hortus.
Nectare rivus abit, medii pars maxima campi
Diffluit Ambroſia. nec Bacchi deficit humor,
Uſuram qui lenit aquæ, fert pabula campis
Naſcens ſponte Ceres. Illic & gaudia cernas
Et teneros errare iocos, & iurgia amantum.
Mutuus arboribus favor almum aſpirat amorem,
Connubio videas palmas gaudere virentes,
Officioq; altas extendere brachia Cedros,
Et nutu alternas motare cacumina quercus.
Ipſa hilares naſci gaudent amplexibus herbæ.
Arrident violis læto Vaccinia vultu,
Teucrion affini gaudet comes eſſe Chamædri,
Et Thymus adplaudit Cunilæ, cum Stachyde gaudet
Nobile Marrubiũ, redamantq; Siſymbria Mentham,
Serpillum Libanothis amat, Satureia Timbram,
Suſpiratq; olidam fervens Narciſſus ad Orchin.
Prata quoq; exultant. per prata virentia luſus
Exorti, placidis traducunt tempora nugis,
Cumq; iocis nudi ſaliunt per gramina riſus.
Ipſæ etiam cantu ſuaves, ſub fronte latentes
Obſequio certant volucres, & carmine dulci
Invitant genium, ſobolemq; extendere gaudent.
Hic mea regna vigent, meus hic ſua caſtra Cupido

Mi-

Militiamq́ tenet, ducentis ſigna ſecuti
Mille leves alis pueri glomerantur amores,
Docti omnes dulci contingere pectora flamma,
Et nexu vincire animos. quacunq́ vagantur
Sparguntur vario iactatæ errore ſagittæ,
Et levibus volitant occulta incendia pennis.
Regna tenet mecum, multis optata voluptas
Et paucis conceſſa diu, ſuauiſſima diræ
Triſtitiæ domitrix, motos exoſa tumultus,
Pacis amans lentæ, duroq́ inimica labori.
Libera quæ poſitis agitans convivia menſis
Scit longos mulcere dies, arcere ſenectam,
Et velut Ambroſia paſtam traducere vitam.
Da mihi te Princeps, animo quid in ardua ſurgis
Munia, quid poſitam fallaci in culmine laudem
Venaris ſtudio, dubiosq́ expoſcis honores?
Eſt onus omnis honos, laus omnis mole laborat,
Fœlix qui poſitis inglorius ocia curis
Grata colit vita, finitq́ in amoribus ævum.
Me duce nocturnos nunquam tibi claſſica ſomnos
Turbabunt pavido, non moti inſania vulgi
Obſtrepet offenſo, non triſtem curia cernet
Ire retrò, & digito rugoſam ſcalpere frontem.
Ocia, cantus, amor, poſitis convivia menſis,
Feſtivíq́ ioci, vitaq́ opſonia luſus,
Semper erunt cordi, dulci tibi ſemper honori.
Ne dubita, ne necte moram, tibi vita parata eſt,
In caſtris diuturna meis, quin elige tandem
Quæ tecum amplexus, quæ mutua baſia iungat,
Me donante feres, ades huc ubi gaudia fervent,

Baſiaq́

Baſiaq; uda crepant, ubi mulcent ocia vitam;
Deniq; ubi cantus, luſusq; & gratia regnant.
Dixerat, ingenii fraudem Cytherea ſerena
Fronte tegens: iuvenis ſed nil cunctantius urget
Quod pridem tentarat iter, cura omnis in illo
Conſilio ſedet, ut pulchram virtutis in arcem
Victor eat, licet à tergo clamore vocantem
Audiat, & cantus repetentem fila prioris.
Sic, qui dura recens laudatum Martis ad uſum
Induit arma Tyro, quando ipſa in prælia ventum eſt,
Progreditur pugnans, non retrocedit, ab omni
Parte licet poſſit, nequit è ſtatione moveri
Cor fidens animi, durataq; indole virtus.
At pietas vigilans pro libertate piorum,
Nata Deo pietas, etiam tunc proxima ceptis
Dux Friderice tuis, iampridem occurrere peſt
Sponte parans, tali iactantem reppulit ore.
Egregiam verò laudem ſcelerata refertis
Tuq; tuusq; Puer, dum cœlo inviſa, nec ipſis
Grata ſatis terris, ſpumas mentita marinas
Degenerem maculas obſcœnas moribus orbem.
Nam quæ regna tibi, nam quæ tibi ſomnia fingis
Nuda & egens ſemper? nam quid tibi iuris in ullũ eſt,
Quæ ſervis vitiis? quæ te compeſcere neſcis.
Eſto tamen, regnes: ubi tu dominaris, honeſto
Nullus honor, nullo eſt recto reverentia iuri,
Irrita collapſis procul errat & exulat aris
Relligio, & doctæ mendicant turpiter artes.
Succedit dubitans vero de numine primùm
Sollicitusq; pavor, mox cœco in pectore frigus,

Neglectusq́; rudis, demum imperterritus error,
Contemptusq́; odio cœli graſſatus aperto.
Aret inops cultoris ager, torpentia ſqualent
Arva ſitu, ceſſante pigri neglecta labore
Ars perit agricolæ, divinam ſeminat iram.
Peſtis agri, calamis meruit quæ nomen aduſtis.
Tandem etiam planis æquantur mœnia campis,
Longinquisq́; iacent contrita cadavera terris.
Oppida, cum templis, quæ tu Regina beaſti.
Tantum fœda valet damni cumulare libido.
Non tantum rapidam per adeſa Ceraunia fulmen
Sævitiæ exercet, non tantum Syrtibus ira eſt,
Adriacisq́; vadis non tantum eſt turbinis alto
Oceano, quoties volitant in prælia venti,
Rebus in humanis, quantum veſana libido
Supplicii & damni mortalibus ingerit ægris.
Sed puto Diva Paphi geſtis, & mater amoris
Audire in populis? quæ te Regina frequentat
Pompa tui cœtus? qui ſunt tibi mater Alumni?
Nempe iocus ſenio ſtultè puraſcere gaudens,
Et puer ad facinus temerarius omne Cupido.
Hi duo conſulti domina, dum ſuaviter illum
Languida ſectantur fatuo deliria cœtu,
Hunc ſequitur levibus præceps audacia pennis.
Hoc decus Imperii eſt. Spectemus cætera regni
Ornamenta tui, iuſtarum oblivio legum
Prima chorum ducit, cui pro ratione libido
Ad latus adfixa eſt, animoſa furore marito.
It comes his agilem vibrans petulantia frontem,
Obſcœnis comitata iocis, quæq́; omnia luſtrat

Flagitiis gaudens levitas, & plurima rixis
Librata innumeris ventoſæ opprobria linguæ,
Et levis Icariis volitans iactantia pennis,
Alta petens ſemper, quo rurſus in ima reſidat.
Tecum caſtra tenent periuria, furta, rapinæ,
Et crucis aſſiduus metus, & non tuta voluptas,
Et benè vix credens tectis formido latebris
Semper & aſtantis metuens infamia pœnæ.
Et tamen ô audes ſacrum tibi ſumere ceſton,
Neſcio quam, ſocii que mutua fœdera lecti
Vinciat, & mentes aſtringat amore duorum.
Non tibi divinâ, thalamos ſociare iugales,
Sed mihi ſorte datum eſt. Mecum divina poteſtas
Maieſtasq́ue & honor, mecum mens conſcia recti,
Et ſyncera fides, & honeſtæ commoda vitæ,
Nataq́ue conſenſu non falſi gloria plauſus,
Me duce pollet amor, quem vel Deus ipſe requirit,
Iuſta vel humanæ exſpectant conſortia vitæ.
Sed mea te Princeps oratio reſpicit, aures
Pande mihi, facilem mihi te velut ante dediſti,
Dux generis ſpes ampla tui, & ſic certus habeto.
Ille amat infœlix, cui nunquam diſcere cordi eſt
Quid ſit amor, tu diſce tuas cognoſcere flammas.
Omnis amor certa eſt animi bene flamma volentis
Quam ſenſu ſimulacra cient, mentiq́ue probatam
Accendit peragens lætato in corde voluntas.
Intus melliflui mens ſaucia vulneris ictu,
Ex adito cordis conceptum ſpirat amorem
In rem talem aliquã, quam pulchrã ante omnia ducit,
Quamq́ue bonam reputat: tum cor quia ſuavibus halat

Spi-

Spiritibus, ſe aperit, deſiderioq́ cupiti
Carpitur, & pronis in amatum fertur habenis.
Quod ſi notitiam quæ pabula præbet amoris,
Non impura hauſit pura de mente voluntas,
Spes quoq́ ſyncera eſt, & non damnanda voluptas.
Inde adeo dulces ſurgunt in pectore curæ,
Et placidi motus, communisq́ una ſalutis
Ambitio, & ſocium ſervandi providus ardor.
Hanc Deus humano accedens in pectore flammam
Conditor, inſtituit gemini connubia ſexus,
Fœderaq́ alterni viueſcere iuſſit amoris,
Cum duo corporibus primorum corda parentum
Mentibus eſſe unum voluit, ſponſalia firmans
Ipſe novis ſponſis: agnovit Adamida coniunx
Primus Adam, ſtetit ante oculos cum pulchra videntis,
De latere ignari comes ædificata mariti.
Quis tibi nunc proprio nuptam de corpore natam
Dixit Adame pater? non hoc rationis acumen
Humanæ arripuit, flatu meliore fuiſti
Admonitus, cauſam meditata ut mente videres
Coniugii finemq́ tui. Qui ſuſtinet omne
Huius opus mundi, divina ſpiritus aura,
Te docuit tantum celebrantem agnoſcere donum,
Vt ſimul authorem poſſes celebrare potentem.
Idem te docuit caſtâ cum coniuge vitam
Tranſigere innocuam, caſtè quoq́ amore potiri,
Unde recens olim latè ſoboleſceret orbis?
Caſta Deus mens eſt. celebrari pectore caſto
Expetit, hinc caſti ſocialia fœdera lecti
Adprobat, & turpes hoſtiliter odit amores

Vulgivagæ Veneris, nec vita cœlibe gaudet
Haud vacua ſceleris, pollutaq́; pectora damnat.
Ergo age cum ſancti maior ſit cura pudoris
Coniugibus, propiusq́; Deum cognoſcere curent,
Qui genus hoc vitæ non falſo ardore ſequuntur:
Cumq́; pii, lectiq́; Deo pars maxima cœtus
Coniugiis conſtet, cum Chriſti deniq́; coniunx
Ipſa ſit electo felix Eccleſia cœtu:
Tu quoq́; Dux caſtis Friderice parentibus orte
Dilectisq́; Deo, caſtos amplectere amores
Legitimi thalami, quod nunc facis, elige vitæ
Conſortem ſociamq́; tuæ, quam vivere tecum
Exoptes, matrem cupias quam rite vocari,
Ipſe aderit votis, aderit Deus author amori,
Quamq́; petes, iunget, propriamq́; dicabit amanti.
Hæc ita dum Pietas generoſo dictat alumno,
Illi intus propius cœlo mens ardua ſurgens
Non ignara boni, dictoq́; parata monentis,
Auſpicio ſeſe divini numinis offert,
Ventilat & flammam, ſed adhuc ſub corde latentem
Quam prius arcano conceperat obvia motu.
Iam quærit quod amet, iam fomite gaudet amoris,
Coniugis optatæ iam fingit imagine, quicquid
Coniugium decet, & votis pia ſomnia firmat.
Quodq́; cupit, nec habet, cœleſti in numine ponit,
Cordis & ærumnas animi medicamine curat.
Sic ubi Salanis ſecurè in montibus errans
Per nemora, aerii qua vel iuga cana Sereni
Celſa vel oppoſitæ luſtris patet area Blattæ,
Traiicitur volucri venantis arundine cervus,

Digitized by Google

Dat gemitum primo, mox herbida teſqua pererrans,
Purpureamq́; comam Cretei floris odorans,
Depaſcit folia, & ſucco purgante ſagittam
Eiicit, & noto vulnus medicamine ſanat.
Ergo animo fixum eſt, tædas firmare iugales,
Et caſtam ſocia cum coniuge ducere vitam.
Interea ex ipſo facilem ſe tempore monſtrans
Conſilio vires felix occaſio præbet.
Tu quoties placidum ſuſpiria mittis ad Ilmum
Cum votis coniuncta piis? Heroidas ipſas
Ingenio exæquans, & caſtis moribus Agna?
Agna animi dotata bonis, Agna optima Princeps.
Quid moror? humanæ non eſt opis, abdita res eſt
Coniugii ratio. Fato connubia fiunt.
O ſacer ô animi dulcis calor, edite cœlo
Et fati concepte ſinu, qui pectora nexu
Iungis amorifluo, conſenſus dîe duorum,
Quos iuvat unanimi vitam traducere curſu,
Et parere Deo, & iuſſo ſupereſſe labori.
Non mihi Pierias ſi Smyrna & Mantua lauros
Accumulet, memorem, quantum mortalibus addas
Et decus & fructum, dum vita hæc vivitur ægris.
Hoc tamen auditum mihi fas ſit prodere carmen,
Nympha quod Aoniæ conſors Salana choreæ
Irriguas nuper Salæ memorauit ad undas,
Dum tibi Sponſe ſacro Princeps clariſſime verſu
Gratata eſt ſociumq́; thorum tædasq́; iugales.
Tempus erat viridi quo lætus gramine Maius
Gaudet ad arctoas propius concedere portas.
Iam reducem hyberno cœli de tramite Solem,

Cum primum Eoas irrorans Pleiadas æther
In gremium terræ tonitru deſcendit & imbre,
Vnde novum aſſumunt gemmantia prata vigorem,
Plenior & pulchris adoleſcit floribus ætas,
Et fruges maturat ager. Jam fama volantem
Sparſerat in populos rumorem, atq; affore tempus
Nuncia vulgarat, qua verbi ſacra ligantis
Coniugium unirent. Sponſis indicit honorem
Patria feſtivis certant ad plauſibus urbes,
Vota facit vulgus, ſe lætus honoribus Ilmus
Præparat, exultat feſtos viſura triumphos
Clara domus veterum Vinaria nomine Regum
Saxonici quondam ſedes illuſtris Othonis,
Qui lapſum Imperium iuſto inſtauravit honori,
Et pacem Europæ turbatis reddidit oris.
Ornata aulæis fulgentibus atria lucent,
Floribus undat humus, prætexunt tecta coronæ,
Fuſaq; rorantes humectant Balſama terras,
Et redolet ſylvis domus omnis ſparſa Sabæis,
Omnia lætitiæ ſunt dedita, & omnia Sponſo.
Jamq; iter ingrediens Heroum lecta iuventus
Approperare gradum, tu pacis amator & ingens
Aonidum cultor, quas ſumptu divite nutris
Enſifer Imperii fatis Auguſte ſecundis.
Tuq; Philippe vagi bellis exercite Martis,
Heſsiaci ductor Princepsq; animoſe Leonis,
Excellens animis vobiſcum adducitis agmen
Et florem Heroum dextraq; animisq; potentum.
Eſt locus illi mem Salæ flaventis ad undam
Qua videt Eoo venientem à cardine Solem.

Jena ferax uvæ, fœcundis florida pratis.
Herbida graminea procul arcuat area vallem
Arboreis denſam ramis & mitibus umbris.
Intus aqua dulcis fons puram argenteus undam
Perpetuo enumerat rithmo, fugit illa ſonoro
Murmure, & irriguum per prata humentia rivum
Volvit agens, ripam canis veſtita ſalictis.
Vix alibi meditata Deum celebrare potentem
Suavius arguto vibrat modulamine carmen
Luſcinia, ingenio ante alias mirabilis ales.
Illic cum ſociis recolens commertia Muſis
Salana, Aonii cuſtos non ultima fontis,
Dum ſedet, & rutæ foliis Amaranthon, & ipſam
Ambroſiam intexit, Ducibus factura coronas
Saxonis ora tuis, plauſus rumore ſecundo
Mota, ſono tali reſonantem provocat Echo.
Bella canant alii, quos nondum ſanguinis hauſti
Dira ſitis ſatiat, nobis communia pacis
Munera carmen erunt, tibi plenis gratia votis
Mundi opifex pacisq; dator, tibi gloria plaudat.
Parvula Muſarum tanto tu caſtra tumultu
Non ſinis immergi, patrio ſed numine ſervas,
Noticiamq; tui lucentem, artesq; togatas.
Ergo duci, rectè per te qui intelligit uſum
Aonii fontis, qui Muſis ocia præbet,
Tranquillasq; umbras, pulchrum gratabor honorem.
Janfrede, hoc Itali quoniam te nomine dicunt
Idem animis faßi quod patria, vera paternæ,
Dum tibi virtutis tribuunt bona; carmen ad aures
Hoc admitte tuas, quo prima ab origine fontem

Coniugii, & metas homines ſocianti amoris
Exponam, thalamiſq; tuis præconia texam,
Mens ea quæ veri fons eſt, & lucis origo,
Omnia quæ verbo motum ſpirante creavit,
Sic hominem ex terra fecit, mirabile dictu,
Eſſet ut haud fallax divini authoris imago.
Ergo illi, vigili capitis fundavit in arce
Acrium cerebrum, quod mens habitarêt, in illô
Exercens radios, & notæ lucis acumen.
In medio poſuit vitalem pectore fontem,
Mobile cor, vires animo quod præſtat & aufert.
Idem cordi alas & menti attexit habenas,
Cordis ut effrenes poſſet conſtringere motus.
Verum unde exoriens rivum deducat amœnum
Dulcis amor, precium eſt operæ cognoſcere amanti.
Cocta levi flamma puri de ſanguinis unda
Purior ex adyto cordis proficiſcitur aura
In cerebri latebras, cœleſtem ubi nacta vigorem
Divinos motus nativis ignibus haurit.
Inde accenſa nitens radii mens luce ſereni
Per ſenſus, veluti nitidas ſpeculata feneſtras,
Naturæ in gremio res altè examinat omnes,
Notitiiſq; fruens; numerat, diſtinguit, & aptat
Obvia iudicio, vitiis diſcernit honeſtum.
Invitat cupidam rerum pulcherrimus ordo,
Et velut huic coniunx formoſa adiuncta venuſtas.
Inde potens amor eſt, & vis & docta facultas,
Provida qua pulchrum mens dum cognoſcit honeſtum,
Cor ſimul aſpirans, quod herili lege voluntas
Temperat, e thalamis affectus dulcibus addit

Noti-

Notitiæ, inq; bonum quod vult, derivat amorem.
Hos homini motus Deus, hæc incendia cordis
Grata dedit, leges, & non reſolubile vinclum
Coniugii nexura piis, dum fœmina caſto
Iuncta mari, dulci ſe conſuetudine cordis
Iungit, & impoſitis commiſcet gaudia curis.
Hei miſerum genus, & proprio fœdata furore
Corda hominũ, quam pulchra modis coniunctio miris
Hæc fuerat. ſi non noſtris authoribus error
Obrepſiſſet iners, ſi mens non læva fuiſſet
Aſtuti violata dolis & fraude colubri.
Vt tamen haud omnes donato in lumine vires
Mens ægra amiſit, radium ſed lucis hebentem
Adflata retinet, quo magnum agnoſcit & orat
Autorem vitæ largitoremq; ſolutis:
Sic metas etiam caſti diſcernit amoris,
Inviſumq; Deo ſtatuit, quodcunq; pudori
Non vacat arbitrium graſſante libidine captum:
Vt Deus eſt igitur mens caſta & cauſa pudoris:
Sic probat auſpicio cœptum virtutis amorem,
Quem non umbra animi ludentis imagine veri,
Sed mens certa boni ſyncero in corde ſacrauit,
Hinc ea vis animi ſub corde accenſa calentis
Agnoſcens pulchrum. quæ certo in fine pudorem
Adpetit amplexus, atq; optatos Hymenæos,
Legitimi thalami atq; unius coniugis uſus,
Res eſt grata Deo: quam præſens ſoſpitat idem
Augmentatq; Deus? Namq; execratur & odit
Corda vaga affectu, fædaq; libidinis æſtum.
Et quoniam votis aures non non præſtat eorum,

Qui maculant caſtos polluto pectore mores,
Coniugia obſervat, mediusq́ incedit in illis.
Coniugiis quoniam pietas innoxia cordi eſt,
Vt cupiant colere & precibus votisq́ vereri,
Implorare Deum non poſſunt pectora, quorum
Intravit latebras, recti ſecura libido.
Namq́ vagi & varii laſcivi in pectore motus
Offundunt animo tenebras, & lumina delent
Ingenii, & turbant preſſæ rationis acumen.
Inde gravi fruſtra certans mens nubila fumo
Fluctuat, & falſo diſcernere neſcia verum
Iudicium amittit, quod nudum oſtendat honeſtum
Noticiamq́ Dei. Studii nam ſicut equeſtris
Seſſorem ignarum, nequidquam lora tenentem
Raptat equus ſternax ruptis effuſus habenis
Longè alio exportans, ratio quam nota viarum
Poſtulat, ille animi dubius vix tergore pendet:
Sic animum rapiens fatuo cum corde volentem
Sæpe etiam invitum, vel ſtulto in amore coactum
Ventilat, & verſat rapiens inſana libido,
Inq́ ipſas merſum vitiorum illidit arenas.
Hinc Deus inſtituit ſocii connubia lecti,
Vt premeret tantum prudens Medicina furorem,
Mensq́ vacans precibus verò celebraret amore
Autorem vitæ aſſiduum, fontemq́ bonorum.
Namq́ ſua veluti meditans in imagine natum
Exſpirat dulcem patrio de pectore motum,
Quo ſobolem complexus amat: Sic vincula caſti
Coniugibus vult nexa ſimul decurrere amoris
Quorum corda ſibi vivaci copulat igne.

Digitized by Google

Vnum ſuaviolum, quod caſtus figit honeſtæ
Conſorti coniunx, cenſorem pluris habetur
Ante Deum, templis quam cultus mille figuræ
Propoſitæ, humanæ quas fingit opinio mentis.
Hoc animo reputans, hoc alto pectore volvens
Maganimus Princeps, cui tædas ſacra iugales
Fert hodierna dies, non luxu eſt paſſus inerti
Turpiter ingenuas animi torpeſcere flammas,
Heroumq́ decus, caſtumq́ in pectore florem;
Sed ſibi conſortem vitæ, ſociamq́ laborum
Delegit, ſimili quam tangi novit amore,
Quam genus & forma & vitæ commendat honeſtas.
Dicite Pierides, lætum mihi pingite ſponſum,
Et facite ut vivat, veſtro illi gloria verſu:
Fulget ut accendens vibrata crepuſcula veſper
Os ubi longè oriens terris oſtendit honeſtum
Igneus, extremos quem ſudans vinitor antes
Reſpiciens, tremula miratur luce fluentem,
Laudatumq́ canit, ſeroq́ in tecta recedit,
Ille agris decori eſt, & rorem depluit herbis:
Sic Iuvenis princeps optato tempore ſponſus
In populo ingrediens, animis gratante renidet,
Et plauſu excipitur, votisq́ effertur amicis.
Ioannes patriæ Fridericus gloria terræ.
Ex ipſa generis decus amplum fronte relucet,
Et facies animum loquitur gravitatis amantem.
Ad latus incedit frater. Lædæa putares.
Sydera coniunctis turmas inducere caſtris.
It comes ambobus placido clementia vultu
Iuſtitiæ exemplum & ſpecimen virtutis avitæ.

Digitized by Google

Talis erat primæ generoſus flore Iuventæ
Scipio, cum bellis terras quaſſaret Iberas,
Prædaq́ꝫ virgineam teſtata in Principe mentem,
Victorem cœlo æquaret Luceia virgo.
At te quo memorem verſu, qui nomen eodem
Auſpicio donoq́ꝫ tenes, quem ſeparat ætas
Fratribus inferior. Mens laude oſtendit eadem
Inſignem, & populo charum cœloq́ꝫ futurum.
Tu certum ingenuo Fridericum in pectore geſtas
Ioannes Friderice puer, tibi proroget annos
Arbiter annorum, quem cœli templa tremiſcunt.
Tu Fridericus eris, veras cui patria laudes
Condet, & æternos meritis indicet honores.
Sed iuvet & ſponſæ verum celebrare decorem.
Eximiam generis ſplendore, & dotibus amplis
Præſtantem ingenii, & meritam virtute favorem.
Vt virtute potens, formaq́ꝫ notabilis iris,
Gramineis ſplendens foliis, auroq́ꝫ comantem
Oſtentans florem, pulchris decus addicit herbis,
Inter odoratæ ſylvas pulcherrima Nardi:
Sic animo formaq́ꝫ ſimul præſtantibus Agna
Matronis decori eſt, quæ ſic muliebris honorem
Exornat cœtus, croceas ut lilia Calthas,
Narciſſiq́ꝫ roſas fulgens commendat Amomum,
Illi animi pietas vitam virtutibus ornat,
Vnde amat & Muſas, & honeſtas diligit artes,
Ingeniisq́ꝫ favet, memori digniſſima verſu.
Felices animi, felix cum coniuge coniunx
Ex æquo quos firmus amor coniungit amantes,
Parq́ꝫ boni ſtudium, par pulchri affectus honeſti:

Digitized by Google

Iampridem exultans veſtris lætiſsima tædis
Gaudia communi declarat patria plauſu,
Ipſa novum vobis pietas gratatur honorem
Feſtiva veneranda togâ, rutâq́ virenti
Auricomas innexa comas, cui iuncta regendæ
Provida Dux vitæ, & recti ſibi conſcia virtus
Lætitiam ſtudio exornat, votisq́ ſerenat.
His comites populi magno rumore feruntur
Nata pio aſſenſu tribuentis præmia laudis,
Gloria: & aſſurgens niveis ad ſydera pennis,
Et ducens populum placido reverentia vultu.
Speſq́ animis blandita piis, & fronte ſerena
Iuſtitiam oſtentans populis, pacemq́ togatam.
Ipſa ſinum pandens, læti ditiſsima fundi
Coniugio iunctos & pulchro fœdere nexos
Excipit, & donis terræ felicis honorat
Regia munifico prægnans Thuringia Campo.
Frugibus exultant ſegetes, & floribus herbæ,
Paſcua fœturam cumulant & flumina piſces.
Tu gelidi ad Salæ ripam pulcherrima vallis
Pocula deſpectans Acheloia, dulcia menſis
Vina libas, ipſo quondam certantia Rheni.
Paſcua quid memorem, quid plenas dulcibus hortos
Deliciis, volucrumq́ altis certamina luſtris.
Quid ſaltus etiam, ſpelæaq́ denſa ferarum,
Qua iuga magnanimos arcent Vicina Nariſcos,
Aut Francos nemora excludunt ſylvæ alta Bacenæ.
Certe ego non taceam Cereris te nobile labrum
Gotha ferax frugum, qua fixo vomere tellus
Saucia bis Solem, bis ſydera ſentit arando.

Nec

Nec tamen interea ceſſat non apta colonis,
Sed modo fœlicem tingendis veſtibus herbam
Procreat, & varias orbis demittit in oras.
Nunc Zeæ ſpicam, vel pinguis gramen avenæ
Educat, atq; annum diverſis frugibus ornat.
Dant alii tractus ferrum, dant nobile vellus,
Vitalemq; ſalem dapibus, croceiq; comantem
Graminis, & curis relevantem pectora florem.
His fœlix ô terra bonis; fœlicior autem
Vnanimi fratrum conſenſu, pectora quorum
Jungit amor veri, & ſtudium pietatis & æqui.
Sis fœlix igitur noſtris ſponſe inclyte votis
Cui verus debetur amor, quod pectore tanto
Aſſeris ingenuum veræ pietatis honorem,
Hoſpitiumq; ultrò Muſis atq; ocia præbes.
Tecum Neſtoreos coniunx feliciter annos
Exigat, & dulci faciat te prole parentem.
Vivite concordes, & lætum civibus ævum
Texite, quos iunxit fœlici Gratia fato.
Hæc Salana canens in apertas protulit auras,
Omnia reddebat ſonitu revolubilis Echo,
Excepi calamo, ſyncero motus amore,
Et numeris clauſi repetens, Muſisq; dicavi.
O mihi contingant non duræ tempora vitæ,
Ingenio quidquid, quidquid ſtudioq;, fideq;
Præſtitero, fore id omne tuum clariſſime Princeps
Jampridem cupo, modò tu dextro annue vultu.

IN SECVNDAS NV-PTIAS EJUSDEM.

QVos iterum plauſus, verſu quæ vota canoro
Concipitis Muſæ, cui vortice Sala profundo
Lætior Annias eructat fluctibus undas,
Invitatq́; pios iucundo murmure Vates?
Mitior aſpirat terris & ſolibus auras
Temperat optatis, placidi clementia cœli,
Exolvensq́; animos ſtudiis & pectora curis
Leticiam ingeminat. Gaudent, & largius agros
Cantibus affantur volucres è gramine flores
Arrident oculis, ornat formoſior annum
Gratia florentes Genio ludente per hortos.
Cui natura paras tantos operoſa favores,
Adplauſusq́; novos? Sed cauſam agnoſco, ſed ipſum
Coniicio tempus, tibi quo, Dux inclyte, Princeps
Joannes Friderice thorum ſancire iugalem
Sancta parat Pietas. Thalamo tibi nupta pudico
Conſocianda venit, quam pax comitatur, & omne
Juſtitiæ decus, & ſancti reverentia Juris.
Ergo tibi flavis dives Thuringia campis
Frugiferas oſtentat opes, tibi fertilis Vnſter,
Thiraq́; cum pingui iactat ſua dona Vierra.
Nec procul, Hectoreus tecum ſua gaudia Francus
Enumerat: priſcæ ſedes tibi regia laudis
Oenagora inſignes parat ad connubia tædas,
Delectumq́; locum, pulchris qui gaudia ludis.

Ornet, & armati præbens ſpectacula Martis,
Coniugii firmum populis teſtetur honorem.
Sentit & ipſe caput ſinuoſo flumine tollens
Sala pater, Sylvæ fœlix Heliconidos umbra,
Et Charites doctis gaudens coniungere Muſis,
Altius ingreditur, tantoq; exultat honore.
Atq; auro rutilas, & Iaſpide voluit arenas:
Cui ſoror aſtipulans, viridanti in litore doctos
Exercet Salana choros, cantare peritos
Æternumq; Deum, clarorum & facta virorum.
Sed quæ cauſſa thoros doceat ſancire iugales,
Coniugibus quæ meta piis, quis finis amori,
Candida dic Erato. Namq; hoc tibi dicere fas eſt.
Hoc cœlum, hæc tellus, liquidiq; ſub æthere campi
Aëris, & gremium Naturæ hoc omne parentis,
Sydera quæ vario devolvunt tempora motu,
Semina quæ variis inſtaurant frugibus annum,
Omnia plena Dei veſtigia, plena perennis
Maieſtatis habent; præſtat tamen omnibus illis
Solus homo, totum qui parvo in corpore mundum
Exhibet; hunc quoniam meditato ante omnia fecit
Conſilio triplici ſimplex in numine numen,
Divinoq; piæ donavit lumine mentis,
Munereq; eloquii, vigilans quibus omnia caſtè
Diſcere, & autorem celebrando extollere poſſet,
Donec in his latebris terrarum viveret hoſpes.
Nam Deus, ut mens eſt caſtiſſima, ſic quoq; caſtis
Pectoribus gaudet: quibus alto à vertice cœli
Se totum patefecit amans, verboq; ſonante
Propoſuit natis animi mandata paterni.

Ergo olim cupiens regnum cœleſte repleri
Cœtibus humanis, hos ut ſoboloſcere poſſent
Seminibus tactis, & ſtirpem è ſtirpe videret
Poſteritas: gemino placuit coniungere ſexu,
Et ſimilem naſci ſpeciem pietate parentum.
Namq; hominum ſoboles quod longum durat in ævum,
Quo ſtat avita domus, & avi naſcuntur avorum
Non opis humanæ eſt, ſed numinis, omnia verbo
Quod ſemel abſoluit, iuſſitq; immota tenorem
Naturæ ſervare ſuæ, formaſq; perennes
Ducere. Nonne vides cunctis ut ſemina rebus
Dent genitalem auram naſcendi afflante vigorem,
Temperiemq; Deo? Sic qui pater omnia fecit
Ipſe hominum ſator eſt, gaudet pater ipſe vocari.
Seu ſinat hoc gignat naſcentes ordine formas,
Quem ſemel inſtituit, ſeu vivi robore verbi
Corda mori doceat, cœliq; ad regna renaſci.
Me miſerum, primos cur culpa nefanda parentes
Tranſverſos rapuit: cur te tuus abſtulit error
Eva nocens, quantum exigui tinctura ſaporis
Perdidit, & ſenſus ruditas ratione carentis?
Tu niſi peccaſſes, mortis niſi cauſſa fuiſſes,
Quam foret hæc dulcis divini copula nexus,
Quæ ligat unanimes, ut ſint duo ſuaviter unus?
Fœmina, maſq; Dei coniuncti voce potentis.
Hic frueretur enim naturæ liber in omnes
Imperio placido; rerum diſtincta videret
Principia, & metas in aperta cerneret ipſum
Luce Deum coram dignatum admittere dulci
Colloquio, & patrii ſplendorem exponere regni.

Non illum premerent curæ, meritiq́ labores.
Ver ageret lætæ mentis, Charitesq́ canoris
Aſſocians Muſis, coleret ſine crimine vitam,
Et ſine labe Deum: læto comes addita coniunx
Imperium auxilio, ſolamine dulce iuvaret
Coniugium, atq; operas ſi quas ſobolesq́ domusq́
Poſceret unanimi iucunda levaret amore;
Nam decus ad vitæ nati immortalis uterq́,
Et celebrare Deum, & vitæ inſervire caducæ
Aſſueti, inſigni regerent pietate minores.
Hinc ſtatus imperiis florens, hinc aureus ordo
Adderet humanis fœlicia commoda rebus:
Formaret pietas ſeros ſincera Nepotes,
Poſteritasq́ piis ſanciret moribus ævum:
Legibus unanimes Pax candida iungeret urbes,
Et fora ius æquum regeret commertia candor:
Nec ſineret ſceleri prætextum accedere virtus
Iudicio mentis firmata; nec impia lites
Spargeret ambitio, dominandi & ſæva libido.
At nunc dum trahimus contagia cruda parentum,
Tot vicia à tetris in nos collecta redundant
Principiis, tot degeneres committimus ipſi:
Vt meritò ſit vita nihil, niſi carceris horror,
In quo nos proprii vexant tormenta furoris.
Et tamen huic etiam qui providus omnia curat,
Conſuluit Deus ipſe malo: quo autore pudicis
Coniugibus medicina data eſt, oneris q́ levamen
Non violandus amor; qui mutua pectora iungit.
Hic facit, ut quamvis in pœnam ſudor, & horror
Quicquid ad hanc vitam communis poſtulat uſus

Vix

Vix ægre eliciant: tamen alta mente quietus
Res agat, & placidè vivat cum coniuge coniunx:
Nil dubitans gratum eſſe Deo, quem ſanxerit ipſe,
Firmaritq; ſtatum, quo ſi hæc humana careret
Ingluvies, cæco confunderet omne furore
Vivendi arbitrium, ſine lege, ſine ordine vitam
Morte gravans, imumq; ruens properanter ad Orcum.
Fœlicem placidis cui prædita moribus Vxor,
Nec rudis ingenio, nec honeſtæ neſcia formæ
Contigit, ille Deo docilem præſente per omnes
Et ſociam caſus, curarum & dulce levamen
Indefeſſus habet: dumq; oſcula iungit amanti,
Amplexusq; fovet dulces, ſimul omnia victor
Sub pede non meritæ calcat ludibria culpæ.
Sic adiuncta viret fœcundæ vitis oliva
Vtraq; cum iuſſo naſcentes tempore fruges
In medium profert, & vitæ promit ad uſum:
Inde alius dulces latices, ſolantia vitam
Vina legit, guttas alius ſanantis olivi.
Adiiciunt lætas reſoluto ex æthere vires,
Hinc calor, inde humor naſcentum ſemina rerum.
Stat gentile decus, ſimilisq; revertitur ætas.
Hæc animo reputans, atq; alto pectore Princeps,
Et reputata probans, nec vita cœlibe gaudens,
Nec ſpem defraudans patriæ, connubia laudat,
Et laudata petit. Quem non trahit inclyta virtus,
Sæpè vel abſenti præſens & amabilis abſens?
Rhene places, quia Rhene tenes quod deligat unus,
Atq; æternus amor: Friderico nata potente
Illuſtris virgo, illuſtri de ſtemmatè Princeps.

Occupat hunc animum, quem pridem ſola tenebat
Cura regens patriam, divini ſedula cultus,
Mane erat, & veniens roſeis aurora quadrigis
Reddebat cum ſole diem; ſedet ille paratus
In patriæ curas. ſubiectis iura daturus
Civibus, & placidam Muſis operantibus umbram.
Interpellat amor. Caſtæ quid nomen Eliſſæ.
Nonne vel omen habet, ſylvæ quo gaudeat omnis
Accola Bacenidos, Getici quo gloria Thiræ,
Saxonidosq; domus; aliis ſe præferat oris?
Imbibit ille novum contacta per oſſa calorem,
Inſolitasq; haurit flammas, iuvat ora tueri
Et faciem quam fingit amor; mens omnis in illo
Vulnere, quod virtus generoſo in pectore fixit.
Excipit adfectum Genius divinus amoris,
Ex oculisq; viam cupidas emenſus in aures
Virginis illuſtris, fatali prodigus igne
Involat, atq; uno duo pectora traiicit ictu.
Vt fuit illapſus volucer: ſedet illa decoro
E ſolio fulgens, & circum Rhenides aſtant
Præſtantes facie Nymphæ, famaq; pudoris:
Vtq; tenet telam, ſtudiis operata Minervæ,
Ocia defugiens, gratam ſub pectore flammam
Sentit amans, & vulnus alit: mox ſtamine lapſo
E manibus, dat faſſa fidem, gaudetq; futuris
Auſpiciis memori præſens abſentis imago
Exhibet Heroëm, toto ſuſpirat in unum
Saxoniæ ſermone Ducem; multumq; recurſat
Nota viri virtus, & avitæ gloria gentis.
Quin etiam geſtus, moresq;, habitusq; loquentis.

Commemorare iuvat, rectumq́; ad ſydera vultum,
Hectoreumq́; animum, & virtutis ſigna paternæ.
Dum loquitur, regale ſubit conclave decora
Virtutum gravitate chorus, tibi qualis agenti
Excubias patriæ Princeps clariſſime præſto eſt
Quotidiè. Primam ſe ſimplice candida vultu
Oſtendit Pietas, cui aurati cordis imago
Exornat nexam de vivo adamante coronam;
Aurea crux ſummos quam fibula torta capillos
Colligit, inſigni gemmarum ex orbe relucet:
Ad latus huic comites iam fractis integra rebus,
Et magis ad dubios fidens Conſtantia caſus;
Et ſoror huic vultu Gravitas immota ſereno.
Qua Dux ingreditur, vernant veſtigia veris
Plena bonis, mites Horis afflantibus auræ
Balſameos ſpirant fumos, meſſesq́; roſarum:
Obſervant aliæ Dominam, quæq́; enſe minatur
Invitatq́; libra, quæq́; omnia temperat æquo
Arbitrio, & durans quæ vincit fata ferendo,
Et veri rectiq́; tenax, cui ſemper in auras
Preſſa licet, ſurgens oneriq́; invicta reſiſtens.
Palma loco ſceptri eſt, & tempora ramus olivæ
Cingit, & illuſtris claudit veſtigia Candor.
Vt tenuere locum: Pietas ſic farier inſit.
Caſta Deus mens eſt, te caſto in pectore ſenſum
Non reprehendendi meditari novit amoris.
Et ſimul aſpirans vires, te fœdere iungi
Coniugii, noſtro pridem decrevit alumno.
Ille decus noſtrum eſt, ad quem pulcherrima virgo
Suſpiras: non ullius ſic cura parentis

Inſita naturæ ſobolem complexa tuetur:
Vt nos hunc iuvenem vigiles ſervamus, & ævo
Venturo excolimus: quòd ſi te cura parentum
Ad decus, & laudem, thalamo ſervare iugali
Conſtituit; ſervata ſatis laudemq́; decusq́;
Exſpectare potes, tali coniuncta marito
Si Pietas parere Deo eſt, parebis amori,
Quem Deus immittit cui ſunt connubia curæ.
Sic adiuncta ferax lætam ſe vitis ad vlmum
Adplicat, & pulchris gaudet fœcunda racemis.
Quales contiguo crocei cum Smilace flores
Accreſcunt ſimul, & nunquam ſine fruge renident,
Et paſcunt oculos, hortisq́; lucrantur honorem;
Talis erit veſtras iungens concordia mentes,
Et patriæ fœlix, & rebus ſemper honori.
Dixerat; illa animi firmans luctantis amorem
Læticia perfuſa nova, iam plenius uri
Suſtinet, & cauſam, & nomen manifeſta fatetur.
Iam per aperta iuvat Thuringi iugera campi
Optatos inferre gradus gaudetq́; vocari
Saxonicæ Dux nupta domus, Myſasq́; per urbes
Saxonicis nuribus nomen commune lucrari.
Iam pia vota facit, ſolesq́; precatur amicos,
Ignotumq́; adfectat iter, ſuſpiria claram
Ducit ad Oenagoram, non viſum proſpicit Ilmum,
Dilectum quondam hoſpitium ſapientis Othonis,
Qui decus Imperii Cæſar languentis, in omni
Reſtituens Europa, infidæ & iurgia Romæ
Diſcutiens armis, hoc primus nomine claret.
Ergo probant natæ materq́; paterq́; volentis

Aſſenſu

Aſſenſu arbitrium, divini & numinis omen
Propitium accipiunt; abeunt in vulgus amoris
Argumenta novi, multo & ſermone vagantur.
Nec mora fama ſagax, geſtarum & prodiga rerum,
Nulla diu quam facta latent, audita per aures
Devolvens hominum, Cauſſam exultantis ubiq;
Lætitia geſtit variis diffundere dictis:
Iam ſublime volans ſummas operoſa per arces,
Nunc humilis radens plebeio murmure valles.
Monte iacent alto crebra iuga pinea tæda,
Vnde vetus cognomen habet, quà flexus ab Auſtro
Herciniæ campus Sylvæ curvatur in ortum:
Quatuor inde abeunt diverſo flumina curſu,
In partes totidem cœli: te Mœne cadentem
Ad Solem excipiunt opulenti mœnia Rheni
Faſſa tuum nomen; fortes tu Sala Nariſcos
Abluis, & dites vinoſa valle Thuringos
Ad Boream permenſus iter: ſed linea Nabum
Danubio iungit, quæ mollem reſpicit Auſtrum:
Aſpicit Auroram exoriens, atq; ima Bohemi
Ægra petit montana, atq; Ægram præluit urbem
Planiciem ſumma mons parte oſtentat apricam,
Vnde queunt ampli ſpacioſa palatia Rheni,
Et iuga Thirigetum campis fœcunda videri.
Huc operoſa novi conſcendens nuncia plauſus,
Rumoresq; trahens comites, dimittit in omnes
Terrarum partes iucundi ſibila plauſus.
Interea alma dies ſacro decreta iugali
Maturat lucem, & tacito procedere cœlo
Incipit, & thalamos componit pronuba mater

Digitized by Google

Corda ligans Pietas. Magno ſpectacula ſumptu,
Lætitiæ, patrio de more parantur vtrinque.
Inſigni proceres, equitatu, armiſq; coruſcis
Conſpicui, ac denſi pulchræ longo agmine Pompæ
Adducunt ſponſam; quam tali ornarat honore
Armipotens Rhenus. quondã & populantibus Hunnis
Tuta, Palatinis nunc tutior ora ſub armis.
Ipſe pater ſponſæ medio Simereius Heros
Agmine conſpicuus, læto ſeſe omine præbet
Auſonio ſublimis equo, & ſpectabilis Oſtro,
Pacis habens nomen, pacis Fridericus amator:
Quem Muſæ duxêre patris ſapientis alumnum
Per iuga Parnaſſi cupidum, veramq; potentis
Noticiam docuêre Dei & virtutis amorem:
Vnde illum cognata Nabo Simereia rura,
Vicinoq; colit gratus regione Moſella,
Mox dominum accipiet per amœnum purpura Rhenũ
Cum geret Imperii iuſtum Septemvir honorem.
Ad latus huic comites, patriæ duo lumina fratres,
Et virtute pares, patris & duo pignora nati,
Nota quibus decus eſt Pietas inſigne parentis.
Quis tamen ille alta picti ceruice Caballi
Et galea inſignis flammante? agnoſco Georgi
Te generoſe comes, cui ſtirps Erpachia priſcum
Dat genus, & clarum virtutis gloria nomen:
Huic puero à teneris dulces ante omnia Muſæ,
Et docti placuêre chori, placuêre liquores
Caſtalii, unde animi vigor, & lux inſita menti
Purior, haud ſequitur ſtolidi ludibria vulgi:
Sed bona vera colit, patriæ cumulanda ſaluti.

Atque

At quæ Muſa alios memoret? quos ordine longo
Agmen habet; Salvete pii, ſalvete beati
O proceres. Sis ſponſa tuo pulcherrima fœlix
Adventu, ſis ſponſe tuis fortiſsime lætus
Auſpiciis: vos læta dies, vos ſancta voluptas
Iungat, & æterno concordes paſcat amore:
Et celebrent grati communia gaudia cives.
Nam quia Francigena genus altum à Cæſare uterq;
Ducitis, à rerum magnum cui pondere nomen
Fama dedit, non hoc caſu, aut ſine numine tempus
Sic tulit, unanimes ut vos connubia iungant.
Priſca fides repetit coniunctæ oracula dextræ,
Qua tulit ille ſacro Vitekindum è fonte renatum
Saxoniæ regem, Franca cum gente tot annos
Prælia miſcentem, vanæ pietatis amore:
Sic Pietas ævo gaudet ſincera renaſci,
Poſtq; tot antiquum renovatur ſecula fœdus.
Vtraq; clara domus fœlicia tempora ſpondet:
Hæc coniuncta fide, quibus haud antiquior ulla eſt
Nobilitas, cuius ſe attollat gloria maior.
Namq; Palatinis ut te gens Norica ſceptris
Inſignem attingam, quis te gens inclyta vates
Quis te antiqua domus, monimentis plena vetuſtis,
Terrarumq; orbi rebus notiſſima geſtis
Vel partim memorare queat: niſi flumine fontis
Abluat Aonii ſe totum, atq; ore diſerto
Provocet Andinæ vires, & robora Muſæ?
Te regum agnoſcit pugnax Europa parentem.
Impiger Arctoi vel qua maris accola Cimber
Arma quatit Martis, vel qua Germana Bohemus

Rura colit pecoris naſcentem dives ad Albim,
Vel qua nunc Scythicis ſine vindice tunditur armis
Pannonia extremam metuens adflicta ruinam.
Tu Romana tuis decoraſti ſceptra triumphis,
Quando tuo lectus Ludovicus origine Cæſar
Viribus oppoſuit divinam hoſtilibus iram,
Et ducente Deo captum compeſcuit hoſtem;
Eripere Imperium conantem, moxq́; ſuperbum
Pontificem, exitium nequicquam triſte minantem
Imperio vittæ, fucati & fraude Galeri:
E Latio profugum juſtis procul expulit armis.
Hei quibus excipitur fatis, quàm dura dolendo
Vir tolerat, pietate gravis, dum cauſſa ſuperbo
Pendet ab arbitrio, dum tentant omnia, verum
Qui faſto miſcere ſolent; tamen eripit illum
Qui Deus omnipotens & regnat in omnia Chriſtus.
Quid tua quod bonitas fratri Ludovice Rodolpho
Parcere, & in numero charos retinere Nepotes
Suſtinuit & doctis dedit hoc clementia Muſis
Auſpicio Roberte tuo pleniſſima fructu
Ocia, dum leges & ſanctas explicat artes
Nobile Gymnaſium, facundi ad littora Nicri.
Ad propiora, vocor; quis te Friderice Nepotis
Magne tui cura, virtutum magne tuarum
Militia, ſummis non iure Heroibus æquet?
Tu legum, tu Juris amans, dum vincula ſervas
Juſtitiæ, quantis te totum opponere bellis
Cogeris? in charo tamen omnis cura nepote
Vincit, & eventu victorem læta ſecundo

Com-

Commendat populi ſtudiis, regumq́; favori:
Tres ubi non animis, nec aperto pectore tardos
Tela per & gladios ereptis contigit armis
Captivos traxiſſe Duces, gemit horridus ultis
Verticibus Nicrus; cedit nemus omne domanti
Hercinium, & meritum ſancit victoria nomen.
Ergo tuo multa fœcundus prole Philippus
Officio crevit, divino & numine fœlix
Floruit, ingenio nulli & pietate ſecundus.
Hunc Italæ Muſæ cecinêre, hunc omnis honeſti
Mens dilexit amans, ornavit vivida virtus.
Quis memoret reliquos? quis vos duo fulmina belli
Pannonici, obſeſſam Getico dum Marte Viennam
Præſidio parvo generoſe Philippe tueris,
Et patruum expectans Fridericum longa furoris
Præcipitas Scythici defenſis funera muris.
Jam videas dirum confertis viribus hoſtem
Et cuneos agere, & laxatos vellere muros,
Aggeribus ruptis ferroq́;, atq́; igne minari
Exitium, miſſisq́; diem fuſcare ſagittis:
Qualem animo faciem perculſo villicus olim
Rupe latens aliqua, ſpectatq́; doletq́; videndo
Obruit hyberno multus cum grandine nimbus
Dilectas ſegetes, villamq́; in valle iacentem;
Quas brevis in totum conſumit tranſitus annum.
Non opis humanæ, nec erat virtutis avitæ
Immanem ingluviem bellis arcere Latronum,
Quam ſitiens noſtri collectam ſanguinis Hæmus
Semper & eſuriens Rhodope, Thanaisq́; nivoſus,

Caſpiacaq́ʒ fames extruſerat impia porta.
Ergo tibi adducens Germanas ferrea turmas
Agmina, divino Fridericus in arma ruebat
Auſpicio: turpes montana per invia gentes
Infami, fugêre fuga. pars hæſit in imis
Sylvarum latebris, pars alta cacumina frondis
Occupat arborea, multos abſorbuit Iſter,
Innumerisq́ʒ calens Germanus demetit enſis.
Lætalesq́ʒ vomens manualis machina glandes.
Ipſe Deus vires animis fidentibus addens:
Germanum exacuit ferrum, Geticasq́ʒ ſagittas
Obtudit, & cœlo veniens victoria vicit.
Sed tamen hæc aliis poſt me memoranda relinquo:
Os quibus Aonio Muſa lavêre liquore,
Heroum ut dulci referentes carmine laudes,
Fortia facta virûm poſſint æquare canendo.
Te meritis veneranda domus clariſſima regno
Saxonico an tenui pergam quoq́ʒ dicere verſu?
Non mihi perpetuas ſic texat ſumma coronas,
Aut caput Andina præcingat Mantua lauro,
Digna loquar ſplendore tuo; ſive alta vetuſti
Stemmatis inquiram præconia. ſive recentis,
Non imitanda animo tentem faſtigia laudis.
Non humili certè vehitur tua gloria Muſa,
Quæ ſic ſparſa decus terras fœcundat in omnes,
Vt maiora ſuum diffundunt ſydera lumen.
Idcirco haud auſim vel primum inquirere fontem,
Vel rivos captare tuos; ſed preſſus omitto.
Saxones Euxino vectos à littore Ponti,
Oceani tenuiſſe ſinus, Thiræq́ʒ colonis

Thiri-

Thirigetis quondam feciſſe potentibus armis
Inſidias terræ fœcundam ob fertilis oram.
Regia te taceo validis ampliſſima muris
Vrbs vetus in Francos pugnax Sidinga minaces,
Quam mediam patrius populoſam interluit Vnſter;
Hinc atq; inde altæ nativis rupibus arces,
Belliſona texére manu. ſed te quoq; fraudis
Internæ vis ſæva tuo tunc tradidit hoſti
Cum Franco ſimul auxilium, ſimul arma paratus
Attulit, & ſpoliis auxit ſibi præmia Saxo.
Prætereo longo repetendos ordine, quorum
Imperium tremuit Ponti latus omne frementis
Axe ſub Arctoo, quàm latè Veſtphalus olim
Angarios poſſedit agros, quam Rhenus, & Albis
Se procul aſpiciunt, & latis Friſia campis,
Et numerans tardos deflexa Britannia Soles:
Nec memoro mundi decus admirantis Othones,
Aut alios gentis dominos: Sapientia quorum
Extulit Europes priſcos dominantis honores,
Imperiiq; decus Romano reddidit orbi.
Quod ſi anguſta meæ poſſet facundia Muſæ
Saxonicæ quidquam celebrando exponere laudis:
Tu mihi, tu Scythicæ domitor fortiſſime gentis,
Pro meritis Heinrice tuis hic carminis amplam
Sufficeres ſylvam; Immanes dum fortiter Hunnos
Præcipitas letho, proprioq; in ſanguine delis.
Tunc canerem fortes bellis, & pace potentes
Thirigetes, natos & eodem ſydere Myſos,
Saxonico iunctas & ſceptro, & ſanguine gentes.
Non mea Carolidas Ludovicos Muſa taceret:

Sive illum inſignem barba, qui primus in ora
Thirigetum excidit Sylvas, & condidit arces,
Et ſedem poſuit m[illegible]ris, laudiſq; futuræ:
Sive illum petulans quem iuſtis induit armis
Luxuriaq; fluens civis, gaudenſq; rapinis
Nobilitas, ferri ſortitum nomen ab uſu,
Armatis ſolitum ſibi condere mœnia turmis:
Sive illum Italicæ, quem Cæſaris arma ſecutum
Extinctum flevêre urbes, quo tempore dotem
Accepit Solymas Iole tum coniuge terras:
Terra Syracoſii Friderico ſubdita regni,
Vnde hodie Solymas Cæſar ſibi vendicat arces:
Tu vir dignus eras, ætas cui duceret ævum
Longior: At vivus ſyncera laude beatus,
Coniugio fœlix pietate potentes Eliſſæ,
Et pietate tua, de te ſata regia proles
Imperii tenuit ſummas Henricus habenas
Conſilio promptus, nec ſumptis tardior armis:
Hunc alii quamvis concedere mallet honorem,
Ille rebellantes Thuringo milite Suevos
Fudit, ubi rapidi vada propter cærula Mœni
Nobilitat veterem Francorum tranſitus urbem,
Vlma decus nobis hoc reddito: dum tua quaſſat
Mœnia, fatali tormenti concidit ictu.

Floruit illius ætatis funere Myſius
Quem ſoror ediderat Ludovici clara nepotem:
Civibus acceptum quem fecit provida virtus:
Qua reprimens motos Thuringa per arva tumultus
Reſtituit pacem, fœlix moderamine Princeps:
Infœlix ſed prole pater, quam conſcia recti

Eſſe

Eſſe luem patriæ doluit tolerantia nati.
Te Friderice loquor. geſtis vir maxime rebus:
Cui gena materno dictavit ſaucia morſu
Coniugii læſi pœnam, memoremq; dolorem:
Tu bona pacis amans malles decedere bello,
Ne te tanta tuo traherent mala publica fato.
Heu quibus ærumnis, quàm fatis actus acerbis,
Exilium toleras, & ſpe lactaris inani:
Dum corda exploras homini male fida ferendo:
Qui tamen eximiis Heroas ſuſcitat auſis
Et ſæpe è mediis gaudet lucere tenebris,
Te Deus eripiens tuta in ſtatione locavit.
Hoc genitore ſatus qui nomine dictus eodem
Coniugio accepit Boio de Cæſare natam,
Illuſtrem iungens pulchro ſibi fœdere gentem:
Quod renovans hodiè ſic fato abeuntibus annis
Sancta fides, lætis ſpondet bona publica ſignis.
Ille quod innocuis mitis, quod ſontibus aſper,
Pace domi placidus, bellis foris horridus eſſet;
Principis hac nomen tulit à virtute Severi.
Deficio, ſublime decus dum mente ſequentum
Inſpicio, hinc ingens Heroum ducitur ordo;
Quos penes imperii eſt cuſtodia, iusq; legendi
Cæſaris, atq; Aquilis gladios ſeruare latinis.
Namq; ſatis celebrent, quæ te Friderice Camœnæ,
Magnanimi cuius metuerunt arma Bohemi,
Vicinæq; plagæ; Aoniæ quo tempore Muſæ
Exilio pulſæ, ſuſpecta mœnia Pragæ
Liquêre, & faciles Phylirinæ in prata ſub umbram
Conceſſere tuam. Quæ te Friderice Secunde

Mu-

Muſa ſatis celebret? Cuius Leo ſæpe Bohemus
Exceperit gladios acie victrice potentes:
Cuius & vltrices expavit Marchia vires:
Dum decus acceptum tituli defendis, & auges.
Et tamen hoc maior qui tertius ordine fulget
Enſifer imperii meritos quoq; poſcit honores.
Nulla tuas unquam delebunt ſecula laudes,
Dux ſapiens Friderice; tuo nam vera favore
Inſtaurata fuit divini gloria verbi:
Quæ ſolium Auſonii fictosq; evertit honores
Pontificis, Chriſtoq; fidem ſine labe potentem
Reſtituit; te facta pius ſuffragia votis
Imperio legêre caput; cur tale recuſas
Sponte decus, poterat quo te Germania fœlix
Tollere, & æternam melius ſperare ſalutem?
Carole qui geſtis attingis ſydera rebus
Acceptum huic debes, quod tanto Cæſar honore
Sublimis geris imperium, quod nulla tacebit
Teſtatura tuis laudem virtutibus ætas.
At tua te celebrans Pietas animoſa Ioannes
Evehet ad cœlum, famaq; ad ſidera tollet;
Dum locus eſſe piis poterit; dum nomen habebit
Iuſtificum in terris confeſſa Eccleſia Chriſtum.
Quid memorem Heroëm cui pax, & gratia nomen
Divino dedit auſpicio? tu maxime Chriſti
Confeſſor, tu mite caput, tu fortis amator
Iuſticiæ, in ſolo miſeris quæ ſanguine Chriſti
Perficitur, toti præbes miracula mundo,
Non audita prius: dum te nec dura Tyrannis,
Nec promiſſus honos, nec deniq; munera frangunt:

Vt cauſ-

Vt cauſſa horrenda retegentem crimina Roma
Diſſimules, paramq́ fidem fucante notari
Fraude feras. Illum quoniam tria ſidera fratres
Exprimitis ſtudio, vobis arridet ab alto
Plena Dei nutu concordia, plena fauore:
Vt dulcem patriam fœlici iure gubernet
Veſter amor, videantq́ Dei veſtigia ciues:
Qualis abit cœlo facies, cum Luna ſerena
Nocte micans toto vehitur iam plenior orbe,
Atq́ illam aſpiciunt blando duo ſydera vultu,
Vnde ſinus terræ rores & ſemina ducunt.
O mihi grata meæ contingant ocia vitæ,
Adſit & ingenio facundæ copia linguæ:
Vt veſtras poßim contexere carmine laudes,
Nulla mihi attulerint finem vos fata canendi.
Nunc, velut properans ſummorum germina florũ
Carpit apis, libatq́ domi quod ſedula tractet:
Sic ego, vix tangens veſtræ veſtigia laudis,
Pauca dedi hoc ipſo pro tempore: plura daturus
Officii monumenta mei, ſi vita manebit.
Veſper adeſt Muſæ cœptum iam claudite carmen,
Et facite ad thalamum pia vota, & dicite læta
Omina: quæ ſocii confirment fœdera lecti.
En iterum hoc repetant Muſæ repetentq́ viciſſim
Alterno memores cantu, dum longa ſenectus
Ad cœlum cupidos vos ære fouebit amantes.
Condidit ad dulcem vitæ immortalis honorem
Ipſe hominem, effingens gemini diſcrimine ſexus,
Ipſe Deus mentem aſpirans, viresq́ loquendi,
Vt pius autorem vero celebraret honore:

Mox utrumq; potens arcano fœdere iunxit
Coniugii, caſtoſq; pius indulſit amores:
Poſſet ut ad patrium latè ſoboleſcere cœlum
Poſteritas dilecta Deo. Salve optime Princeps,
Qui decus hoc etiam magnifacis; utq; profeſſus
Cordis amas pietate Deum ſic vivere caſtè
Agnoſcis decus eſſe hominis, fontemq; bonorum.
Tu quoq; dulce decus patriæ, gratumq; futuræ
Præſidium, princeps ſalve inclyta, & inclyta ſponſa
Digna viro tali; tuta vos pacis in umbra
Divinus conſervet amor. pietateq; veſtra
Semper agant grati fœlicia tempora cives.

AD ILLVSTRISSIMAM Principem Dominam AGNAM, SPONSAM.

Vidit, & ut vidit populus te ſuſcipit Agna,
Hocq; tuum lætus, nomen ut omen amat.
Hoc faciunt moresq; tui, vultusq; benignus,
Gratia quem certans cum gravitate, decet.
Hinc aliquis caſti miratus amabile vultus,
Iudicium, hoc edit verba notata ſono.
Caſtus amor thalami, vinclum eſt fatale duorum,
Coniugiumq; Dei provida cura facit.

Digitized by Google

Humanis vigilans divina potentia rebus,
Hac primum accendit pectora tacta face.
Illa etiam inſpirans dulces infantibus ignes,
Naſcentes vivo iungit amore duos,
Coniugiumq́ ſacrum vel per cunabula firmans,
Vnanimi nutrit pectora iuncta fide.
Vos quoq; coniunxit præviſo numen amore,
Ante hoc quam ſcirent pectora veſtra iugum.
Inclyte Dux Saxo, nupta inclyta, & Heſſica Princeps,
Pectora fatalis veſtra ligavit amor.
Hoc adeo oſtendit veſtrorum gratia morum,
Et ſtudium in gemino pectore mentis idem.
Ingenuo eſt animo, ſyncero & pectore ſponſus,
Hanc quoq; vim iuſti ſponſa decoris habet.
Digna animis tantis gravitas commendat utrumq;,
Et pietas veri læta timore Dei.
Et iuris florentis amor, ſtudiumq́; iuvandi
Vera bona, Aoniis quæ generantur aquis.
Sic ait: hunc plauſus, hunc intima vota ſequuntur,
Et bene habet, populi vox geminata ſonat,
Carmine quid vates contenditis unus & alter,
Coniugium hoc melius publica fama canit.

AD EANDEM.

UT decus eſt hortis ulmo coniuncta virenti
Plena racemiferis vitis, & ampla comis.

Sic patriam exornat tali coniuncta marito
Perpetuis animi nobilis Agna bonis.
Illi omnis matrona favet, votisq; precatur
Jam benè ſanciti tempora longa thori.
Gratius haud floret, dulcem quæ ſpirat odorem,
Proxima purpureis Nardus odora roſis.
Hinc meritò tellus bene florens dicitur hortus,
Quæ tali ſplendens conſita flore viret.

AD EVNDEM

ILLVSTRISSIMVM PRINCIpem, ac Dominum,

D. JOANNEM FRIDERICUM II. DUCEM SAXONIÆ,

LANDGRAVIUM THURINGIÆ

Marchionem Miſniæ,

IN EIUS NUPTIIS

EPITHALAMION.

AUTHORE

JOBO FINCELIO

Winarienſi.

EXtruxit ſapiens Deus, hoc mirabile mundi,
Conditor, æternæ nobile mentis, opus.

Ac

Ac hominem fecit terreno è pulvere ductum,
Participem mentis, participemq́ue Dei.
Eſſet ut in mundi theatro, rebusq́ue creatis,
Qui foret authoris dulcis imago ſui.
Vt caperet fœlix tantæ conſortia lucis,
Æterniq́ue capax poſſet ut eſſe boni.
Inde homo divini concepit luminis hauſtus,
Luce nova dives notitiaq́ue Dei.
Indidit ille animis virtutum ſemina noſtris,
Quæ ſapiens propria ſemina mente gerit.
Cuius certa refert veſtigia quilibet in ſe,
Omne decus mentis qui pietate regit.
Qualia namq́ue ſuæ monſtrat veſtigia mentis.
Agnoſci talem ſe cupit eſſe Deus.
Atque malo dirimi, quoties pia vota ferentes,
Non fictas humili fundimus ore preces.
Iudicat eſſe bonum, iuſtum, verum, ſapientem,
Vis animi arcana luce vidente, Deum.
Qui benefacta probet, vetitos qui puniat auſus,
Cuius in hoc mundo luceat omnis amor.
Sed tamen autorem ſcelerum, mundiq́ue ſatorem,
Ante alias, virtus ſeparat una magis:
Caſta Deus mens eſt, omnisq́ue libidinis expers,
Impura Veneris flagrat amore Sathan.
Sic hominem exemplum vult eſſe in imagine parva,
Ipſe ſui, cuius comprobat acta Deus.
Et probat acta Deo quisquis ſine crimine vitam
Ducens, legitimo pectus amore tenet.
Qui venerante Deum, cuſtodit lege pudorem,
Et mundi illecebras dira venena fugit.

Coniugiumq́ probat, communis fœdera lecti,
Quæ retinere Deus non violanda iubet,
Ordine perpetuo quia talia ſancit autor,
Hoc mundi nitidum cum fabricaſſet opus,
Quando hominis duxit de limo molliter artus:
Dans animam ex proprio pectore flante Deus.
Dixit enim: ergo hominem nobis effingere mens eſt,
Pectora qui cœlo dedita, ſancta gerat.
Extitit ad nutum formoſa creantis imago,
Natus homo à molli nomina duxit humo.
Et tibi ait, vitæ ſociam faciamus amicam,
Coniugio placeat conſociare duos.
Hinc Deus inſtituit connubia caſta Sacerdos,
Cum ſociam vitæ iungit Adame tibi.
Altius à nobis reputari talia dignum eſt,
Sæpe operis tanti nos meminiſſe debet.
Namq́ ſuo æternum viuens in lumine lumen,
Contentum proprio voluit eſſe bono:
Prodiit arcana gaudens è ſede, ſuæq́
Nos homines voluit lucis habere iubar.
Hæc eſt conſilii ratio, quâ condidit autor,
Coniugiis iungens pectora caſta Deus.
Qua voluit natum firmo coniungere ceſto,
Inſtituens caſti vincula ſancta thori.
Corpore ut in gemino mens una ſit, una voluntas,
Vna caro verbo conſociata Dei.
Vtq́ Deum colerent & pura mente timerent,
Lege pudicitiam præcipiente cupit.
Hos homini fines, metam hanc circumdedit autor,
Ordinis hæc poſuit ſepta verenda ſui.

Hunc

Hunc turbare vetat, turbantes odit & urget
Horrendis pœnis ſupplicioq́ gravi.
Noſſe Deum autorem mandati atq́ ordinis huius,
Eximium eſt animi præcipuumq́ decus.
Hoſtis at illa Dei Sathanas, decreta revellit,
Quaq́ poteſt eadem fraude dolisq́ premit.
Dum rabidas flammas animorum accendit alitq́,
Dum rapit ad vetitum pectora prona nefas.
Inde tot Heroas, tot neſcia pectora frangi,
Exitio tandem dira libido dedit.
Quis ducis eximii, Magni qui nomen adeptus,
Quis non Oedipodis fata dolere velit?
Quis non Jeſſidæ, tam fœdo crimine lapſi,
Ante Deo charus qui pietate fuit?
At nobis hodie, quibus ultima vivitur ætas,
Hei quantum ſceleris prædicat una dies.
Polluitur varia, ſine fine, libidine mundus,
Et cumulat pœnas impietate graves.
Quo magis intactam ducens ſine crimine vitam,
Eximio dignus laudis honore fuit.
Ergo tibi hunc animum merito, illuſtriſſime Princeps,
Gratatur patrio patria læta Duci;
Quod pius obſervas ſummi decreta Tonantis,
Atq́ ipſi ſtudium cum pietate probas,
Optati poſtquam firmas connubia lecti,
Quæ Deus inſtituit, quæ Deus ipſe probat.
Hoc erat illecebras furioſi evadere mundi,
Hoc erat æterno velle placere Deo.
Hæc quoq́ vivendi ratio vel maxima vitæ
Commoda non levibus fructibus aucta parit.

Nam docet officijs virtutum aſſueſcere mentes,
Doctrinâ inſtituens uberiore pios.
Quo Deus humanas vigilans res curet amore,
Qua velit à nobis cum pietate coli.
Si tamen eſt onerata malis, atq; obvia curis,
Fidenti præſto dicimus eſſe Deum,
Qui Velit ærumnas iucundo invertere fine,
Et noſtram eventu ſæpe probare fidem.
Dic quoq; Muſa Ducis meritæ præconia laudis,
Te patriæ fas eſt concelebrare Ducem.
Haud licet aſcendas nitido ſuper æthera cantu,
Sed tua in exiguo flumine linter eat.
Sic etiam ſtrident humiles per prata Cicadæ,
Dum vacuum cœlum Daulias ore replet.
Si genus & proavos ſpectes, ſi nobile ſtemma,
Hic quoq; Cæſareo ſanguine natus erit;
Fama quod illuſtris veterum virtutibus auget,
In toto quorum laus volat orbe Ducum.
Roma ſuos Fabios iactet forteſq; Camillos,
Edomiti quondam quæ caput orbis erat.
Ipſa ſuos etiam non ficto nomine laudans,
Prædicat inſignes terra Thuringa Duces,
Quam magis illuſtrat cœli iam dives honore,
Qui venerans Chriſtum triſtia multa tulit.
Hunc poſtquam fuerat conſtanti voce profeſſus,
Conſtantis merito nomen in orbe gerit.
Is generis ſplendor, meritorum gloria tanta,
Nominis æternum quis neget eſſe decus?
Nec tamen hoc minus eſt, reliquis quo munere præſtas,
Qui generis multum nobilitate tument.

Patria pulchra tibi, vera eſt Eccleſia Chriſti,
Quæ generat ſponſo pignora chara ſuo.
Illius eſſe pium civem, ſanctumq́ nepotem,
Præcipuum generis noveris eſſe decus.
Hæc tibi magne, parens dedit in cunabula Princeps,
Hæc alvo tenuit te generoſa ſua.
Atq́ aluit verbi diuini lacte potentis,
Quod ſolum ad vitæ munera monſtrat iter.
Vnde Deum verum iuſto veneraris amore,
Cui quæcunq́ facis facta probanda facis.
Ergò Deo gratus tantæ iam pondera molis,
Accipis, imperii dum pia ſceptra regis.
Iura quibus populis retines, cultusq́ verendos,
Aſſeris, inſigni qua pietate decet.
Maxima dos vitæ eſt natum eſſe in cœtibus iſtis,
Vni qui Chriſto dedita corda gerunt.
Qui non fictitium, ſed vivum numen adorant,
Et normam verbi mente fidele tenent.
Sic tua te pietas iam toti prædicat orbi,
Illuſtris patriæ Duxq́ paterq́ tuæ.
Et recta in populos abeunt exempla regentis,
Sic creſcet variis patria læta bonis.
Scilicet heroo Princeps de ſanguine natus,
Semina virtutis mente paterna geris.
Et patris exemplo doctrinæ dona tueris,
Spargere dum curas dogmata ſancta Dei.
Ocia dum tribuis ſpretis tutiſſima Muſis,
Quas multa largus cum bonitate foves,
Quæ nunc ſolenni gratantes carmine dicunt,
Omnia coniugio fauſta ferenda tuo.

Cum ſperata tibi, felici ſydere Cœli,
  In thalamos veniat ſponſa pudica tuos,
Illuſtris facie, præſtanti corpore coniunx,
  Cui natura animi contulit omne decus,
Illa verecundo demittens lumina vultu,
  Nomina præſtantis nota pudoris habet.
Dixeris ore Helenam, cultis Briſeida membris,
  Dixeris exemplum coniugis eſſe piæ.
Dumq́ venit nitidis pompâ denſante quadrigis,
  Nympharum placidis ad latus omne choris,
Vna illa ante alias forma præſtantior omnes,
  Non alio ſplendens agmine ducta venit;
Quam micat in media ſtellarum vecta corona,
  Formoſo ſplendens ſydere pulchra Venus.
Nec pietate minor generoſis moribus extat,
  Qua colit æternum voce animoq́ Deum.
Gaudet & illuſtri felix ſata patre Philippo,
  Haſſia cui paret tota recincta iugis.
Illius volitent cum fortia facta per orbem,
  Non ea ſunt elegis enumeranda meis.
Te tamen is genero gaudet, ſperatq́ nepotes,
  Qui patriam ſerâ poſteritate regant.
Dum loquor, ecce probans patrio connubia nutu.
  De cœlo oſtendit ſigna ſerena Deus,
Auguſto reſerans ſpacioſum lumine Olympum,
  Clarior æthereo dum ruit orbe dies.
Omnia quo gaudent, quo tellus gaudet & ipſa,
  Et vacuum volucres quæ per inane volant.
Vota ferunt cives læto communia plauſu.
  Proſperet inceptum, vox ſonat una, Deus.

Ipſe etiam invito viſus decedere cœlo,
Phœbus in Heſperias ſerior ibat aquas.
Scilicet eventus ſunt hæc bona ſigna futuri,
Hæc eadem plenæ nuncia lætitiæ.
Ipſe ego læta ſequens feſtivo gaudia plauſu,
Hæc referam Domino vota ſecunda meo.
Feſte dies abeas, nullos non fauſte per annos,
Mutua quo Princeps fœdera magnus init.
Optatusq́ redi, nata ſic prole redibis,
Heroes patriæ cum dabit ipſe Deus,
Qui cœlum repleant famâ, virtutibus orbem,
Saxonicæ meritis clara propago domus.
At tu gratantes Dux fœliciſſime Muſas
Aſſere, deſertis tu bonus eſſe velis.
Principis officium eſt, doctas defendere Muſas,
Nunc in contemptu quas rude vulgus habet.
Sic te propitia præſens bonitate gubernet,
Sic tibi det vitæ proſpera fata, Deus.

AD EUNDEM

ILLUSTRISSIMUM
Principem ac D.

D. IOANNEM FRIDERICUM II. DUCEM SAXONIÆ,

LANDGRAVIUM THURINGIÆ,
Marchionem Miſniæ.

IN EIUS NUPTIIS

EPITHALAMION.

AUTHORE

MAURICIO BRANDT
Neoburgenſe.

PRima ſit ut noviſſe Deum, ſit amare ſecunda,
Laudibus & meritis ultima curaſequi.
Inde homines fecit, communi & fœdere iunxit,
Officii & leges iuſſit habere Deus.
Gaudet enim ſemper cœli dominator & orci,
E ſupera hoc imum ſede videre ſolum.
Atq; hominum luſtrare genus, iuvat ire per orbem,
Et coram populi facta videre ſui.
Illum quotquot amant, verâ & pietate verentur,
Quos ducit ſolidæ relligionis amor.
Hos placidâ præſens ſemper bonitate tuetur,
Hos iuvat, innumeris ditat & ille bonis.

Tem-

Tempore in afflicto, dubio diſcrimine rerum,
Hos tegit, & facili ſublevat uſq; manu.
Mens rapit averſo, ſed quos vaga tramite pulſos,
In ſcelus ut quodvis præcipitanter eant.
Hos etiam averſus, iuſtamq; accenſus in iram,
Deſpicit, eſt horum cura nec ulla ſuper.
Hos errare ſinit, quoniam inſanire voluntas
Prava iubet, miſeros occubuiſſe ſuo.
Aut ſi non animo totos periiſſe lubebit,
Temporis ad ſpatium dura ſubire facit,
Donec ab erratis revocent veſtigia cauti,
Inq; viam redeant corde dolente ſuam.
Nolle Deum certum eſt fœdo celebrarier ore,
Pollutoq; peti pectore nolle Deum.
Quos capit illecebris ſuſpenſos blanda voluptas,
Et ſtimulis vexat tetra libido ſuis,
Degenerisq; ſequi pronos iuvat ocia vitæ,
Illorum renuit vota precesq; Deus.
Hic age nunc Monache in tetris occluſe cavernis,
Quem ſua nil pietas ficta, fidesq; beat.
Quas tu quæſo preces tenſis ad ſydera palmis,
Ad ſuperas poteris beſtia ferre plagas?
Quas, ubi ſenſiſti divini tela furoris,
Quas, ubi patranti turpiter auſa dolent?
Quas dabit ille preces? quem turpi concitat œſtro,
Quemq; trahit laqueis prava libido ſuis?
Quas dabit impuri ſtimulante cupidine ventris?
Helluo luxuriæ deditus atq; gulæ?
Quemq; ſinu fovet in tepido mellita voluptas,
Quæ dabit heu ſupero vota ferenda Deo?

Scilicet avertit recto de tramite mentes,
In dubiasq; rapit fœda libido vices:
Cum vitiis miſcet nullo diſcrimine laudem;
Notitiæ cedunt hac ſubeunte piæ:
Organa iudicii tenebris obnubilat atris,
Ne ſtatuat, poſſit quid placuiſſe Deo:
Fræna voluntatis ratione ſequente capeſſens,
Quo furor & levitas imperat ire, trahit.
Raptat ut effrenis per devia luſtra caballus
Seſſorem, certa dum ſine lege ruit.
Ille reluctando quamvis inhibere laborat,
Fallitur, hic loro nil remorante fugit.
Prima voluntatem, mentis mox ſenſa fugando;
Sic quoq; tranſverſum cœca libido capit.
Jungitur ergo Deo thalamus curante iugalis,
Junguntur ſocii fœdera certa thori.
Nempe ſit hæc animis ut certa medela pudicis,
Conjugium ſtygii ſit medicina mali.
Quod vomit ex imo Sathanas Acheronte refuſum,
Connubium cordi qui dolet eſſe Deo.
Scilicet ut poſſit caſta ſic mente vocari,
Quem mare, quem terræ climata lata tremunt.
Inclytus hæc reputans flagranti pectore Princeps,
Qui nomen placidæ nobile pacis habet.
Jan Fridericus avum referens tituloq; parentem;
Quos habuit placidos Teutonis ora duces.
Delicias ſpernens fucum faſtidit inanem,
Ocia dum ſolers deſidioſa fugit.
Indolis egregiæ veritus violare decorem,
Quo meruit caſti nomen habere Ducis,

Divi-

Divino vitæ ſociam ſibi munere legit,
Quam ſibi legitimo fœdere iunget hymen.
Hanc genus & morum forma coniuncta venuſtas,
Mutuus atq; Duci conciliavit amor.
Ergo leves elegi tantum deſcribite Sponſum,
Qui graviore quidem voce canendus erat.
Aſt erit his voluiſſe ſatis: ſum viribus impar,
Annue tu cœptis quæſo Thalia meis.
Quem fugit? Heroum celebri de ſanguine vatum,
Saxonas authores ſtirpis & eſſe Duces.
Quorum fama viget ſero memoranda ſub ævo,
Nec tacet eximios Teutonis ora viros.
Quæ patrem illius non fama ad ſydera tollit,
Natus at illuſtri par ſtudet eſſe patri,
Jura quibus dicit, placidâ, placidiſſimus ipſe,
Defenſos omni tempore pace regit;
Quæq; terunt alii ſub duro tempora Marte,
Dux ea tranquilla pace togatus agit,
Vel iuvat alipedes per devia figere cervos,
Vel necat immanem cuſpide cautus aprum.
Adde quod ingenuas callet feliciter artes,
Quaq; poteſt promptus parte iuvare iuvat.
Scilicet à teneris ſuetus virtutis amori,
Egregii dotes pectoris auctus habet.
Laudis & eximiæ præconia Sponſa meretur,
Principis in thalamum quæ modo pacta venit.
Cui pater ingenio prior an virtute Philippus,
Dicere, maioris res erat ingenii.
Hæc pietatis amans cunctis iam dicier oris,
Fœminei meruit gemma decusq; chori.

Inſu-

Inſuper Aonias hæc tempeſtate Camœnas,
Ingenii præſtans dotibus ipſa iuvat.
Quid memorem vultus, animi candore, pudorem
Inſignem, eſt animi talis imago pii.
Coniuge ſic dignus coniunx, ſic gaudet uterq́ʒ,
Alternis pariter dotibus, atq́ʒ ſuis.
Amborum ſpectes caſto ſi in pectore mores,
Dotibus eſt meritò clarus uterq́ʒ ſuis.
O digno coniuncta viro, thalamiq́ʒ pudici,
Omina, & ô avibus fœdera pacta bonis!
Sic venit Abramidæ lecto ſocianda iugali,
A patrio cedens caſta Rebecca ſolo.
Sic quoq́ʒ Penelope quo tempore nupſit Vlyſſi,
Dulichium fama eſt uxor adiſſe thorum.
Ergo dum pacto tædæ vos iure coitis,
Dum ſolidâ coëunt pectora veſtra fide.
Non votis optandus hymen, quem ſtulta vetuſtas,
Coniugii finxit mente furente Deum,
Sed pietas aderit fœlici ſydere tædis,
Militiam thalami fida miniſtra iuvans.
Huic ſociam ſe addit virtus. properatq́ʒ ſubire,
Coniugii ſacris tecta dicata piis.
Scilicet ut thalamo fœlicia cuncta precentur,
Et cœptis faveant utraq́ʒ fauſta bonis.
Adde quod heu propriis Germania ſaucia telis,
Ad veſtri geſtit fœdera pacta thori.
Geſtit & ærumnis Eccleſia preſſa dolentis,
Dum ſtudet ex omni parte nocere, Sathan.
Tu quoq́ʒ quæ patriis Muſas comitaris euntes,
Montibus, ô ſtudiis fœta Salana bonis.

Ecqua novo ſurgunt animis iam gaudia motu,
Pectore lætitia eſt ecqua ſuborta tuo?
Nunc age divinis præſtantem laudibus effer,
Qui tribuit Muſis ocia iuſta, Ducem,
Qui tibi tranquillæ concedit tempora pacis,
Artibus ut vigeas erudienda bonis.
Fallor? an hic animis læti vel mille Poetæ
Ad thalamum nectent carmina grata novum?
Inq́ꝫ tuas fundent Princeps præconia laudes,
Quæ poterunt ſera poſteritate legi.
His ego cum nulla ſimilis ſim parte, meoq́ꝫ
Innatet Aonidum parcus in ore liquor.
Deſino, quæ volui tædis ceciniſſe pudicis,
Suſpicias vultu non renuente precor.
Sic Deus eſt caſti qui fautor & author amoris,
Dum ſolidâ ſociat pectora iuncta fide.
Perpetuis animi iungat vos nexibus ambos,
Et veris cumulet corda pudica bonis,
Sic ſobolem donet communi pignora lecto,
Agnoſcat dominos patria læta ſuos.
Grandævi unanimes ducatis Neſtoris annos,
Et careant omni tempora veſtra malo.

JOACHIMI
A' WEISBACH.

MEntibus humanis Deus ipſe inſevit amorem,
Fœdera coniugii qui veneranda probat.
Scilicet ut duplici mens una in corpore iuncta,
Syncero poſſet pectore amare Deum.
Nam quia pollutos, turpiq; libidine captos
Averſans, illis vota precesq; negat,
Inde pium thalamum multis rationibus ornat,
Et colit, & vere curat amatq; Deus.
Te quoq;, Saxoniæ princeps virtute Joannes,
Maganimum referens ô Friderice patrem:
Dotibus ornabat Deus, in ſtatione quod illa
Eſſe cupis, verbo quam probat ipſe Deus:
Ergo tibi meritò gratatur patria læta,
Lætanturq; omnes, laudeq; te celebrant.
Vive diu princeps, & ſic imitare parentem,
Ut poſſit dici te patriæ eſſe patrem.
Ipſe preces fundam, & ſanctè per vota precabor,
Hoc decus ut patriæ commoda multa ferat.

IN NUPTIAS
ILLVSTRISSIMI DVCIS
Saxoniæ

JOANNIS VVILHELMI,
CVM
DOROTHEA PALATINA, &c.

EPITHALAMION
PETRI LOTICHI SECUNDI, &c.

VOS mihi quæ Regum canitis Connubia Muſæ,
Longa quibus ſeries ævi, quibus alta vetuſtas,
Fidaq́ perpetuæ cuſtodia credita famæ,
Dum Ducis egregii, poſt bella graveſq́ labores,
Felices celebro thalamos, vos numine veſtro
Aſpirate mihi: tuq́ ô Jovis inclyta proles
Alma Venus, ſi te Vatum mortalia tangunt
Carmina, ſi ſocii leges, & fœdera lecti,
Et teneros luſus, & mutua gaudia curas:
Huc ades, & cultos mecum ſpaciare per hortos,
Et vernas lege Diva roſas, ſponſæq́ coronam
Texe novæ, qualis fulgenti Lucida cœlo
Aſtriferi nitidos inter micat ætheris ignes.

Tu verò iuvenum Princeps, qui fortibus armis
Et celebres factis proavos ingentibus æquas,
Joannes Guilielme, tuas ne deſpice laudes.
Arma viroſq; leges, & avorum clara tuorum
Nomina; iam rerum per ſumma cacumina tantùm
Ire iuvat, ventura dies maiora reſervat.
Vix matutino radios pulcerrimus ortu
Lucifer extulerat, fauſto connubia portans
Sidere, lætitia montes & celſa fremebant
Atria, qua vaſtas ad cœlum ſurgere moles
Aſpicit, & rapidis torrens Nicer æſtuat undis.
Fortè ſub exorti tum primum lumina Solis,
Herboſæ viridi reſidens in margine ripæ,
Agreſti ſtipula veteres meditabar amores
Acidis, & ſtudio curas ſolabar inani:
Blandaq; vicina mecum Philomela ſub umbra
Argutis liquidas mulcebat cantibus auras.
Cum ſubitò (ecce) novem comitata ſororibus ultrò
Obvia Calliope ſeſe mihi læta ferebat.
Omnibus ex humeris cithara, decor omnibus idem,
Perfuſis auro velatæ veſtibus omnes.
Ruta virens crines cingebat, & innuba Laurus.
Ibant & manibus Divæ per mutua iunctis,
Hymen ô Hymenæe, Hymen, Hymenæe canebant.
Mox ubi ſe viridi iuxta chorus omnis in herba
Compoſuit, ſiluitq; amnis, ſiluere volucres,
Ad me Calliope placidis ita vocibus uſa eſt:
Pone leves calamos, ſat avenæ ſibila montes
Et fontes novêre ſacri, ſat ruſtica luſit
Fiſtula paſtorum curas: nunc inclyta dices

Con-

Digitized by Google

Connubia, Heroumq́ genus, Regumq́ nepotes.
Ipſa ego te, ſponſi repetens ab origine ſtirpem,
Per genus, & proavos, & facta ingentia ducam
Antiquæ ſobolis, quam nulla æquaverit ætas
Laudibus, immenſum qua Sol videt aureus orbem.
Hic labor, hoc ſtudium generoſis Vatibus eſto, ,,
Aut ſuperûm laudes canere, aut præconia Regum, ,,
Et memorem factis illuſtribus addere famam. ,,
Dixit: & ornatum gemmis, auroq́ volumen,
Cyaneoq́ nitens Hyacintho & Iaſpide glauca,
Explicuit gremio, matris venerabile donum
Mnemoſynes, cui longa dies & nomina curæ.
Illic alma Parens ſignarat quicquid ab ævi
Principiis geſtum memorabile pace vel armis,
Quod natos olim iubeant meminiſſe parentes.
Hoc promens, repetensq́ altæ monumenta ſenectæ
Calliope, fagi ſuper impendentis in umbra,
Talia labentes Nicri cantabat ad undas.
Vaſta iacet, Boreæ flabris obnoxia tellus,
Dives agri, dives pecoris, quam ſpectat ab alto,
Tingere quæ nunquam cani ſe fluctibus audet
Oceani, ſtellis ſemper ſitientibus Arctos.
Rhenus ad occaſum, proniq́ cubilia Solis
Terminat, Auroram Nabathæaq́ regna Viſurgis
Aſpicit, hybernos Chauci genus acre, Triones,
At latus unde madens imbres denunciat Auſter,
Obnoxii claudunt montes, quibus arduus exit
Oceani refluas Ameſis qui turbat arenas.
Illa parens regum tellus, quibus aſpera cordi
Prælia ſemper erant, ſtatuas lucosq́ colebant

Relligione ſacros priſca: ſæpe horridus anguis,
Conſcia ſæpe vetus terrebat pectora quercus.
Præcipuè Heroas, pugnataq; bella canebant
Solennes epulas inter, magnaq; ſepultos
Voce ſalutabant reges, animasq; vocabant.
Primus avis proavisq; potens, & divite regno
SIGARDI *pronepos, cum iam gens aurea paſſim*
Chriſtiadum ſcelus elueret luſtralibus undis,
Flore virens animi primum VITIKINDUS *& avi,*
Defendit veteres ritus moremq; ſacrorum,
Per caput & ſanctam ſolitus iurare coronam,
Sideraq; & patria cultas formidine lucos,
Manſuras, Divis quas ipſe ſacraverat, aras.
In clypeo ſonipes excuſſis liber habenis
Emicat, & volucres hinnitu diſſicit auras
Arduus alta petens: iuxtaq; inſigne paternum,
Lucida dimidiæ ſinuantur cornua Lunæ.
Poſtremò caſtris toties exutus & armis,
Iam ſenior, vita donatus abivit, & ultrò
Abluit antiquæ tandem contagia culpæ,
Nudatum patria tingens in gurgite corpus.
Ipſe ſalutiferi perfuſum fluminis unda,
Cæſar ovans, dudum vindictæ oblitus & iræ,
Carolus excepit, gremioq; amplexus amico eſt;
Et vanos Divûm iuſſit dediſcere cultus.
Lætitiâ fremuêre urbes, ſeptemq; Triones.
Usq; adeò pulchrum eſt, & nobile parcere victis, "
Pulcrius, indomitas quàm bello ſubdere gentes. "
Inde potens latè, qua Lupia, qua pater errat
Albis aquis, Albis Ducibus, bello inclitus Albis,

Quaq;

Quaq́; rapax tumido campos ſecat amne Viſurgis,
Iura dedit, donec defectis viribus æger,
Immemor annorum ſeniiq́; oblitus, in hoſtem
Dum ruit, humanos finivit morte labores.
Filius hinc patrii generoſus nominis heres,
Accepit veteres Myſos, terrasq́; regendas,
Quas fluvio Plißina ſuo, quas utilis agris
Irrigat, & ripis formoſus Eliſter amœnis,
Saxoſumq́; ſonans ſpumanti gurgite Sala.
Inde vetus Sponſo genus, & natalis origo,
Heroumq́; domus ſe ſanguine ſcindit ab uno
Heroum, qui præſtantes virtute, ſub Arcto
Iuſtitia rigidas gentes, & legibus æquis
Formârunt primi, vitæ melioris ad uſum.
Hinc quoq; (ſi fratrum ſpectes à ſanguine ſtirpem)
Magnus Otho, date thura Duces, date manibus aram.
Hic vir, hic eſt, cui veſter honos, cui gloria veſtra,
Imperiiq́; decus fuit, & Germania cura.
Proximus innocua populos in pace regebat,
Maxima cui Divûm cultus abolere profanos
Cura fuit, cenſusq́; ideò TIAGRINUS *& ædes*
Conſtituit, magniq́; adiecit ponderis aurum
Illis, qui genus indocile ad meliora vocantes
Sacra propagarent, lumenq́; errantibus eſſent.
Filius huic, primis nemorum ſtudioſus ab annis,
Venatu tolerare famem, brumamq́; ſolebat,
Cornigeros TETMARVS *agens in retia cervos,*
Impiger ex humeris pharetram ſuſpendit & arcum,
Solertiq́; altos cingens indagine montes
Militat in ſylvis, rigidisq́; iraſcitur urſis,

Et foribus rictus præfigit, & horrida terga.
Scilicet ut melius (ſi quando bella vocarent)
Imbribus Hercynioq; gelu duratus & æſtu,
Militiæ poſſet duros perferre labores.
Suſcipit hinc natus rerum THEODRICUS *habenas,*
Marte potens, gleba qui pingues ubere campos
Finibus adiecit patriæ, qua flumine pulcro
Advena fœcundos Unſter perlabitur agros:
Unde etiam ſeri titulum geſſere minores.
Nec DEDO *minus enſe bonus, minus utilis haſta,*
Nec belli tenuit quisquam Dux aptius artes:
Sive opus extenſos metari caſtra per agros,
Seu faciem pugnæ componere, ſive profundas
Subſidio foſſas poſitis deducere caſtris,
Defenſura cavas & propugnacula foſſas.
Hunc conſanguineo pro Cæſare bella gerentem
Mirati ſtupuêre Hunni, ſtupuêre nivoſum
Potantes Tanain gelidiq; Boryſthenis undas:
Omnia cum ferro tumidi prope flumina Salæ
Sterneret, ac caperent vix mœſta cadavera ripæ.
Nec minus in clarum famæ proceſſit honorem,
Nomen avi referens NATUS, *qui patre ſub ipſo*
Prima rudimenta, & primos exegerat annos:
Virtutem primo patris miratus ab ævo.
Appenninigenam fractis hic cornibus Arnum
Contudit, exultans campo bellator aperto:
Sicut ubi torrens, nymbis hyemalibus auctus,
Spumeus, & fervens, inſano vortice ſylvas
Proruit, & meſſes late populatur, & agros.
Nec te magne THIMO *tacitum, natumq; relinquam*

CON-

CONRADUM, *inſignem famâ & præſtantibus armis,*
Marchio qui primus tecum Miſneidos oræ
Victor in Eridani campo, atq; Inſubribus aruis
Auſonium multo complevit ſanguine Tybrim.
Hinc OTHO *ciuili præcinctus tempora quercu,*
Ditibus argenti venis, ærisq; ſcatentem
Fribergam, & Phylires excelſam condidit vrbem,
Inter Hamadryadas Phylire formoſa ſorores
Venatrix, timidis illis in montibus olim
Inſidiis curſuq; feras agitare ſolebat,
Et gravidam iaculis pharetram tremulumq; gerebat
Miſſile, quod liquidas ad Eliſtri creverat undas.
Sed cum virginei ſpolium & decus omne pudoris,
Dum iacet, & dulcem carpit ſecura quietem,
Impius in ſola paſtor convalle tuliſſet:
Non ultra potuit tantum perferre dolorem,
Tabentesq; artus anima indignata reliquit.
Alma ſed inſontis caſum miſerata puellæ
Excepit gremio tellus, tiliamq; virentem
Oßibus ex Phylires, liquidas emiſit in auras.
Nunc quoq; per ripas illic, per mollia creſcunt
Prata per exceltos tiliæ, ſub mœnibus, hortos:
Sæpius & gratas præbent venantibus umbras.
Vnde urbi indigenæ nomen fecêre priores.
Inclitus hinc atavi Theodricus nomen adeptus,
Infelix medici bibit atrum fraude venenum.
Natus adhuc primò cum vix pubeſceret ævo
HENRICVS, *qui poſt factis clariſſimus, omnes*
Egregia proavos poſt ſe virtute reliquit.
Illi, cum ſuperas liquiſſet avunculus auras,

Conditus extrema Ludovicus Iapygis ora,
Pro meritis, Cæſar Fridericus tradidit acres
Tyrigetum populos, titulisq́ illuſtribus auxit.
Belliger hic clarum certamen equeſtribus armis
Edidit, effigiem belli: clangore tubarum
Antra reſultabant latè, monteſq́ fremebant,
Vincentum plauſu pariter, ſonituq́ cadentum.
Campus erat, virides claudebant undiq́ ſylvæ,
Aureaq́ in medio diffuſis frondibus arbor
Stabat, erant aurum rami, folia aurea ramis,
Aureus & cortex, ac ſola argentea radix.
Hanc circum nitidi, precium victoribus, enſes,
Et galeæ inſignes criſtis viridesq́ coronæ,
Nec minus Heroum per gramina mollia, natæ
Candida virgineo quatientes corpora motu
Ducebant choreas, quas inter filia magni
Cæſaris, in thalamos ALBERTI *ducitur uxor*
Margaris, inde ſati FRIDERICUS, *& acer in armis*
Solennes ferro cæſus TIZMANNUS *ad aras,*
Sed profugæ luctus genitricis, & horrida bella,
Dum genitor natos iuſtas irritat ad iras,
(Ah nimium teneri ſtimulis agitatus amoris)
Mens reticere mihi: Sprea ſanguine fluxit, & ingens
Albis, & Herciniis quæcunq́ è montibus orta,
Tyrigetum pingues humectant flumina campos.
Numinis eiuſdem, ne dira licentia ferri
Impunita foret, latronum FILIUS *arces*
Diruit, hinc NATUS, *ſublato patre, rebellem*
Ultus avos, multis implevit cædibus urbem,
Corniger undoſo qua flumine ſtagnat Hieras,

Capraq́

Captaq́; ferratis affixit poſtibus arma.
Quartus in adverſos ultricia ſigna Bohemos,
Pro decore imperii, generoſi Cæſaris ultor,
Movit, & inſigni FRIDERICUS laude potitus
Saxonici clarum tulit Electoris honorem.
Ille etiam curans tranquillæ commoda pacis,
Hoſpitium nobis ad Eliſtri condidit amnem,
Egregiasq́; animos preciis accendit ad artes.
Proximus Arctoi ſpoliis Aquilonis onuſtus,
Impoſuit leges domito FRIDERICUS Havelo.
Tu quoq́; coniugio felix, & prole nepotum
Caſſubios, ERNESTE, ſagittiferosq́; Polonos,
Odera piſcoſo quà labitur amne, coërces.
FILIUS armorum patriam formidine ſolvit,
Felicesq́; petens Solymos, & nobile buſtum,
Vicit iter durum pelagi, & Curetida terram,
Gortynam, Gnoſonq́;, & in æquore Cycladas alto,
Phœbeamq́; Rhodon vidit gentesq́; beatas
Phœnicum, Syriæq́; hortos quà Tigris, & ingens
Labitur Euphrates, cœlo gratiſſimus amnis.
Ille etiam dubiis magno pro Cæſare rebus,
Threicium Auſtriacis avertit mœnibus hoſtem,
Regnatorem Aſiæ, Thracasq́; Getasq́; trahentem,
Et magnas Orientes opes, cùm Norica ſaxa
Et tremerent latè Nymphæ Iſtrides, Iſtrides undæ.
Illum Aponus vidit, celſæq́; Antenoris arces,
In ferrum ruere, & Patavi proſternere muros.
Enſifer hinc, nec fratre minor pietate, nec armis
JOANNES motus compeſcuit acer agreſtes:
Qualiter Arctois Boreas emiſſus ab antris,

Atra

Atra ſerenato depellit nubila cœlo.
Strenuus hinc per ſaxa ruens, per tela, per ignes,
Inſiliit primus Regales mœnibus Albæ,
Inq; expugnato clarus ſtetit aggere victor,
Sublimes tollens aquilas, auſisq; potitus
Muralem querna meruit de fronde coronam.
His ducibus cœlo caput extulit aurea, quæ nunc
Relligio totum ſincera perambulat orbem,
Quam probitas, & ſancta fides comitantur euntem,
Et concors pietas ius omnibus una miniſtrat.
At nomen qua voce tuum, quove inclita facta
Carmine. JOANNES FRIDERICE *binominis, æquem?*
Quæ tibi non laudes, qui non debentur honores?
Pectore magnanimo ſimilem tibi nulla tulerunt
Secula, nulla ferent, dulcem profundere vitam,
Et fortem, cara pro relligione, cruorem
Promtus eras, mortemq; Dei pro laude paciſci:
Commotus nunquam præſentis imagine lethi.
Scilicet accenſum divino pectus amore,
Non vis ulla domat ferri, non fulminis ignes.
Qualiter ipſe pater vitæ, Sol lucis origo,
Sol oculus mundi, cæca ſub nube laborat
Interdum, victis mox nubibus aureus exit.
Macte animo Germano & macte ingentibus auſis,
Sic etiam dilecte Deo, quod mille probatum
Tentatumq; modis, reducem fidiſſima Coniunx
Vidit, & in cara Domini cervice pependit
Ante obitus: dulcem nati videre parentem:
Et nunc in patria cineres tellure quieſcunt.
At veteres inter proavos, cœtusq; piorum,

Spiri-

Spiritus exultat liber, fruiturq́ perenni
Lætitia, æternisq́ bonis diſcrimina penſat.
Salve magne pater patriæ, tua gloria vivet,
Donec in occaſum roſeo volventur ab ortu
Sidera, donec erunt latices Aganippidos undæ.
Inde ſatus fauſto coniungit fœdere tædas „
Sponſus, & illuſtres thalamos iam nubilis intrat „
DOROTHEÆ, *primosq́ parat coniungere ſomnos:* „
Amborumq́ Dei votis concordibus aſſunt.
Iamq́ tubæ cantusq́ ſonant, domus ampla reſultat,
Lætitiaq́ fremunt rupes. Surgamus, & altam,
Aonides, Soceri ſcandamus Principis arcem.
Vt cum rorifero noctem produxerit ortu
Heſperus, ad ſponſæ thalamos Hymenæa canamus,
Felicis bona ſigna thori, & nubentibus omen.
Dixerat, & variis lento de vimine textos
Floribus implebant calathos, ætatibus omnes,
Et facie, cultuq́ pares: urbemq́ petebant.
Tu mihi nunc, qui culta rigas ſpumantibus undis
Arva Nicer (nam te veterum nec facta parentum
Nobile nec patriæ decus ignorare putandum eſt)
Quandoquidem hos prima colles ab origine mundi
Alluis, ipſe genus ſponſæ, patrumq́ recenſe
Facta, Ducesq́ atavos, prohibeq́ ſilentia famæ.
Nam potes & gratum eſt canere, & meminiſſe voluptas.
Sic Remiſus, Iaxusq́, tuum ſic Coccius amnem
Augeat, & ſalices creſcant tibi ſemper & Alni,
Qua virides inter Rheno confunderis umbras.
Sic ego: tum lato madidum caput extulit antro
Cæruleus Nicer, & molli viridantia muſco

Tem-

Tempora concutiens. His orti montibus (inquit)
(Dicam equidem, nec te longo ſermone morabor)
Magnanimi Heroës quondam, melioribus annis,
Fundarunt urbes populis gentemq́; comatam
Iuſtitiam docuêre ſequi, nec temnere Divos.
Splendida ſed tenebris involuit geſta vetuſtas
Quandoquidem, quamvis populis opibusq́; potentes,
Sacrorum dulci caruerunt munere Vatum:
Munere, quod fragilis perfunctos munere vitæ
Diis æquat ſuperis, & læto nectare paſcit.
At Sponſæ (ſi prima domus quæratur origo)
Inclita Francorum ſeries à ſanguine manat,
Et genus, & generis priſci numeroſa propago,
Sed neq; tum colles iſtos, non iſta colebant
Rura atavi: ſed quà fluvio premit arva ſonanti
Danubius quaq; Herciniis è montibus orti
Danubium ſupra Nabus, & Regus influit infrà,
Quaq; vides ſolem labens Pegneſſe cadentem.
Maximus hinc ortus, ſævos Lutholdus in Vgros
Et peditum cuneos, & turmas duxit equeſtres,
Claraq; tranſcendens maiorum facta ſuorum,
Infeſtum domitis compeſcuit hoſtibus Iſtrum,
Pannonioq; Anaſi complevit ſanguine flumen
Aureus in clypeo veterum geſtamen avorum
Ardebat, vaſtosq; leo pandebat hiatus,
Nec minor ARNOLPHVS bello, nec NATVS eo-
Nomine. Diis animæ ſimiles: vidi horrida vidi (dem
Prælia, cùm pulcram peterent per vulnera mortem.
Tranquillos in pace obitus, ignobile fatum
Credebat, patriisq; Hunnos ducebat ab oris,

Spe regni profugus flagrans WERNERVS *aviti.*
Primus in aduerſos ibat, pugnamq; ciebat,
Quoq; loco melius ducendus & ordine miles
Noverat, & magnis aderat vis inſita verbis.
Quas Lycus in ripa pugnas, quæ funera denſis
Stragibus arctatus vidit? quà dividit acres
Vindelicos, Rhetoſq;, quot intumulata virorum
Corpora Danubii ſpumantibus intulit undis?
Qualiter in trunco flammas ſi fortè relinquit
Ille domum ſero rediens iam veſpere paſtor,
Tempeſtas ſi nocte, Euris ſurgentibus, orta eſt:
Omnia pervolitant ignes, it turbine vaſto
Flammarum torrens ſylvas effuſus in altas.
Ordine tres illis vos ſucceſſiſtis OTHONES,
Præſtantes animis, factiſq; illuſtribus omnes.
Quos inter ſævis excellens tertius armis,
Per varios pelagi tractus per inhoſpita longè
Littora, littoribus multum diſtantia noſtris,
Sideribus, remiſq; auriſq; ferentibus uſus,
Europa è magna multis comitantibus Heros,
Antiquos petiit Solymos, Cedroq; virentes
Palmiferi colles Libani: tunc inclita rurſus
Acta ſub Imperium Solyme: tunc Aſcalo, & ipſa
Quæ toties Vatum celebratur carmine, Bethle,
Gazaq;, & æquoreis Iope quæ tunditur undis,
Hadriacis Iope ſtatio gratiſſima nautis.
Felices animæ, quibus illo tempore naſci
Contigit, & magnum pariter dare vela per æquor,
Et fortunatum ſpoliis decorare ſepulcrum.
Crediderim colles ipſos, montemq; Sionis

Ar-

Ardua gratantes iactaſſe ad ſidera voces,
Cum iam victor ovans, poſitis exercitus armis,
Procumbens ſanctæ pronus daret oſcula terræ:
Fulgeretq; crucis paſſim venerabile ſignum.
Poſt OTHO pacis amans, & maximus alter ab illo
Filius, inſignis bellator, Iapyge fertur
Per Latium, ſublimis equo, qua turbidus auro
Abdua, qua lento fœcundos agmine campos
Ollius, Heſperidumq; ſecat regnator aquarum
Eridanus, tenera qua cinctus arundine crinem
Mincius, & rapidis Atheſis devolvitur undis,
Amnis & à Gallis Italum qui ſeparat orbem.
Primus in hos, ſexti genitor LVDOVICVS OTHONIS
Migravit colles SEPTEMVIR, & ampla reliquit
Et NATO, & ſeris regnanda Nepotibus arva.
Inſignes ambo virtutibus, artibus ambo
Pacis, & armorum ſtudiis. Pater indole gaudet
Egregiæ ſobolis, nec diſplicet æmula virtus.
Tunc ducibus primum claris habitabile Saxum
Hoc fuit, extremæ quod deſuper imminet urbi.
Hic ortus LVDOVICE tuos, cui maxima rerum
Verborumq; fides, hic incunabula vidi
RVDOLPHI, primos hic egit FILIVS annos,
Sæpe fatigatis ſudorem flumine puro
Abſterſi, fovíq; undis, & lenibus auris:
Seu ſpolia ampla domum bellando parta referrent,
Seu nemorum exuviis læti prædaq; ferarum,
Venatu ſera feſſi iam nocte redirent,
Munera per ripas ſemper ſuſpenſa videbam,
Setigerum caput aut apri, vel cornua cervi,

Hinc pius Aoniis Dux condidit atria Muſis,
Perculſus dulci RVPERTVS *laudis amore.*
O decus, ô nullos unquam reticende per annos,
Fortunate ſenex. Tibi ſe debere fatetur
Poſteritas, patriam tu doctis artibus ornas,
Ingenuosq́; iubes regnare per oppida mores.
Ante vagis tantum notus paſtoribus ibam
Per nemora, & valles, piger atq́; ignobilis amnis.
Nunc Rhenus mihi, nunc Viadrus, nunc Iſter, & Albis
Aſſurgunt, cinctæq́; hederæ mea flumina circum
Aonides choreas agitant, & carmina dicunt:
Inflat & argutas non Tityrus unus avenas.
Fortunate ſenex cœlo tua numina tollit
Gloria, quæ latis mundum circumvolat alis.
At niſi munificus Muſis ea dona dediſſes,
Heu quibus in tenebris, quanta ſub nocte iaceres
Flebilis & penitus caligine conſitus atra?
Illi etiam Nemetum in campis, bis munere Divûm
Uno parta die magno victoria plauſu.
Bis victi cecidêre hoſtes, ac terga dedêre.
Imperii poſt hæc nato conceſſa poteſtas,
Quis templis urbem, donisq́; ingentibus auxit,
Muſarumq́; fovens hortos, & amœna vireta,
Dulcia RVPERTVS *patriis dedit ocia terris.*
Et Latio tandem Tuſcoq́; reverſus ab Arno,
Longævus curis mortalibus exuit annos.
At proavos ſuperans, ſceptris adiunxit avitis
Dotales STEPHANVS *populos, genteſq́; feroces.*
Qui Lutram, Saramq́; bibunt, quorumq́; per agros
Spumeus undoſo declives gurgite curſus

Digitized by Google

Extendit Rhenus, Vogeſiq; è rupibus ortus
Iam dominum prono Rhenum petit amne Moſella.
Hinc patri FRIDERICE *ſubis, natumq; relinquis*
JOANNEM, *cuius de ſanguine dictus eodem*
Nomine tranquillas ad pacis idoneus artes
FILIUS, *implevit magnum virtutibus orbem,*
Iuſtitiæ cultor, iuriſq; miniſter, & æqui.
Ipſa ſuas illi natura recluſerat omnes
Dives opes, cœlumq; animo ſublimis adibat,
Stellarumq; obitus, ſtellarum noverat ortus,
Atq; ſalutiferas propriis cum viribus herbas,
Quid ſterile Aſplenum, quid læta Syſimbria poſſint,
Et menthæ virides, & odorifera Calaminthæ.
Bugloſſusq;, Thymusq;, Lupiq; volubile gramen,
Iamq; decem numerans actæ ſexennia vitæ,
Bis tribus adiectis, robuſtus & integer annis,
Cœleſtes petiit ſedes, quas luce perenni
Æternis Opifex rerum fulgoribus implet.
Is denſis obſcura ducum monumenta tenebris
Eruit & totam ſtirpem, laudeſq; parentum,
Ire per ætates iuſſit, perq; ora nepotum.
Nunc virides Rheni tractus, ſortitus honores
Et titulos atavi (ſic arbiter omnia iuſtus
Tempora diſpenſat Deus, atq; in priſtina reddit
Sæpe Ducum ſobolem) magna cum laude gubernat
Inclytus, & populo FRIDERICUS *amabilis omni.*
Cuius, adhuc annis vix pubeſcentibus, Iſter
Signa ſagittiferæ contra Mahometica Lunæ
Egregiæ ſpeciem virtutis, & indolis altæ
Primitias vidit, bellatricemq; ferentem

Digitized by Google

Per turmas aquilam, validæ ſtupuêre cohortes.
Macte rudimentis Princeps, Dii noſtra tuentes
Præſidia, ad veterum te ſervavêre parentum
Imperia, & placida terras in pace regendas,
Annorumq; moras fortuna beatior implet.
Qui vigor ingenii? quantus ſub pectore fervet
Doctrinæ cœleſtis amor? quam vita ſuorum
Cura Ducis? doctis quæ confert præmia Muſis?
At torvos ſi quando ruit venator in Apros,
Et belli ſimulacra ciet, ſylvaſq; fatigat,
Arduus alipedem curru Phaethontis inuſtum,
Herbifer eduxit, quem Mincius Andide ſylva
Concitat, ille volans argutas erigit aures
Sublata cervice. ſimul pernicior Euro
Crura per apricos glomerat ſinuantia campos.
At natos, clari ſpectantes facta parentis
Splendida magnificæ ſtimulat virtutis imago,
Speq; nova tanti lætatur ſanguinis orbis,
Hoc genus, hæc ſponſæ vetus eſt nubentis origo.
Sed iam ſol rapidos ſuperingerit altior æſtus,
Dum loquor. & tactus radiis incanduit aër,
Iamq; tubæ, lituiq; ſonant: procedit ad aras
Sponſus, ut Auſpicibus firmet connubia divis.
Finierat Nicer, inverſa tum protinus urna
Inſonuit, fluctuſq; novos emiſit aquarum,
Cornuaq; occuluit vitreis taurina ſub undis,
Cornua flumineo ſemper viridantia muſco.
Fortunati ambo, natiq; faventibus aſtris,
Et virgo fœlix, & fœlix virgine princeps,
En virides Titan meliori lumine montes

Irrigat, & cœlum diſcuſſa nube ſerenat.
Et placidæ geminis gratantur amantibus auræ.
Ipſa novos tellus ſubmittit Dædala flores,
Flexibiles hederas, & Eryngion utile nuptis,
Cuius flore Phaon, & noto germinis uſu,
Dulcia promeruit Permeſſidos oſcula Sapphus,
Secretum ſpinis quod Eryngion horret acutis.
Has nova ſeu gremio fert Sponſa, vel occulit ore,
Illicitos nunquam coniunx meditatur amores.
Qualis in exculto genialis Amaracus horto,
Candida fontanis quam nutrit Hamadryas undis,
Surgit, & ambroſium latè diffundit odorem:
Sic teneræ vernans iucundo flore iuventæ
SPONSA *nitet, molleſq; roſas & lilia vincit.*
Lucidus è collo gemmæ Garamantidos ignis
Irradiat, vaſtiſq; pedes deſcendit ad imos
Aurea. flaventes tegit aurea vitta capillos, "
Aureaq; è niveo redimicula pectore pendent. "
Sed pudor, & probitas, & honeſtas regia cultum "
Vincit, & exuperat caſtæ reverentia famæ, "
Sordet enim niſi coniunctum virtutibus aurum. "
Illius aſpectu flagrantia lumina paſcit
SPONSUS, *in æſtivo rapidus quem pulvere Moſa,*
Somniaq; Heroum multa inter millia vidit.
Dum fretus ſuperis & equo ſublimis & haſta
Fulminat, & magno ductor clamore triumphat,
Lætaq; tranquillo circumſpicit agmina vultu:
Qualiter auroræ formoſo prævius aſtro
Lucifer ardentes nitidiſſimus explicat ignes.
Iamq; dies iucunda fuit, ſimul ordine longo

Digitized by Google

Accumbunt epulis proceres, lucemq; morantem
Mollibus aut choreis, vario certamine condunt.
Et iam permenſus cœlum Sol occidit, & iam
Montibus è celſis maiores ſuſcitat umbras,
Obſcuratq; ignes ſtellarum Luna minores.
Ecce leves atro crepitantes ſulphure flammæ
Subvolitant, rutiliq; petunt ſpacia ardua cœli,
Et rapidis vacuas implent ſtridoribus auras.
Sit felix fauſtumq; precor: Jovis ales ab alto
Præpetibus plaudit pennis, omenq; ſecundat
Alituum regina, Pater dum magnus euntem
In thalamos ducit natam, fortiq; paventem
(Ante Deos ſacrumq; thori præfatus honorem)
Commendat genero, lectoq; relinquit in uno
Coniunctos, dictisq; ambos ſolatur amicis.
Interea lauro cinctæ Parnaſſide Muſæ,
Ante fores, dulces in gyrum fundere cantus
Incipiunt, princepsq; chori, comitumq; ſuarum
Calliope doctas præcedit voce ſorores.
Lucidus Oceani natales Heſperus undas
Deſeruit, tædas portans, noctemq; iugalem.
Iam caris Domini formoſa quieſcit in ulnis
Dorotheë, primos iungens cum coniuge ſomnos.
At vos innuptæ, quibus intemeratus amantum
Lectus, & interior thalami concredita cura eſt,
Ominibus, votisq; bonis, cantuq; ſecutæ,
Dulcis ut æterno concordia fœdere regnet,
Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Qualiter igne Jovis ſi tacta exaruit Vlmus

Nuda, carens foliis, culti iam dedecus horti,
Non teneras ultra vites non amplius uvas
Educat: at rapidi niſi fulminis ira fuiſſet,
Curvarat gravidos autumni munere ramos.
Innuba ſic, vita dum cœlibe virgo ſeneſcit,
Ætatis roſeum videt emarceſcere florem:
At caro deſponſa viro, ſua pignora mater,
Spectat & optato genitricis nomine gaudet,
Et thalami cunctos ſolatur honore labores.
Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Fallimur? an noſtras vox turturis attigit aures?
Turtur amans ſola gemit & ſuſpirat in umbra.
Huc ades ô mea vita, tibi ſub montibus iſtis
Oſcula & amplexus, ſecretaq; gaudia ſervo,
Partheniiq; udo iam flos tibi creſcit in antro.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Vos auræ, quarum domus eſt circumfluus aer,
Solis & umbrarum comites, dum Syrius ardet
Fervidus, & certas populis denunciat iras:
Vos lenite graves gelidis afflatibus æſtus,
Et vitium cœli ſævoſq; avertite morbos,
Et facite ut noſtris propria hæc ſint gaudia terris.
Hymen, ô Hymenæe Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Tu quoq; ſancte ſenex, cuius iam lumen in ortu
Cernimus, inſignemq; aſtris fulgentibus arcum,
Quandoquidem ſuccos fama eſt te noſſe ſalubres,
Herbarumq; parens monſtravit Phylliris uſum:

Quæ

Digitized by Google

Quære novos flores, nuptæ quibus inclyta Mater
Amiſſum reparet pulſo languore vigorem.
Hymen ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Eſte unà, dulcemq; unà producite vitam
Dum licet, ac parvos Aviæ tranſmittite natos.
Omnia nam magno labentia ſidera cœlo
Venturos meliora iubent ſperare nepotes.
Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Fortunate ſocer, novus alti ſanguinis ordo
Naſcitur, unde genus maternum ſera propago
Francorum primo regum numerabit ab ortu.
Vos quoq; felices ſocero, ſublimia fratres
Pectora, quos ſtabili iungit concordia nexu:
Sic (reor) alternâ quem morte redemit ab orco,
Tyndarides, fratrem dilexit Caſtora, Pollux.
Vos colimus, veſtramq; Duces, dum cuncta relinquunt,
Imploramus opem: nec vos iuviſſe pigebit,
Quas veſtri fovêre Atavi, fovêre parentes,
Præcipuè dignas magnis Heroibus artes.
Acre ſed inprimis ſtudium pietatis, & almæ
Juſtitiæ, paciſq; bonæ ſub pectore regnet.
Quandoquidem curam Princeps ubi negligit æqui,
Sunt mutæ veluti defuncta cadavera leges.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen: ades ô Hymenæe.
Nox ruit & placidos iam ſuadent ſidera ſomnos,
Jam ſecura quies Lethæa papavera quaſſans,
Aëris immenſi tractus, & proxima lunæ

Regna tenet, pelagiq́; ſinus, terraſq́; iacentes,
Et volucrum genus omne ſilet, genus omne ferarum,
Somniaq́; humanas ſolantur inania curas.
Ipſa ſibi cultis nova Nupta videtur in hortis,
Mollibus aut pratis, aut in convalle virenti,
Narciſſum, Thymbramq́;, roſamq́;, & molle Liguſtrũ,
Et mites uvas, & ſuavè rubentia mala
Carpere, dilecto iucundum munus amanti,
Candidaq́; aureolæ contexere lilia Calthæ.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
O quoties tibi nocte virum, ſeu bella gerentem
Horrida, ſeu deſerta feras per luſtra ſequentem
Afferet in ſomnis, volitanſq́; reducet imago.
Ille ſed in caſtris, nudóve ſub æthere pernox
Aſpera robuſto geſtat venabula collo.
Hymen, ô Hymenæe Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Dulcis Hymen, tibi nos meritos largimur honores,
Et nomen laudeſq́; tuas celebramus ovantes.
Salve magne Nicer populi lætentur & urbes,
Et gelidæ valles gelidiq́; in vallibus amnes,
Quos tantis ſuperum Rector dignatur alumnis.
Iam liquidum ſacro commixtum Nectare rorem
Sudabit cœlum; ſudabunt balſama ſylvæ,
Pinguia flaveſcent iniuſſis meſſibus arva,
Nataq́; ſponte ſua mirabitur hordea tellus.
Hymen ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Finierant, ſonuêre novis applauſibus arces:

Dorotheen rupes ipſæ, vaga flumina clamant
Dorotheen, iuga Dorotheen vicina remittunt.
Tum pater omnipotens ter ab æthere Juppiter alto
Intonuit, cœloq́ dedit bona ſigna ſereno.
Altaq́ per celſos ſunt facta ſilentia montes.

IN NUPTIAS IOHANNIS GULIELMI DUCIS SAXONIÆ, &c.

Vos Nymphas voco, vos voco ſorores,
Quæ veſtris cupitis probare votis
Sponſo multiplicem novo favorem.
Huc ſuccedite, & hic ſimul manete.
En aſtat velut Heſperus ſerenus
Princeps militiæ, togæq́ laude
Inſignis, patriæ decus faventis:
Et vobis aditum facit benignus.
Jam vobis licet eloqui diſerté,
Quidquid libera ſuggerit voluntas.
Mox in principe quam beata res ſit,
Lucens è bonitate fortitudo
Vobis perſpicuè omnibus patebit:
Vobis eximiè omnibus placebit.

CALLIOPIUS.

EDite Saxonicæ Princeps de ſanguine gentis,
Conſtantis laudem qui gravitatis habes:
Cum tua te virtus multis Heroibus æquet,
Et celebre inſigni nomen honore ferat:
Grata tibi meritæ cuperet decernere laudis
Præmia, coniugio patria læta tuo.
Sed melius facient hoc docto carmine Vates,
Tu quibus optati cauſſa laboris eris.
Nunc chorus hic humilis Sponſo ſua munere defert,
Coniugioq́; addit proſpera vota tuo.
Hæc quoq; debebis Muſis fortiſſime Princeps:
Non ſinit Heroes iſte latere chorus.
Da veniam: non eſt vivax ſine carmine Virtus:
Hanc rude non multo tempore vulgus amat.
Quem referunt Muſæ vivit, dum ſcripta leguntur
Nomen & à ſerie poſteritatis habet.
Tu quoq; cum Graio Gulielme legeris Achille:
Carmine dum poterit Muſa Latina loqui.

PATRIA.

HAnc libram, hunc enſem tibi patria dono micantē:
Juſtitiæ quoniam munus utrumq; colis.
Te patria ſalvum, patriæ tibi ſervit amorem,
Maieſtas placida cum pietate potens.

GLORIA.

OFfero vivacem Princeps tibi gloria Laurum:
Aſſenſu quoniam digna favente geris.

Perge.

Perge facem meritæ generoſæ extendere mentis:
Quæ venit ex merito gloria, digna venit.

BELLONA.

Squana te pulchris pridem miratus in armis,
Hæc donat meritis arma probata tuis.
Fallor? an arma ſonant, iamq́ altera navigat Argo?
Te duce pacati Rhenus, & Albis erunt.

PAX.

PAce frui liceat. belli fortuna maligna eſt:
Et decet iſta tuas mitis Oliva comas.
Pace coluntur agri. patet alti ianua cœli:
Crede, ſolet bello rara venire ſalus.

CHORVS VIRTVTVM.

PHaſidos ad ripas alter mittendus Iaſon,
Arma potens Getici qui domet hoſtis erit:
Hanc Argo tibi donamus. ſcit cætera fatum,
Nulla latens virtus præmia vera feret.

CHORVS MVSARVM.

HAnc tibi viticiam ferimus de fronde coronam:
Quæ ſpecimen caſti pectoris eſſe ſolet.
Caſta Deo mens eſt gratiſsima & inclyta virtus
Non niſi de caſta mente venire ſolet.

CHARITES.

TRes bonitate pares, & libertate ſorores,
Mens quibus eſt eadem ſemper & una fides:

Eridis

Eridis obrito tibi nectimus aurea pomo
Vincula, coniugium ſit ſine lite tuum.

PIETAS.

DE cœlo veniens cœli tibi munera porto,
Noticiamq; Dei, Iuſtificamq; fidem.
Quod facis, his animo Princeps aſſueſce ſereno,
Crede mihi, maius nil tibi terra dabit.

CALLIOPIUS.

MAgna quidem de te Virtus præconia fecit;
Quæ ſolet ingenuis mentibus eſſe comes:
Nec velit eſſe tuis quiſquam de æqualibus alter,
Invideat, Princeps, qui tibi tale decus.
Vivere nam iuſtè rebusq; humaniter uti,
Quas hominum largus ſparſit amore Deus:
Fortiter audere, atq; ubi res & tempora poſcunt,
Atq; etiam vigili mente tenere modum:
Hæc adſueta tui ſtudii, & documenta laboris,
Laude tibi dignum nomen ad aſtra ferunt.
Sed decus hoc maius: caſto quòd pectore verum,
Sinceraq; colis relligione Deum:
Huncq; Ducem ſequeris verbi te luce regentem:
Qui verbo hæredem te facit eſſe ſuo.
Vt Deus hanc in te virtutem roboret author,
Auxilium vitæ providus ipſe dedit:
Et ſocia, & pars eſt coniunx dilecta mariti,
Dimidium vitæ quam iubet eſſe Deus.
Ergo bono hoc veſtro pariter ſibi patria gaudet,
Cùm poßit iuſto principe quiſq; frui.

Publi-

Digitized by Google

Publica res Princeps, communia vota piorum
Poſcit, & hæc ipſi eſt grata Deo Pietas.
Vota igitur facimus: veſtri ut concordia lecti
Imperio cumulet commoda vera tuo.
Irrita nec vox eſt votis coniuncta piorum:
Non caret effectu quod pius optat amor.
Tu pacem, tu bella reges, grata urbibus addes
Ocia, tu populis iura colenda dabis.
Illa tuæ obſervans ſapiens veſtigia laudis,
Exemplo inſtituet pignora chara tuo:
Accreſcent teneri dulciſſima germina nati,
Fœlicesq; tuæ nomine laudis erunt.
Iamq; ſimul diſcent reptare per arma parentis,
Omneq; cognatæ laudis amare decus:
Et ſtudia Aonii mirati dulcia campi,
Erudient veris pectora caſta bonis.
Annuat ætherei ſpectans è vertice cœli
Larga Dei, atq; hominum gratia ſemper amans:
Et longæva trahens fœlicis tempora vitæ
Sufficiat veſtro proſpera fata thoro.

AD EUNDEM.

QVæ tibi Saxonicis cataphracto nuper in armis
Militiæ cecinêre decus, fortiſſime Princeps
Dux Gulielme, tibi Sponſo nunc caſta togato
Coniugia hoc etiam gratantur carmine Muſæ.
Pictor ubi ingenio celebris qui præſtat, & arte
Ad vivam expreſſa conatus imagine formam

Fingere, ſollicitè ſpecioſius omnia reddit,
Exornatq́; magis, dum linea ducta probatam
Abſolvit faciem, nativum imitata colorem:
Sic mens caſta viri generoſo in pectore regnans
Surgentem magis attollit, pulchriſq́; decoram
Officiis vitam conformans, moribus ornat;
Omne Deo, donec decus aſpirante, beatum
Abſolvat faciatq́; virum, qui conſulat ævo.
Inde animi vigor, & rectæ non improba mentis
Dexteritas, veriſq́; bonis addicta voluntas:
Omnia quæ certa ratione negotia tractant,
Obſervantq́; Deum; ne turpis opinio verum
Obtenebret, neve impietas fucata ſubornet
Conſilia, & levitas cum pondere pugnet honeſti;
Te quoq́; cum talem Muſæ mirentur amentq́;
Immortale feres Muſarum munere nomen.
Ergo vale, & ſtudiis faveas Dux optime noſtris.

IOH. STIGELIUS.

IN NVPTIAS SECUNDAS
ILLVSTRISSIMI
Principis

JOANNIS
ERNESTI, DVCIS
SAXONIÆ, &c.

ET

CHRISTINÆ VVILHEL-
MI HASSIÆ LANDGRA-
VII, &c. FILIÆ,

JAN *Princeps ERNESTVS amans pietatis avitæ eſt,*
(Erneſti *proprium, charos coluiſſe parentes,*
Erneſto, *virtus, pudor, ars, pax, Gloria, cordi,*
Erneſtum *decet eſſe malis, ex lege, Severum,*
Erneſte *ô mitis clemensq; inſontibus, in te*
Erneſto, *ſtudium acre ſtupet, cum marte, Diana)*
Illuſtri Haſſiacâ dignus ſponſaq; thoroq;
Poſteriore novo, nec non hærede futuro,
Haſce tuas tædas, ſi (ſed quid vota) videret,
Cum Patre, Mater ovans animis in vertice cœli,

Ante

Digitized by Google

Ante Dei faciem, ſine fine, levanſq; dolorem
Hîc exantlatum placidè, cum laude perenni,
Gaudia conciperet quæ tum, quos pectore plauſus?
Solveret hæc coràm, quas, quas grateſq; preceſq;?
Affectus tibi notus adhuc, devotio nota,
Oſcula nota, dedit quæ quondam, teſte potenti
Auſtriaco regno, comitatu teſte celebri.

Fallor an ex altis audita eſt talia cœlis
Fundere vota: (manet nunquid poſt funera στοργή?)
Fili chare, meum cor ſuave, ſerena voluptas,
Non equidem renuo, te nunc ſarcire cubile
Hactenus heu vacuum viduumq;, ſed opto precorq;,
Sic tua ſic mœſtum fax mutet idonea lectum,
Atq; domum veſtram ſic corrigat altera coniunx
Succedanea, vel nurus, acceptiſſima nata,
Nempe tui requies ut ſit per blanda laboris,
Nempe tuæ curæ ſemper perdulce levamen,
Nempe tui luctus ὦ μέγα, *ſed* ἄλφα *trophæi,*
Sit tua dimidia & pars una, domeſtica Mater,
Sit radix Sobolis, ſpes poſteritatis, aſylum
Sit cruce preſſorum, fautrix, ſolamen, alumna,
Ceu valeo, cum patre tuo, SOCEROQ; SOCRUQ;
Cœleſtiq; choro, ſaltem permiſſa, perinde
Coniuge cum chara, charo cum fratre, valeto.

I *pſe hic* FRATER *(ades ſponſa illuſtriſſima ſponſa:)*
O *ptat ad hæc omnem ſanctiſſima cœpta ſalutem,*
A *ffinem fore ſe promittit, in omnibus æquè*
N *on tantum lætis, verùm quoq; rebus in arctis,*

Digitized by Google

C onſtantem, ſolidum, ſincerum, ex aſſe probatum:
A urea maſſa quidem, cum gemmis, res precioſa eſt:
S ed tamen eſt longè melior theſaurus, Amicus
I ngenuus, dilectus. At eſt hoc tempore rarum.
MIRVM contingens, CASV teſtante, ſtupendum,
I nter mille viros, quos iures eſſe fideles,
R eſpectu generis, reſpectu frontis & oris,
V ix unum invenias rectum labentibus annis,
S ic ruere in peius fataliter omnia cernis.

Ipſe hic Sponſus (ades ſponſa, anguſtiſſima ſponſa)
Heros magnanimus, patriæ pater optimus. (ipſos
Prætereo AGNATOS plures, brevis eſſe laborans)
Ardentem cordis thalamum, quid non amor? Ulnas
Pandit ad amplexum cupidas, & talia fatur:
Heroina veni, ſanguis, caro, vita, medulla;
Divitiæ vel delitiæ, lux, fama, corona,
Caſta, venuſta, nitens, bona relligioſa, pudica,
Candidior cygnis, hederis formoſior albis,
Floridior pratis, maturis dulcior uvis,
Solibus hybernis, æſtivis gratior umbris,
Inceſſu Dea, lingua Sappho, lumine Luna,
Mente Judith. Suſanna fide, Lucretia vitâ:
Heu philomela veni dulcis mitisq; columba,
Vulnus alo venis, vulnus ſanabis Amica,
Da mihi te totam, rurſus me do tibi totum,
Sunt mea cuncta tua, & tua ſunt mea cuncta, vigore
Dextrarum, ſine te, mihi lumen triſte recedit,
Sed manet hoc per te, ſine te, mihi ſpiritus exit,
Vita ſuperſtes erit, per te, mihi, vita perennis.

Ipſi Saxonici proceres, capita atq; columnæ,
Grex quoq; vulgaris, fæx infima, cordibus imis,
Submiſsis animis (talis reverentia, talem
Et dominum decet, & Dominam decet, agnita rectè)
Suppliciter flexis genibus, cunctisq; paratis
Obſequiis ac officiis, & veſtibus ultrò
Suppoſitis, aris incenſis Thuris odore,
Hæc vobis optant imitamina myſtica Rutæ:
Ruta velut viſum reddit medicabilis acrem,
Cernite ſic oculis, quid Iuris, ſemper acutis.
Ruta venenatas ceu res, & toxica pellit,
Pellite ſic oris à veſtris noxia quævis.
Ruta velut bruma nec non æſtate vireſcit,
Sic gerite in terris ac cœlis florida ſerta.

HASSIA.

EST CHRISTINA *Ducisſa ſacris addicta loquelis,*
(Chriſtinæ COMES *est Chriſtus, ſpes, obſes, & hoſpes,*
Chriſtinæ placet integritas, benè conſcia vitæ,
Chriſtinam meritò virtutum nuncupo matrem,
Es Chriſtina manus, pes, lux, medicina miſellis,
A te Chriſtina tremit & fugit impius ordo)
Saxonico illuſtri ſponſo, thalamoq; ſecundo,
(Conſilio, noſtros ſapienter ad apta regentis
Conatus eventa, Dei, vi flaminis almi)
Digna ſatis, denſa ſanaq; propagine digna.
Quod tibi, ſponſa potens, à Chriſti *nomine dicta,*
Quod tibi, gratatus flammâ cœptoq; iugali,

Exſtimulante, tuus Genitor, Genitrixq; *fuiſſet,*
(Egregia illorum quis neſcit facta? quis omnes
Enumerare poteſt laudes? quis denegat ampla
Regna, parata prius quam tellus condita iuſtis?
Quis non æthéream ſimul hanc aſpirat ad aulam?)
Hoc faciens, iunctis cum compare prole, Sorore,
Ac conſanguineis centum, centumq; Monarchis,
Germanus FRATER, *frater fortiſſimus, infit:*

M *acte novo ſplendore, ſoror chariſſima, macte,*
A *d tua cœpta precor, niveam præſentia ſortem,*
V *ade bonis avibus felicibus utere fatis.*
R *ara tuum pectus* crux, *aut* crux *nulla fatiget,*
I *mmemor haud noſtri ſis immemor haud ero quovis*
T *empore, præſertim duro, ſed Numina parcant,*
I *pſe ero* MAVRITIUS, *vel* Mars *ero damna repellẽs,*
V *el* MVRVS *propior, iucunda vel* AVRA, *vel* AVRIS
S *edula, crede mihi, ſoror ô mellita, valeq;.*

Ipſa deinde favens tibi, ſponſa ampliſſima ſponſa,
Altior acclamat Generoſa *corona virorum,*
Nec non inferior communis *turba clientum:*
I decus, i noſtrum præſtans genus, eſto, (paterni
Inſignis iuxta documenta, ſed abdita) Sponſo
Sceptrifero, vel ſemideo, cum principe, ſtella,
Stella micans pietate, fide, virtutis honore,
Pectus habe intrepidum, cum ſors adverſa Leonis,
Sic Clypeus, galea, & caſſis, ſcutumq; clientum,
Sis Folium viridans, ſis Cornucopia dives,
Ut præcedit oves Caper, & ſua vellera confert,

Sic prælustre tuum ſequitur plebs ſubdita ponè
Exemplum; miſeros lanâ ſic induis artus,
Nam Chriſtina *benigna parens, non Barbara dura es,*
Parca Noverca feris longè inclementior urſis,
Poſt AQVILÆ *plures annos, & ſecula plura,*
Scande ALIS *fidei pernicibus aſtra, triumphans*
Erige per CHRISTUM CRISTAS, *ſine labe coruſcas.*
Deniq; gratatur ſponſis illuſtribus AVTOR,
Qui Thuringiacus, patris ob cunabula, Saxo,
Cuius ad expertos appellat vita patronos,
Cui nil poſterius, cui nil prius arte forenſi,
Quem iuvat aulai curam geſſiſſe fidelem,
A quo, Falſa procul, vobis tutantibus, ora.

WER. GIGAS LUNEB.

De Coniugio
IVLII DVCIS BRVNSVICENSIS,
ET
HEDVVIGIS FILIÆ ELECTORIS BRANDENB. IACHIMI II.

Care Deo Princeps, Guelphorum certa propago,
Quis tibi non promptus laurea dona feret?
Cum faveat ſacris tua mens heroica Muſis,
Et cupiat doctos inter habere locum.
Qui colit Aonidas, venerandaq́; numina Phœbi,
Participem noſtri muneris eſſe decet.
At mihi ſit quamvis non dulcis gratia venæ,
Nec fluat ad numeros copia larga meos:
Attamen amplectar quâ te pietate fideq́;,
Simplice me ſtudio ſignificare iuvat.
At vulgata minus, minus & peregrina canemus,
Sed genitum veſtrâ ſtirpe domoq́; Ducem.
Scilicet inſignem Guelphum: qui nominis huius
Sextus in hâc ipſa nobilitate fuit.

Ut fuerit divi Conradi Cæſaris hoſtis,
Utq; Suevorum ſit populatus humum.
Utq; mora belli tandem ſuperatus & armis,
Tradiderit domino mœnia cœpta ſuo.
Utq; ſub extremam tanti certaminis horam
Coniugis ereptus ſit pietate ſuæ.
Digna cani pietas, pietas digniſſima cœlo,
Tu mihi materies carminis huius eris.
Sed prius hoſtilis referam primordia belli,
Et qua ſit ſerie res agitata, canam.
Rogerius, Siculas, qui geſſit ſceptra per urbes,
Huius diſſidii maxima cauſſa fuit.
Namq; Rainaldo fatali morte perempto,
Iuſtitia Calabros qui moderatus erat:
Hic invaſit opes, quibus eſt Apulia felix,
Et Salentinos milite preſſit agros:
Fortia ſed metuens Romani Cæſaris arma,
Te ſibi fœderibus iungere Guelphe parat.
Nec mora: legatos mittit, qui talia firment,
Et moveant animum, Dux generoſe, tuum.
Hinc monet, ut contra Romanum ducere Regem
Agmina (ſe nervos ſuppeditante) velis.
Non fuit hoc fruſtra: quod Cæſaris ante poteſtas
Præcipuè Guelphis invidioſa foret.
Ergo viros ſub ſigna vocat celeberrimus heros,
Nota quibus duri prælia Martis erant.
Et fortes conſcribit equos, Siculumq; ferocem
Admovet, & vires Auſonis ora tuas.
Hunc quoq; Pannoniæ Rex auxiliaribus armis
Adiuvat, & belli ſumptibus addit opem.

Digitized by Google

Suevia iam dudum totis exterrita campis
Dicitur ingenti contremuiſſe metu.
Mox etiam latè graſſari fulmina Martis
Vidit, & exuſtas flevit ab hoſte caſas.
Magnanimus contrà turmas educit equeſtres
Cæſar, & haud ſegnes ad fera bella manus.
Claßica nam quoties diro clangore ſonabant,
Cæſare non ipſo promptior alter erat.
Viribus invictis igitur pugnatur utrinq;,
Tingitur & roſeo ſanguine pinguis humus.
Nec tamen eventum belli cognoſcere promptum,
Sæpius ambiguo Marte furente, fuit
Dum prope Winſbergum tandem victoria Regi
Annuit, & cauſſa pro meliore ſtetit.
Guelphus in hanc urbem totum diduxerat agmen,
Propugnans foßis præſidioq; locum.
Nec tibi dive capi potuiſſent mœnia Cæſar,
Ni fuerat Guelpho pernicioſa fames.
Dira fames nocuit, latè graſſata per urbem,
Quæ fregit vires, optime Guelphe tuas.
Senſit ut hoc Cæſar: tradi ſub vincula iußit
Mox ſibi tum primâ nobilitate Ducem,
Attamen uxores procerum diſcedere tuto,
Ceu perhibent, belli iure decere, tulit,
Conceßitq; ſimul generoſo corpore ferrent,
Aut humeris quicquid ſumere dulce foret.
Protinus humectant matronæ fletibus ora,
Et feriunt mœſtâ pectora fida manu.
Feliceſq; vocant, quas occulat arida tellus
Participes tanti nec ſinat eſſe mali.

Vt medio coiêre foro, ſtetit inclyta Guelphi
Vxor, & effuſis ora rigavit aquis.
Hinc ait: ô Sociæ, lachrymis imponere finem
Nos decet, & miſeris addere rebus opem.
Nil proſunt lachrymæ: proſit generoſa voluntas,
Quæ ſtudeat victos eripuiſſe viros.
Geſtemus medios humeris dilecta per hoſtes
Pignora, nec pariant arma coruſca metum.
Diripiat miles gemmas, & nobile quicquid
Vrbs tenet: haud luctu ſunt ea digna gravi.
Dummodò ſervetur thalami pars altera noſtri,
Nec fera captiva corpore vincla gerat.
Sic ait: ac humero Guelphum ſuſtollit: at illam
Fœminei ſequitur tota corona chori.
Quæq; ſuum geſtat (pietas heu quanta) maritum,
Ac tenet amplexu pignora chara tori.
Exitur porta: caſtris excita iuventus
Advolat, & rerum præ novitate ſtupet.
Ipſemet Imperii moderator ſpectat euntes,
Miratus tantam matribus eſſe fidem.
Protinus hoſtiles animos deponit, & iram
Non patitur triſtes evomuiſſe minas.
Namq; virens oculos color ut delectat: ut aures
Muſica concentu nobiliore capit:
Sic movet humanas virtus heroica mentes,
Ac veluti captas ſub ſua iura trahit.
Amplius haud odiſſe poteſt Rex optimus hoſtes,
Ornatos tantâ quos pietate videt.
Ipſemet idcircò matronas ore ſalutat,
Et fortes animos iuſtaq; facta probat.

Non

Non tulit hoc rectis infenſa calumnia rebus,
Sed ruit in tales irrequieta ſonos:
Siccine matronis aſtu violare doloq;
Conceſſum leges deditionis erit?
Siccine te Cæſar ludet manus ante rebellis,
Auſaq; nunc fraudes volvere mente novas?
Fœmineos licuit cultus efferre: maritos
Par fuerat pœnas quas meruêre, pati.
Quod ſi lentus eris proceres punire ſuperbos,
Maieſtas regni concidet ampla tui.
Sic ait: at Cæſar magis haud ſermone movetur,
Quam ſcopulus, rapidi quem ferit unda freti.
Virtutisq; decus generoſo corde volutans,
Vicit, ait, pietas, mens inimica iacet.
Amphinomo quondam flammæ ceſſêre furentes,
Extulit ut Catanâ diſpereunte patrem:
At mea non cedat virtutibus ira, nec hoſtem
Juſta ſinat laudis commoda ferre ſuæ?
Inſtabilis res eſt hominum fortuna: proinde
Parcere devictis regia corda decet.
Hæc ubi dicta: vocat Guelphum, proceresq; potentes,
Quos inſectatus fulmine Martis erat.
Et veniam culpæ tribuit, donatq; ſalutem
Ac ſibi præſtantes iungit amore viros.
Splendida quin etiam matronis munera præbet,
Culta quibus pietas ingenioſa foret.
Principe digna viro clementia, proxima divis:
Nunquam Letheis illa tegetur aquis.
Vos quoq; fœminei clariſſima lumina cœtus,
Poſteritas omni tempore grata canet.

Non minus ac priſcas, memoret quas fama, Sabinas
  Prælia conſiliis impediiſſe ſuis.
Altius eſt ſexu muliebri nobile factum,
  Reddita quo terris Pax veneranda fuit.
Poſt etenim ſemper concordia firma ligavit,
  Mutua conſuetos bella movere Duces,
Tanta fuit quondam virtus Germanica, tantum
  Culta fuit pietas, candor, & alma fides.
Gratulor ergo tibi Princeps illuſtris Iuli,
  Has generis laudes & pia facta tui.
Et precor ut proavos imiteris fortibus auſis,
  Virtutem ſtudio nec leviore colas.
Eſt decus heroum claro de ſanguine naſci,
  Maius at eſt propria vincere laude genus.
Tu quoq; Sponſa Ducum de ſtemmate nata potenti,
  Proponas animo facta probanda tuo.
Et celebrem tanto digneris amore maritum,
  Quantus in antiquis matribus ille fuit.
Plura nec hic moneo: virtus innata ſupremos
  Vos laudum titulos ipſa parare docet.
Acceſſit pietas & diſciplina politos
  Quæ facit, & mentes non ſinit eſſe feras.
Ergo Deum potius votis ardentibus oro,
  Ut tribuat veſtro nil niſi læta toro:
Coniugium res eſt pulcherrima, grata Tonanti,
  Coniugio nexos curat amatq; Deus.
Ille vagos pœnis gravibus compeſcit amores,
  Caſtaq; ceu mens eſt, pectora caſta probat.
Hæc ego dum meditor Suevi reſonantis ad undam
  Perſtrepit ingenti Principis aula ſono.

Con-

Concentusq; tubæ varios, & tympana miſcent.
Mox etiam ducit læta iuventa choros.
Occule Muſa Lyram, modus eſt & carmine dignus:
Veſtes aula breves & breve carmen amat.
Et iam blandus Hymen redimitus frondibus aſtat,
Juncturus Tyrio corpora bina toro.
Ergo gradum vertas algentis ad Albidos amnem,
Inclyta quà cœtus templa novenus habet.

JOHANNIS SCHOSSERI
ÆMILIANI.

IN NUPTIAS

ILLVSTRISSIMI PRINcipis & Domini,

D. ERICI, DVCIS BRVNSVICENSIS,

ET LUNÆBURGENSIS COMITIS IN CLAROMONTE, Equitisq; Aurei Velleris:

ET

ILLVSTRISSIMÆ PRINcipis & Dominæ, D.

DOROTHEÆ, DVCISSÆ CALABRIÆ, LOTHARINGIÆ, BARR.

EPITHALAMION.

AUTHORE

HENRICO PETREO Hardeßiano.

D*Vm tibi fatales Populi gratantur amores,*
Et ſtudiis plauſúque fremunt, quà ſplendida Rhenus

Digitized by Google

Oppida, præruptisq́; ſitas in montibus arces
Aſpicit; Alſatiæq́; levi dum murmure ſylvæ
Gaudentumq́; ſono Montes fremituq́; reſultant,
Teq́; favens gremio Lotharingia dives amico
Excipit, ac thalamos præbet, pactosq́; hymenæos:
Fas ERICE *mihi Veterum genus inclyte Regum,*
Fas mihi vota piis Turbæ coniungere votis,
Summiſſamq́; tibi teſtari carmine mentem.

Nam tibi cum Populus regalibus undiq; donis
Tendat in occurſum, fauſtosq́; precetur amores;
Cur non ipſe pari ſtudio, clariſſime Princeps,
Pro te vota feram gaudens, paribusq; iugales
Proſequar ominibus tædas cœptosq; hymenæos?

At quem poſſe rear laudes æquare canendo
Coniugii, ſanctosq; thori ſocialis honores?
Quisvè ſatis dignè canat inviolabile Vitæ
Humanæ decus, atq; Dei venerabile donum,
Quo ſine progeniem domus innocuosve Nepotes
Nulla dabit, ſine quo veterum generoſa propago
Occidet heroum, ſeriesq; decora Parentum?
Dic age dic Aulas quid Principe, Civibus urbes,
Prole domos, arva Agricolis, & milite Caſtra
Impleat, interrupta thori ſi fœdera tollas?

Ipſe Poli Terræq; Sator (cui Sidera, cui Sol,
Quadrupedesq́; feræ, Piſcesq;, vagæq; Volucres,
Cælicolûmq́; genus famulantur, & arduus æther)
Fundamenta novi primùm cum poneret Orbis
Molis Inane creans magnæ, cumq; Æquora Terris,

Æquo-

Æquoreisq; graves Terras diſcerneret undis,
Et Solis Lunæq; faces, Stellasq; minores
Sublimi rutilos Cœlo ſuſpenderet ignes;
Jamq; Feras, quæ rura vagæ montesq; pererrant,
Felicesq; legunt tractus Cœlive Marisve,
Produxiſſet ovans verbo; rebusq; creatis
Addens iam Colophona, Virum finxiſſet honeſtam
Mentis in effigiem propriæ, qui animalibus Vnus
Jura daret, Mundiq; potens agitaret habenas:
Hic ne conformi Vir Coniuge, Terra colonis
Orba foret, Regni ſociam florentis Adamo
Conſortemq; dedit lecti Regnator Olympi.

At non de limo formavit amabilis Evæ
Membra, ſed ipſe (viro gratam carpente quietem)
Perrupta laterum crate ſpecioſa iugalis
Virginis ora Deus fecit, ſponſamq; creavit
De Coſta egregiam: fit homo duo protinus Vnus,
Oſſaq; carnis ovans propriæ cognovit Adamus;
Inq; ſui partem Regni thalamiq; decoram
Admiſit, fidamq; Deo dedit Auſpice dextram.

Ipſi alacres Cœli Proceres, circumq; ſupraq;
Mirati ſacræ decus admirabile tædæ,
Æthera mulcebant cantu, Cœloq; volabant.
Nec non omne genus Volucrum, genus omne Ferarum,
Applaudens curſuq; levi celeriq; recurſu,
Dulcia legitimi celebrabat fœdera lecti;
Herbarumq; ſeges geniali riſit in horto,
Et ſua vitales movere cacumina Sylvæ.
Illis æquali fervebant pectora flamma,

Ac duo corporibus, ſed cordis amoribus unus,
Spectabant iucunda novo miracula cælo,
Et Terræ vernantis opes, fluvioſq́; perennes;
Mirati numerum pariter, formaſq́; Ferarum,
Totq́; iugis errare greges, Undaſq́; natari
Piſcibus, & gravidis in campis ſurgere ſylvas:
Ibant unanimes, & grandia facta canebant.

Nec tantum Rex aſtripotens hæc fœdera ſanxit,
Connubioq́; viro iunxit felicibus Evam
Auſpiciis, mandans omnes hac lege teneri:
Sed quoq́; legitimæ tædæ ſervare pudorem,
Et quæ iura dedit, Pater optimus, illa tueri
Cura fuit. nec adhuc ullus, tot euntibus annis,
Has impune thori leges violavit adulter.

Nam vetitos autore malo cum Dæmone fructus
Carpsère, & morſu Natos læsère Parentes
Primævi; tetroq́; furens arderet amore
Poſteritas effrena, thori labentibus annis,
Impatiens, crebro perſolvit ſanguine pœnas,
Turpes ob flammas, pravæq́; libidinis æſtus.
Diripuit Mundum ſubitarum gurges aquarum,
Abſorpſitq́; frequens homines, pecudeſq́;, feraſq́;.
Quid Sodoma in cinerem vertit niſi fœda libido,
Cum meritas Vindex pœnas Dominator Olympi
Exigeret, rapidoſq́; polo demitteret imbres,
Et ferus impuros compeſceret ignibus ignes?
Triſte Sichimitæ quondam Venus improba genti
Excidium tulit, & cædis cumulavit acervos.
Cætera, quæ ſacræ pariter, pariterq́; prophanæ

Pr. dunt

Produnt hiſtoriæ læſi monimenta pudoris,
Omnia iam vulgata: quis atro ſanguine Thebas
Conſperſas fratrum, magnæ quis funera Troiæ,
Et quondam Paridis furiales neſciat ignes?

Vt verò Deus inſanos gravis Vltor amores
In pœnas trahit horrendas, flammasq; rebellis
Vsq; vagas animi vinclis & carcere frenat:
Legitimas ſic ipſe faces, ac fœdera ſervat
Coniugii, caſtoq; thori lætatur amore.

Scilicet & Chriſtus, noſtræ ſpes una ſalutis,
Fœdus, quod proprio firmavit ſanguine, quo nos
Æterni patris ad ſedes, & regna vocavit,
Coniugium vocat, & dignatur nomine ſponſæ
Electos, ſponſusq; ſuos profitetur amores.

Quin & ſacra thori quondam caſtosq; hymenæos
Munere proſequitur largo, curasq; levabat
Pocula Lenæo mutans Acheloia Vino.
Deniq; prole domos cumulat felice iugales,
Quæ gravibus ſceptris, rebusq; ſit apta gerendis,
Æternumq; ſuæ gentis primordia ſervet.
Sic quondam prolem tardè creſcentis olivæ
Tollere ſe, paribusq; vides inſurgere ramis,
Et victum ramis, & ſpargere frondibus umbras.

Ergo vota boni pro te, fortiſſime Princeps,
Concipimus, placitosq; tibi gratamur amores.
Jam tibi (cui Tellus præfert Brunſuigia faſces,
Quam penes armiferi decus imperiumq; Viſurgis)
Pullulet ab radice alta genialis Oliva,

Quæ

Quæ ſe felici tollat pulcerrima ſylva
Ramorum, noſtris factura Nepotibus umbram.

Theſauros alii facti infectiq; metalli,
Et gemmas aurumq; ferant; ego ſubdita mitto
Carmina in augurium felix, iuvenileq; teſtor
Officium, Patriæq; cliens abſentis amorem.
Voto ego felicique tuas ſequor omine tædas,
Et ſtirpem, nomenq; tuum, laudeſq; celebro.
Qui vero genus, & Proavos, & clara tuorum
Facta Patrum digne referam? quo carmine Princeps
Virtutem, tituloſq; tuos, belliq; labores
Perſequar ingentes? etenim me linguadieſq;
Deficiat, ſi Maiorum divina tuorum
Nomina, ſi doteſq; tuas arteſq; beatæ
Pacis, & armorum coner perſcribere verſu.

Quem te, quæ propius Septem Brunſuiga Triones
Aſpicis, alma Ducum genitrix. quem deniq; Linum,
Et gravidum rear Imperiis neſcire Viſurgim?
Illuſtres habet Iſter ovans longo ordine Reges,
Et magnis tumidus iactat ſe Rhenus alumnis,
Ac, fateor, genus acre Ducum tenet impiger Albis,
Nec Viadro Suevoq; viri nec mœnia deſunt:
At fortes Heroas ovans, ſtabileſq; Columnas
Educat Imperii fatali lege Viſurgis:
Hunc Iſter, Rhenuſq; pater, ſtagnanſq; Suevus,
Ac Albis Viadruſq; timent, Regemq; ſalutant.

Non ubi (tot quondam fluviis Rhenoq; ſubacto)
Teutonicas impune ferox everteret urbes

Italus, Auſoniumq́ꝫ Tybrim, lateq́ꝫ potentes
Horrerent Aquilas pater Albis, & Iſtrides undæ
Et cuncti fractis mœrerent cornibus amnes;
Non ne fremens rapido Romanos amne Viſurgis
Obruit, & cæſis legionibus, & Duce belli?

Illi triumphati terror Quintilius orbis,
Qui Terras armis, ratibusq́ꝫ ſubegerat undas,
Solis ad Occaſum, Solis metuendus ad Ortum;
Cuius & Euphrates, & Tigris, & oſtia Nili,
Et procul Herculeæ vires timuere columnæ;
Ille laceſſito Tiberino Marte Viſurgi
Succubuit, florem Latii cum belliger acres
Sævis Harminius veteranos ſterneret armis,
In Mare ſemineces vaſto cum murmure flumen
Quadrupedesq́ꝫ, viroſq́ꝫ, & grandia volueret arma.

Hîc Tyberis ſtetit, ac rerum pulcerrima Roma,
Harminium, rapidiq́ꝫ viros experta Viſurgis,
Obſtupuit, poſuitq́ꝫ ſuos perterrita faſtus.
Tum gemitus Vrbisq́ꝫ graves Orbisq́ꝫ Monarcha
Edidit; oblitusq́ꝫ ſui, ſomniq́ꝫ, cibiq́ꝫ,
Nocte dieq́ꝫ vocat miſer, & iubet uſq́ꝫ peremtas
Non auditurum Legiones reddere Varum.

Ex illo fluere, ac retrò ſublapſa referri
Spes Romæ, fractæ Vires, Aquilisq́ꝫ potita
Terrificum Latio movit Germania bellum,
Donec Teutonibus ſubmitteret ardua faſces
Roma laceſſitis tandem, victaſq́ꝫ ſecures.

Digitized by Google

Heu quod Virtutem quondam Patriaq; labores,
Et quicquid geſtum memorabile Marte togáq;,
Nulli cura fuit fidis committere chartis.
Nunc tot (Maiores dulci quia munere Vatum
Et doctis caruêre libris) exempla paternæ
Juſticiæ Fideiq; iacent oppreſſa tenebris:
Denſis acta Patrum tenebris indocta Vetuſtas
Involuit, ſeroſq; vetat meminiſſe Nepotes.

Ac niſi quod geſtis Maiorum conſcius hoſtis
Forte dedit, ſua dum calamis ad ſidera tollit,
Noſtra volubilibus ferus elevat omnia verbis,
Nil extat, multoſq; dabas undoſe Viſurgis
Harminios ſed vix unum tibi fama reliquit.
Ergo nobilium ſalve Regnator aquarum,
Inclyte magnanimis auſis, lateq; potentum
Heroum genitor: tibi ſe debere fatetur
Summi Cæſar adhuc Aquilas inſignia Sceptri
Iura tibi, ritusq; ſuos. ſedesq; paternas,
Poſteritas accepta refert, te libera Rege.

Vrbs ubi, legiferis Orbem complexa triumphis,
Servitio terras premeret populoſq; per omnes
Jura daret, nec Sæva ſui metáſve modúmve
Poneret Imperii, legesq; aboleret avitas.
Ipſe decus fluviorum, animos ſceptrumq; Monarchæ
Fregiſti, moresq; tuos, ſedesq; vetuſtas
Servando æternæ peperiſti nomina laudis.

Hinc ubi pugnaces miro conamine Franci,
Aras, atq; deos, & numina falſa peroſi,

Unanimes ſancto ſparſerunt corpora fonte,
Mente Deum, Natumq; Dei meliore ſecuti,
Noſq; habitus, ritusq; ſuos, araſq; recentes,
Et ſua, quæ Chriſto ſtatuebant, templa ſuperbis
Imperiis egere ſequi, cum iam ſua Reges
Sub iuga, cum totum ſub leges mitteret Orbem
Carolus, & Fidei nomen prætenderet armis,
Victor ad has hæſit ripas annisq; Viſurgim
Triginta ſævis ſatis eſt expertus in armis.
Æquabat Mavors anceps & mutua bellum
Vulnera ſternebantq; feri pariterq; cadebant
Victores Victiq; : fluebat cæde Viſurgis,
Et galeas Clypeoſq; Virûm, curruſq; rotaſq;,
In Mare verticibus rapidis volvebat apertum.

Acer avis, ataviſq; potens, Wedckindus in hoſtes
Irruit, attonitiſq; fremens ſeſe ipſe, ſuumq;
Obiecit caput, & ſe in aperta pericula miſit.
Non inimica illum inſtantem, lethumq; ferentem
Suſtentare manus valuit: ſublimis anhelos
Proterrebat equo, & campis calcabat apertis.
Indomitus clypei Sonipes, inſigne decorum,
Hinnitu fremituq; Viros urgebat acuto,
Roreq; ſanguineo miſtas ſpargebat arenas.
Uſq; adeo in ferrum pro libertate ruebat,
Nec cædis ſed pacis amor pugnare coëgit.
Heroem paſſum dici ſibi deniq; Leges
Pacis, & æterno componi fœdere bellum.

Tum mores ritusq; pios agnovit, & ultrò
Merſus fonte ſacro, patrias non amplius aras,

Sed

Sed Chriſti cumulabat ovans altaria donis.
Quin albis etiam poſuit Tentoria velis,
Et bellator equus, priſca nigredine verſa,
Anteibat candore nives, cygnosq; Cayſtri.
Ex illo Gens Chriſte tibi Brunſuigia ſemper
Thura dedit poſuitq; Aras & Regia templa,
Nec domus ulla tuos æquè celebravit honores.

Porrò ubi Francorum virtus infracta ſubinde
Deficeret, ſævo arderet Germania bello:
Hinc magis atq; magis rapidis ſæviret in armis
Sclavus atrox - populatus agros, populatus & urbes;
Hinc premeret iam noſtra ſuis non libera ſceptris
Mœnia, & æqua ſolo fumantia poneret Hunnus:
Pulverulenta fugam caperent hinc inde per arva
Teutones indecores; patrios (miſerabile viſu)
Crebra cadaveribus ſtrages conſterneret agros;
Semper in indomito ſtabat ſpes certa Viſurgi,
Omnis in hunc oculos vertit Germania, & uni
Aſſurgens, patriæq; patrem Regemq; profeſſa,
Romanas Aquilas animis certantibus uni
Reddidit, Vnius gremio inclinata recumbens.

Henricus præſtans animis, & Cæſar, & Auceps,
Magne tuus Wedekinde nepos, ultricibus hoſtes
Inſequitur bellis, omniq; ſub arma coacta
Saxonia, Dux in rapidos acerrimus Hunnos
Agmen agit, gentemq; feram ſternitq; fugatq;.
Hinc & quas Sorabi, gens dura ſacraverat aras
Suſtulit, atq; Henetûm latas Idola per urbes.

Fudit & impavidos invicto Marte Boemos,
Imperiiq; truces vaſtantes limina Danos.

Poſt, armis Terra parta iam pace Mariq;,
Ne fera peſtifero torperent corda veterno,
Pugnandi ritus, & ludos primus equeſtres
Inſtituit, belliq; ſeveras excudit artes.
Sublimes in equis Franci, certare parati
Comparent, Bavariq; alacres; venit accola Rheni,
Et virtute pares veniunt animisq; Suëvi.
Rex primiq; Duces, & quattuor ordine ab omni
Lecti Equites, arma ante oculos circoq; locabant
In medio, criſtas capitum galeasq; decoras,
Spiculaq; clypeosq;, & acuto haſtilia ferro.

Hinc ubi commiſſos cecinit cava buccina ludos,
Mox alacres inière avidis certamina pugnis.
Armatas ictus aures & tempora circum
Vsq; crepant, animosq; viri pugnamq; laceſſunt,
Et rigidi ſimulacra cient horrentia Martis.
Sic heros Equites crebris exercuit armis,
Nonnunquam ſenior Juvenum tentare labores
Auſus, & ipſe gravi ſolitus ſe credere pugnæ.

Res igitur Patriæ convulſo cardine lapſas
Reſtituit, cæſo patriis in finibus hoſte.
Et fera ab innocuis avertit Civibus arma.
Vnius auſpiciis huius veneranda revixit
Libertas, illoq; ſuum Germania Rege
Imperium Terris, animos æquavit Olympo.

Deniq;

Deniq; tres, avi Reges melioris, Othones
Ille dedit, Patres Patriæ, quibus aurea cordi
Relligio; qui templa ſacris, & Legibus Vrbes
Fundarunt; quorum felix & Veſper & Ortus
Omnia ſub pedibus vertiq; regiq; videbant.
His regni ſalvos debet Germania faſces,
Et leges, quibus externa de gente profectos
Adiungi Imperio, votiſq; in Regna vocari
Haud licitum, ſacri Imperii coeunte Senatu,

Aſpera ſed reliquos Terris Fortuna Nepotes
Invidit; nec digna rata Germania Regum
Progenie, Superos peccando fecit iniquos.
Ergo criminibus variis averſa Dei mens
Heroum genus antiquum ſuccurrere Mundo,
Et patriam ſolitis vetuit decorare trophæis.
Hinc igitur Claudus generis fuit ultimus huius
Henricus, qui Romani moderatus habenas
Imperii, dulci populos in pace regebat.

Mox, ubi Cœlitibus cum Cœlite Coniuge iunctus,
Hoc Mundo ſceptriſq; heros ceſſiſſet avitis,
Omnia lethifero loca fervere Marte videres,
Vnà omnes ruere in ferrum, fluere undiq; rivos
Sanguinis informes ac cæde madeſcere campos.
Tum verſum fas atq; nefas, & Iure remoto
Protinus irrupit damnoſa licentia ferri:
Ac Iuſto Mavors dulcique potentior æquo
Implicuit gentes bello, natoſq; patreſq;,
Horrentemq; feris Orbem perterruit armis.
Quis cædes, obitumq; Ducum, quis funera fando

Expediat, quondam quæ mutua bella gerendo
Filius atq; pater, ſtimulante cupidine Regni,
Edebant. Civesq; ſuos in bella trahebant?

Tum verò certatim omnis Germania, & omnes
Antiquam Regum in patriam, fortemq; Viſurgim
Convertêre oculos Itali, Regemq; vocârunt.
Ergo animi præſtans, ac vinci neſcius armis,
Brunſuigæ decus, haud magnorum indignus Othonum,
Auſpiciis tandem Romana Lotharius æquis
Sceptra relictarumq; capit moderamina rerum.
Ille laboriferis ſine cæde & ſanguine bellis
Impoſuit finem, pacemq; ſalutifer, armis
Invictus cauſſaq; valens, dedit optimus Orbi.
Parta pace, animum Jus ad Civile ſacrasq;
Convertit leges, quas vi tenebrisq; ſepultas
Conticuiſſe foro vidit, tacitisq; Lycæis,
Præcepitq; Duces non vi ſed Legibus uti.
Sic igitur frenosq; rei, nervosq; gerendæ,
Et belli ſtabiles & pacis reddidit artes,
Grande ſalutiferis decus & tutela Camœnis.

Cum verò Natus primo ſub flore Iuventæ
Cæſaris (Imperii venturorumq; Nepotum
Spes) caderet fato Superûm, prolesq; virilis
Nulla foret ſuper Othonum de ſtirpe, ſed una
Et genus & tantas ſervaret Filia ſedes,
Materno veniens ab avo Brunſuigia proles,
Materna divo conſanguinitate propinqua
Otthonum generi, tantæ ſpes unica ſtirpis,
GERTRUDIS, *gravidus radicis ſurculus altæ;*

Illam

Illam connubio, felici numine iunxit
HENRICO, *Bavaro Guelforum ſanguinis, acri*
Heroi, claro fama, lateq́ꝫ potenti.
Credidit hinc ſobolem gemina virtute futuram
Egregiam, magnosq́ꝫ toga belloq́ꝫ Nepotes.

Exitus acceſſit, neq́ꝫ te tua cura fefellit
Cæſar, adhuc aptè reſpondent omnia votis.
Exiit in ſummas ramis felicibus auras
Surculus ille, ferens fœcundo ceſpite ſylvam
Ingentem, lateq́ꝫ ſuos diffundit odores.
Jamq́ꝫ ſolo ſtat fixa arbos, foliisq́ꝫ Viſurgi
Haud ullo præbet vento labentibus umbras,
Grande ferens onus imperii, faſcesq́ꝫ vetuſtos.

Auſpiciis igitur lætis, & ſanguinis arcto
Fœdere Guelforum ſoboles ſucceſſit Othonum
Sedibus; & mores auxit ritusq́ꝫ Sacrorum,
Subiectasq́ꝫ bonis ornavit Legibus Urbes.

Cædere ſæpe quidem radicitus Arboris huius
Ramos, & duro ſtirpem convellere ferro
Hoſtes inſtabant, & coniurata movebant
Bella, ſed illa tamen ſtetit, atq́ꝫ immota remanſit,
Hoſtibus hinc illinc ima de ſtirpe reciſis.

Ac velut aëream vaſto cum ſtipite quercum
Hercinii Boreæ ſævis ſtridoribus & vi
Eruere ingenti certant; ea mole ſua ſtat,
Et quantum vacuas tollit ſe intonſa ſub auras,
Telluris tantum radice in viſcera tendit:
Haud ſecus illa domus nunc hinc, nunc ictibus illinc

Digitized by Google

Tenditur infeſtis quondam, & fera ſuſtinet arma,
Stirps immota manet, fraudesq; parantur inanes.

Belliger HENRICUS, *cui mens invicta ferendo,*
Armiferæq; manus, & vis generoſa, Leonis
Cognomen dedit. ille Henetos acerrimus armis
Contudit, ac tetras aras abolere coëgit.
Ille Fidem veram terra pugnando mariq;
Protulit, & Chriſtum profitentibus otia fecit.

Juſta quidem poterat, regnis eiectus avitis,
Auxilio Terræq; ſuæ Regisq; Britanni
(Qui ſibi tot Regnis quondam populisq; potentem
Junxerat heroem propius. Natamq; dicârat)
Bella laceſſitus variis inferre Suevis,
Nec Jure inferior nec Iura tuentibus armis.
Quod tamen haud una Princeps a gente videret,
Optimus, haud una pendere ab origine bellum,
Poſthabuit bona communi privata quieti,
Armaq; ſalvifica Fidei convertit in hoſtes.

¶ *Devictis Henetûm populis, Danoq; ſubacto,*
Et Chriſto poſitis aris, falſisq; fugatis
Numinibus, factaq; domi iam pace forisq;,
Delecto Procerum numero contendit in hoſtes.
Marte Saracenos acri, belloq; ſuperbum
Regnatorem Aſiæ terra pontoq; premebat.

Iſte, Paleſtinæ timor atq; infamia terræ
Omnia vaſtabat late, ſtrictisq; ruebat
In Solymos gladiis; altaria ad ipſa trementes
Sæpe furens animi pueros, duce Dæmone, Prædo

Ma-

Mactabat, truncata feris haſtilibus altè
Suſpendens capita, & rorantia ſanguine quaſſans.

Non tulit illa pii Virtus generoſa Leonis,
Nec paſſus rabiem procedere longius heros
Obvius ire parat Turco, metasq; latroni
Ponere, & inſani compeſcere Marte furores.
Protinus Heroëm regna ad Iordanis euntem
Mirati ſtupuêre Hunni, Thracesq; Getæq;:
Terga Saraceni dederant, prædoq; latebras
Quæſierat fugiens Terrore metuq; Leonis.

Grandia Beryti Princeps, latrone fugato,
Mœnia conſtituit victor, Ioppeq; recepta
Vndiq; noſtrorum multa vi munit urbes.
Tum progreſſurum mors improviſa retraxit
Cæſaris Henrici, rude ne radicitus omne
Turcorum genus in prima concideret herba.
Nunc ea colluvies, nullis prohibentibus, altam
In ſegetem crevit, nec iam quærendus inermis
Turcus ad Ephratem, nec pinguis ad oſtia Nili:
Jam nos ſponte ſua bello dictisq; laceßit,
Et fermè in mediis latro penetralibus urget.
Salve belligeri decus immortale Viſurgis,
Gloria Saxonicæ ſpes & fidißima gentis:
Clara tuis, Dux magne, Leonibus Amphitrite
Balthica ſe debet, nec te unquam pectore noſtro
Eximet ulla dies, venturorúmve Nepotum.

At rapto ſubitis Henrico Cæſare fatis,
Legifer Imperii commiſit frena Senatus

Ot-

OTTHONI, *cui ſtemma potens, Clarumq́ paternæ*
Virtutis nomen, cui dextera vivida bello
Sceptra ſecurigeræ promiſerat aurea Romæ.

Ille quidem, ſoboles haud inficianda Leoni,
Non erat imperii ſceptris, patriæve pudori,
Quippe manu fortis, nec Suevis Marte ſecundus;
Sed cum Cæſarea pro maieſtate moveret
Bella per Italiam Cæſar, crebrasq́ rapinas
Invitus Papæ iuſtis compeſceret armis,
Protinus inſano devotus murmure diris
Excidit Imperio, ac longis nil tale merentem
Implicuit bellis cor inexaturabile Papæ.

Deniq́, cum Populi variare labantia corda
Pontificis nutu, funeſtaq́ creſcere bella
Cerneret, Imperii ſceptris, Romaq́ relicta,
Sponte ſua patrii repetebat regna Viſurgis,
Exegitq́ datum fatis melioribus ævum.

Ex illo qui te caſus, quæ bella ſecuta,
Et quantos fueris Germania paſſa labores,
Cernis adhuc, monſtrantq́ tibi tot rudera paſſim
Murorum, everſæq́ armis civilibus Arces.

Ergo ubi continuo Patriam trepidare tumultu,
Et magis atq́ magis furioſa tumeſcere bella
Sceptriger Imperii vidit, ſacer ordo, Senatus:
Protinus ad ripas oculos flexêre Viſurgis,
Ac paribus votis, & concordantibus unum
FRIDRICUM *poſcunt ſtudiis Regemq́ ſalutant.*
Multa viri virtus animo, verusq́ recurſat

Imperii labentis amor, patienſq; laborum
Dextera, parq; fides par & prudentia dextræ,
Et genus, & quæ Mens ſupra genus eminet altum.

Sed Fortuna tibi nimium Germana propago
Viſa potens? cur hunc oſtendis acerba, neq; ultra
Eſſe Ducem, rebusq; ſinis ſuccurrere fractis?
Nam ſpes Teutonibus tantas non ante Viſurgis
Fecerat; haud ſe ullo tantum iactarat alumno.

Nemo impune quidem ſe Marte tuliſſet aperto
Obvius Heroi ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſublimis equo torqueret ſpicula dextra:
Sed non inſidias nec opertas vincere fraudes
Moguntine tuas potuit, qui perfide ferrum
In nudum ſtringis latro, Regemq; trucidas.
Dicimus impuro convicia crebra Neroni,
Diris ipſe ſuam matrem qui perculit auſis.
At non ille ſuam matrem, ſed proditor atra
Cæde Patrem Patriæ ſceleratis ſuſtulit auſis.

Dux ibi Saxoniæ forti pro Cæſare pugnans
Deceptus captusq; fuit, Sed Marte ſecundo
Princeps Aſcaniæ, & comitum pars cætera pulſo
Evaſit latrone, necemq; & vincula fugit.
Heu mihi quot cædes hac Principe commoda in uno
Et quantum Patriæ rapuit decus; heu mihi quantum
Præſidium Auſonia, & quantum Germania perdis!

Hinc inter ſeſe rigidis concurrere telis
Teutonicas acies, magno turbare tumultu
Imperium, ruere in ferrum Bellona coegit.

Nec

Nec requievit enim, donec labentibus annis
Auſpiciis cœperent fauſtis moderamina rerum
Auſtriaci: quibus uſq; domus Brunſuigia ſeſe
Coniunxit, quos uſq; toga belloq; ſecuta eſt.
Auſpice GVILHELMUS *Fridrico Cæſare Gallos*
Cædebat, Victorq; tibi Burgundia pacem
Reſtituens, clarum vincendo nomen habebat.

Heu quod tam ſpatiis iuvenile coërcuit arctis
Ingenium natura mihi. tua geſta referrem
Armorum Brunſuiga domus domus inclyta bello,
Plena viris, Regum parens antiqua potentum.

Inprimis ERICE *tui. ſi quid mea poſſent*
Carmina, perſequerer verſu præconia Patris.
Maximus hunc grato fuit Æmilianus amore
Complexus, fidum belli quem ſemper haberet
Conſortem, rebus quem iungeret uſq; gerendis.

Cæſar in adverſos cum ſumeret arma Bohemos,
Et directa acies campo iam ſtaret aperto,
Ericus pugnam primus Martemq; ciebat.
In clypeo nemorum terror pandebat hiatus,
Et fremuit rabido ore Leo, Martemq; laceſſit;
Nec non hinnitu ſonipes ferus agmen acuto
Provocat armatum, ſpumaſq; agit ore cruentas.

Non gladii, ſtrictisve ſeges mucronibus illum
Ferrea, non ictus, non vulnera crebra morantur.
Fertur equo ſpumante ferox, ſubitáq; Bohemos
Turbat clade feros. & cominus agmina rumpit.
Terra ibi cæde rubra maduit, tum ſanguine fluxit

Digitized by Google

Iſter, & in tepidis iacuêre cadavera ripis.
At ſeſe, vitamq́ ſuam, partumq́ triumphum
Erico tulit acceptum Rex optimus uni.

Protinus Eridanus pro Cæſare bella gerentem
Vidit, & arma viri timuere Antenoris arces.
Deniq; cura fuit Solymas inviſere terras,
Et Servatoris donis ornare ſepulcrum.

Poſt, ubi Vicinis rabies aſſueta premendis
Præſulis Hildſemii traxiſſet in arma quietum,
Ac Patriam ferro Prædo vaſtaret & igne,
Immemor officiiq́ ſui, mollisq́ tiaræ;
Innumeros veteri pro libertate labores
Pertulit, ac tandem triſti formidine belli
Innocuos ſolvit cives, ſceptrisq́ paternis
Vrbes adiecit victor populosq; rebelles.
Fortunate Senex, ſeri tua facta Nepotes
Mirantur, celſæq; canunt virtutis honorem.

At quo te (laudem qui non in origine ſola
Ponis ſed magnis animum natalibus æquas,
Et genus egregium factis illuſtribus auges)
Te ergo virtutis claræ, celſumq́ paterni
Nominis hæredem, Princeps, quo carmine dicam?
Armifer inſigni belli te laude Viſurgis
(Cuius adhuc ſolidis nomen virtutibus ornas)
Magnanimis exæquat Avis, te iactat alumnum,
Ac tua victrici devincit tempora palma.

Tu procul à Patria vix pubeſcentibus annis
Pugnandi auſpiciis didiciſti Cæſaris artes;

Ducere

Ducere quà ſit opus foſſam, quà claudere vallò
Caſtra ſatis tuto, vel quo numeróve modóve
Armorum deceat faciem componere pugnæ.

Hinc ubi, pace loco mota, ſæviret apertè
Mars, atq́; horrentes acies opponeret armis
Cæſaris, atra vocans trepidos in prælia cives;
Primitias tunc ipſe tuas, animiq́; ſagacis
Indicium, nataſq́; manus ad prælia, Cæſar
Miratus, tibi militiæ commiſit habenas,
Et grandes peditum cuneos, equitumq́; cohortes.

At verò, quanquam te proditione cruentâ
Vurisbergus fallens in operta pericula miſit;
Ipſe tamen (repetens animis exempla tuorum,
Et generis, decoriſq́; memor) fers obvius hoſti
Impavidaſq́; manus, & neſcia pectora vinci.
Quidq́; tuus poſſet Mavors, quid vivida virtus,
Tum patuit, bello ſævum cum buccina ſignum
Rauca daret, ſubitæ cum prima pericula pugnæ
Tentares, magnæ & calcares ſtragis acervos.
Cuncta reſultabant latè clangore tubarum,
Vincentumq́; ſono pariter, pariterq́; cadentum.
Nec fuga, ſed pugnam tandem nox atra diremit,
Atq́; hoſti multo victoria ſanguine ceſſit.

Non te bella quidem magis, aut horrentia Martis
Arma, trucéſve iuvant cædes, quàm commoda pacis:
Sed cum tetra faces diri Diſcordia belli
Accendit, furioſa trahens in prælia Reges;

Cæſaris aſſuetus caſtris fugis ocia vitæ
Imbellis, pulcrumq́ʒ putas occumbere in armis.

Sic olim ſævis Regem funeſta Philippum
Gallia cum peteret bellis, haud omine fauſto
Teutonicas equitum conata laceſſere turmas;
Ipſe acrem primus pugnando in vectus in hoſtem
Adverſam turbas aciem, cædisq́ʒ fugasq́ʒ.
Illi nequicquam præfixa haſtilia ferro
Protendunt, funduntq́ʒ feris tela irrita dextris.
Horrida continuo conſedit Gallia luctu,
Quintinam fruſtra cupiens abſtergere cladem,
Flore ſuæ rapto gentis. tot clara Virorum
Lumina, tot cecidere Ducum procerumq́ʒ cohortes.

Ipſe domum rediens ſpoliis prædaq́ʒ potitus,
Captiva Procerum turba comitante triumphum,
Grantantem magna decorabas laude Viſurgim.
Et quanquam pugna in media tot ſtragis acervos
Gallorum tua dextra dedit, tot corpora letho
Demiſit, generoſa tamen quoq́ʒ parcere victis
Norat, nec totas irarum effundere habenas.

Has ERICE tuas ornat facundia laudes,
Linguarumq́ʒ uſus, vis atq́ʒ externa loquendi,
Seu verbis ſedare animos, ſeu tollere malis.
Convenit & linguæ Vultus, gravitate ſerena
Plenus, & indicium felix virtutis avitæ.

Macte igitur virtute tua, tibi munera Reges
Certatim nunc iure ferunt pro fortibus auſis.

Iure tibi titulos externus Velleris Aurei,
Virtutis monimenta tuæ, tranſmittit Iberus,
Et iam ſerta tuo præfigit amæna Viſurgi.

At tu Sponſa, bonis animi, formaq́; decore,
Et pariter facie præſtans, & divite cultu,
DOROTHEE, *claro veterum ſata ſanguine Regum,*
Aſpice lætantum fremitus, & publica vota.
Optima te Brunſuiga vocat, celſæq́; Viſurgis
Arces, & Dominam caro cum Principe poſcunt.
Ne te ſollicitet Patriæ nunc cura relictæ:
Namq́; aliam monſtrat Patriam Deus, altera regna;
Hic ſemper, tibi Linus arat, tibi dives inundat
Ac varias famulo merces vehit amne Viſurgis.
Te montes hîc argento ferroq́; rigentes
Exſpectant, & mille imis in vallibus Agnæ.
Molliter hic tecum Princeps bonus exiget annos,
Quem bona felici facies hic prole parentem,
Et clara domui dabis Imperioq́; Columnas.
Felices ambo, cara tu Virgine Princeps,
Et tu dilecto clariſſima Principe Virgo.

En ut ſemper habent aliquid cõnubia fati,
Ut Deus ipſe ſuo conjungit numine amantes.
Sunt tria fulcra, quibus Romani innixa recumbit
Imperii vis tota: domus Brunſuigia prima
Subſiſtit, Dux Boiorum ſtatione ſecunda,
Tertia deinde vices Regni Lothringia ſervat,
Deficit in ſolis poſtrema Columna Suevis.
Ergo, Renata ſoror Bavaro cum iuncta marito,

Brun-

Brunſuigam tibi DOROTHEE *ſtabilire potentem*
Cura ſit, hasq; pio nexu vincire Columnas.

En pax auratis thalamoq; circumvolat alis
Sponſa tuos, ac felici ſpes omine firmat.
Vivite, & Illuſtres unà producite Natos,
Fronte manuq; Patrem referentes oreq; Matrem.
Vivite, & unà alacres Aviæ tranſmittite Natos,
Quos gremio accipiat lætiſſima, & oſcula figat,
Amplexuq; omnes ſtorgarum laxet habenas.

Ecce repercuſſo Montes ſol lumine ſpargit,
Et nubes imbresq; fugat, leniq; ſuſurro,
Arridere putes, blanditur amantibus aura.

AD LUDOVICUM DUCEM VVIRTENBERGENSEM, DOROTHEÆ BADENSIS SPONSUM.

INclute magnorum ſanguis LUDOVICE parentum
Dulcis amor populi, deliciæq; tui,
Ecquid ut illuſtri ſata gente, pudica virago
Legitimo flammas ſanat amore tuas:
Divini agnoſcis certiſſima ſigna favoris?
Dorotheenq; Dei nobile munus amas?
Et grates reverenter agis? multumq; triumphas?
Caſtaq; ſub tacito gaudia corde foves?
Credo equidem, & fas eſt, gaude, ô Dux inclyte, gaude,
Cœlo, urbi, populis concolor eſto tuis.
Ecce ſerenatâ pluvius tibi fronte November
Exhibet æſtivos ſole micante dies.
Aſſultant colles trepidi, Dominumq; ſalutant,
Ipſe Nicer famulis pronus adorat aquis.
Cordati nitidis cives gratantur in armis,
Pectora, ſi ſit opus, pro Duce fida ſuo,

Adde tui quod amor variis excivit ab oris,
Germani proceres lumina prima ſoli.
Quodq́ novena memor meritorum turba tuorum,
Incipit Auguſti vix memor eſſe ſui.
Cætera quis numeret, virtutum exempla minores
Unde petent, & quæ fama loquetur anus?
Omnia magna: Sed his maius, mihi crede, tuoq́
Stemmate & Heroo dignius ingenio:
Quod patris exemplo pius erga homineſq́ Deumq́
Sinceræ curam relligionis agis
Illæſamq́ cupis venturis tradere ſeclis,
Cultoreſq́ DEO poſt tua fata pios.
Quodq́ tori ſociam Chriſto duce nactus, eundem
Et feſto & menſis vis caput eſſe tuis.
Corq́ tuum, terraſq́ tuas civeſq́ fideles
Perpetuum Chriſto dedis in hoſpitium.
Hoc magnum, Ludovice, hoc forti Principe dignum,
Hæ patriis dulces manibus exequiæ.
Et miramur adhuc, cur prudens mite vetuſtas
Hoſpitium montes, dixerit eſſe tuos.

SEBAST. ARTOMEDES F.

DE IISDEM
NVPTIIS SECVNDIS
LVDOVICI DVCIS WIRTEMBERGICI.
NICODEMI FRISCHLINI.

DVm patrius princeps vidui poſt fata cubilis,
Vincula coniugii proſperioris init:
Huc agite ô quotquot ſacra Wirtenbergia nutrit,
Seu dives ſeu ſis pauper & æris inops:
Huc agite & nardo ſparſi florente capillos,
Dicite Ieſſæâ carmina digna lyra.
Tuq́; ô ſiderio labens à vertice cœli,
Ad nova coniugii fœdera Chriſte veni.
Sed mitis, placidusq́; veni: nunc exue veſtem
Lugubrem: nitidas nunc benè pecte comas.
Qualem te perhibent divini oracula verbi,
Veniſſe ad Canai tempora feſtatori
Tu ſponſo ſociam iunxiſti primus Adamo:
Te Duce Tobiæ Sara reperta ſuo eſt.
Tuq́; regis thalamos: per te felicia lecti
Pignora de caſto coniuge mater habet.
Eia age: Phœbeas quem ſcis contemnere Muſas,
Suave mihi aſpira carmen amore ſacro:
Quale ſub auroram, dulces imitata loquelas,
Daulias artifici concinit ore melos.

Qua-

Quattuor addiderat iam totum menſibus annum,
Qui regit æthereos, temporis autor, equos:
Ex quo Dorotheæ pollinxerat oſſa maritæ
Dux pius, inq; ſuâ contumulârat humo.
Nec dum triſti animo veteres aboleverat ignes,
Ereptæ fato coniugis uſq; memor:
Cum Dux Vinariâ egreſſus Fridericus ab urbe,
Principe Lignitio concomitante, venit.
Anna, tori conſors, comes huic, Sophia iverat illi:
Vtraq; Chriſtophoro Principe patre ſata.
Ibat & Alſaticis ad noſtra Georgius arva,
Coniuge cum Sueca, pignoribusq; tori.
Ille Palatinâ generoſus Origine Princeps,
Cuius ineſt animo candor, & alma fides.
Omnes, ut viduo exhibeant ſolamina fratri:
Et triſtem medicâ, qua licet, arte levent.
Haud mora fit: variis peraguntur tempora ludis:
Qui vel equo magnus, vel pede maior erat.
Inde ſui frontem decorant victoris olivâ:
Inſtituitq; novos hoſpita turba choros.
Germanæ imprimis fratrem ſtipare ſorores,
Signaq; lætitiæ prodere multa ſuæ.
Tum feſtis dapibus cura, vinoq; remota,
Tum pulſa in tepidos ſollicitudo Notos.
Fortè ſub Auroram, denſis emerſus ab umbris,
Lucifer Eoos cum movet altus equos:
Conſurgit primus, viduumq; cubile relinquens,
Se matutinus Dux Ludovicus agit.
Ædibus hinc mediis, cari conclave parentis
Intrat & has fido fundit ab ore preces:

Alme DEVS, quo patre genus mortale peragrat
Tranquillum hoc vitæ ſpe melioris iter:
Reſpice nos. & ſi noſtro quid amore meremur,
Da pater hoſpitibus iura benigna meis.
Nec ubi forte tui lædamus Numinis iram:
Inq; tui ſimus ſemper amore pares.
Hanc etiam defende domum, defende penates,
Hoſpitiumq; tui numinis eſſe ſine.
Tu quæ viſa tibi noſtris aptiſſima lectis,
Vt ſubeat vidui fœdera caſta tori.
Illam exoptato iungas mihi tempore nuptam:
Si ſtudioſa tui, ſi pietatis amans.
Finierat: cum cana fides & Credula ſemper,
Spes, cum dilecta terna ſorore venit.
Sed tum cana fides ſpeciem ſimulabat Eliſæ,
Henneberg æam vultu imitata nurum.
Nam pullam longo ducebat ſyrmate veſtem,
Albaq; velabat triſte calyptra caput.
Hanc iuxta incedit, oculos deiecta decoros,
Spes bona technarum neſcia, fraudis inops.
Pictura tæ auri croceo ſubtegmine veſtes,
A collo ad talos candida crura tegunt.
Hæc tum ſe in faciem nuptæ transformat honeſtæ:
Quam Dux Lignitius iuſſerat eſſe ſuam.
Fitq; venuſta ſoror Ludovici principis Anna,
Os rubra, cervicem Lactea. flava comas.
Tum lateri agglomerat fidei dilectio dextræ
Seq; tuam uxorem Dux Friderice facit.
Omnia iam Sophiæ ſimilis, vocemq; diſertam,
Et roſeam faciem. lacteolasq; manus.

Palla

Palla huic & pictum croceo velamen acantho
Corpus obit, nitidas aurea vitta comas.
Surgit, ubi has vidit princeps, & poplite flexo
Obviat. & docta porrigit arte manum.
Tum ſimul auratis omnes conſidere ſellis
Juſſæ: mox verbis talibus orſa fides.
Quid teneræ perdis ver iſtud amabile vitæ,
In vidua ſolus, Dux Ludovice, domo?
Perpetuáne dehinc mœrens carpêre iuventa:
Nec caſti noris pignora cara tori?
Id cinerem & manes credis curare ſepultæ
Coniugis: ut ſemper buſta priora gemas?
Quin tu iunge toros iterum: pigeatq; dolenti
Tot tibi iam vacuos præteriiſſe dies.
Junge torum, & thalami ne ſit iactura prioris,
Intret in amplexus ſponſa novella tuos.
Sic, ubi Tharaides defleſſet funera Saræ,
Ceturam ſanctus ducere iuſsit amor.
Sic poſt Aſubæ triſtiſsima fata Calebus,
Arſit in Ephratæ candida colla ſuæ.
Vtq; olim medio iactatus navita ponto,
Qui modo turbatis vela regebat aquis.
Cum maris effugit rabiem, ventosq; furentes:
Jamq; ſuo tetigit munere functus humum:
Immemor ærumnæ, toleratorumq; laborum,
Dulcia ſecurâ gaudia mente capit:
Jucundosq; agitat cara cum coniuge riſus,
Signaq; lætitiæ dat manifeſta ſuæ.
Sic te poſt vidui triſtiſſima damna cubilis,
Carpere porrectâ gaudia fronte decet.

Quid iuvat aſſiduo frænum laxare dolori?
Et largo triſtes imbre rigare genas?
Quæ ſemel occubuit, nulla eſt revocabilis arte:
Panditur ad nullas ianua furva preces:
Ergò aliam tibi quære parem, ſociamq́ laborum:
Nobile quæ vitæ ſit diadema tuæ.
Hac cum tu reliquos ævi feliciter annos
Conſumes: hæc ſpes altera prolis erit.
Nondum finierat: cum ſic dilectio vocem
Interrumpendo, ô inclyte frater, ait:
Parce precor lacrymis: mœſtum depone dolorem:
Nil proſunt lacrymæ: nil iuvat iſte dolor.
Cur viduum peragas hac vita tempus inerte?
Hoc ævum ſancto cur ſine amore teras?
Dulcius in terris nihil eſt quod vivat, honeſtâ
Coniuge, quam ſocii mutua cura tenet.
Sive etenim vultu ſplendet fortuna ſereno:
Sive pruinoſis intonet Auſter aquis:
Sortis adeſt utriusq; comes, pars optima, coniux:
Proq́; ſui non eſt lenta ſalute viri.
Vtq̂; alii fugiant: hæc omnes vincit amicos:
Gaudet & ad partes prima venire ſuas.
Hæc conſolando multum cruciatibus aufert:
Atq́; ſit ut mentis pars bona ſalva facit.
Hæc, lecto ut recubes venis fugientibus æger,
Vltima ſors animæ dum tibi reſtat, adeſt.
Quid multis? ſeu tu riſus, ſeu ſeria tractes:
Et luſus tecum, ſeriaq́; uxor agit.
Quare age coniugii vinclo ne ſubtrahe collum,
Aſpiret tædis aura ſecunda novis.

Hæc

Hæc ſoror: hæc cara dulciſſima verba ſororis,
Confirmat nutu ſpes operoſa pio.
Cum frater princeps, animi pleniſſimus æqui,
Inſit: & in tales exerit ora modos.
Germanæ illuſtres, caſtiſſima corda ſorores,
Quæ me fata vocant, hæc decet una ſequi.
Non opis humanæ res eſt: connubia iungit,
Coniugii primus conditor, ipſe DEVS.
Impulit ille meos ſenſus animumq́ʒ: nec uxor
Jam procul externis invenienda locis.
Vidi ego, vidi unam, cum nox heſterna choreas
Juſſet, poſt ſumtas inſtituiſſe dapes.
Hæc Saræ formam, mores Judithis habendo,
Viſa mihi ante alias principe digna viro.
Non illam pietas, non relligioſa voluntas
Deficit: eſt uni mens operata DEO.
Tum placidi mores, & vivida pectore virtus:
Quæ vires etiam corpus habere facit.
Clarior hinc pario micat illi marmore vertex:
Collaq́ʒ ſunt ipſa candidiora nive.
Qualem vere novo præbent per prata colorem,
Candida purpureis lilia miſta roſis.
Talis ineſt roſea fulgens in virgine vultus:
Qualis Apellæis non fuit in tabulis.
Quid genus? Inachia quærant de ſtirpe parentes,
Quos virtus nullum nomen habere ſinit.
Si qua DEVM metuit, fido ſubiecta marito:
Præcipuæ hæc gemmam nobilitatis habet.
Hæc adeò Attalicas dotes, hæc munera vincit,
Lydius auratis quæ vehit Hermus aquis.

Si tamen & proavos quæram, gentemq́ue vetuſtam:
Heic etiam laudem, qua memoretur, habet.
Maiores illi ſacra de ſtirpe PALATI:
Gloria quos humeris evehit alta ſuis.
Ecquis enim tritavi ſceptrum regale Roberti
Neſciat: Imperii qui tulit huius onus?
Quem ſua facta virum priſcis heroibus æquant,
Amplaq́ue victrici parta trophæa manu.
Quis laudes Atavi ignoret: victoria dives
Cui verum Stephani nomen habere dedit?
Vivit adhuc Abavi Ludovici gloria: Amato
Qui Comiti Huldricho Theſeus alter erat.
Nomen Alexandri nullo delebitur ævo:
Quantiſper proavus progenerabit avum.
Quid loquar inſignem vera pietate Robertum:
Quo virgo hæc claro principe gaudet avo?
Nemo illo melior: nemo ſtudioſior æqui,
Romulidûm Carolo ſceptra tenente, fuit.
Hinc ſatus eximiâ clarus virtute Georgus
Clarus Ioannes: hoſpes in arce meus.
Dux pius & ſapiens: qualem vix protulit ætas
Aurea: Dux animi plenus ubiq́ue boni.
Quem variæ decorant præcelſo in pectore dotes,
Ingenium felix, iudiciumq́ue ſagax:
Et nitor eloquii, & doctæ facundia linguæ:
Sive Latina velit, Gallica ſive loqui.
Tum virtus animo longè ſublimior ipſo:
Notaq́ue, ſed noſtro tempore rara fides.
Cætera prætereo, herois memoranda Camœnis:
Nam virtus digna eſt hæc graviore tuba.

Quid

Quid verò matrem? matronæ exemplar honeſtæ:
Regia cui patriæ ſtirpis origo venit.
Nam pater huic, Suecis olim Guſtavus in oris
Rex pius. & vaſto clarus in orbe fuit:
Heîc ubi Mænalio nitidus ſub ſidere vertex,
Orbis Hyperboreis altior exſtat aquis.
Terra ferax frugum pecorisq́ & divitis auri:
Sed belli ſtudiis aſpera pacis inops.
Hinc Anna eſt: matri cognominis Anna: potente
Rege ſata. & mentis dotibus aucta bonæ.
Vix illa quæquam pietatis amantior: illa,
Vix quæquam libris tempora plura dedit.
Non illam fugiunt veterum præſagia vatum:
Non Lucæ & Pauli pagina quidquid habet:
Non quæcunq́ ſacro cecinit modulamina plectro
Pſaltes Nam memori mente notata tenet.
O quoties duris mulier iactata periclis.
Expoſcit pacem ſupplice voce Deum!
Talem Credibile eſt Annam vixiſſe parentem
Sive tuam Samuel, ſeu Phanuele ſatam.
Ecquid adhuc dubitém, ſuaviſſima corda ſorores,
Hunc ſocerum, hancq́ mihi conciliare ſocrum?
Et Mechtilda fuit veteri de gente Palati:
Mater Barbati relligioſa Ducis.
Nec Dux Æmiliam Richardus habere maritam
Noluit: hac Rheni natus & ipſe domo.
Quin adeò nuper de ſtirpe Henricus eadem
Dorotheen duxit. iura deditq́ tori.
Et ſoror Æmilia eſt nobis & Dorothea:
Vtraq́ Rhenano conſociata toro.

Vix hæc ediderat: cum ſanctis credula verbis,
Has roſeo voces egerit ore FIDES.
Novi, inquit, novi: quam tu chariſſime dicis:
Et cui iam dicas: Tu mihi ſola places.
VRSVLA ſola places. (Nam ſolum prodere nomen
Reſtat ab hac tanta quæ tibi nata domo eſt.)
Vrſula Virginei flos illibate pudoris.
Fallor? an hoc nomen nominis omen habet?
Certè prima toro fuit Vrſula iuncta iugali:
Vrſula nunc eidem parta ſecunda toro.
Atq; en, ut faveat præſens tibi fertilis annus:
Neſcio, fertilitas iſta quod omen habet?
Nam tum cum primi pepigiſſes fœdera lecti,
In curſu ſimili frugifer annus erat.
Tunc victus venêre boni: tunc conſita pomus
Opplevit lætes fructibus omne penus.
Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores:
Protulit & flavas meſſis opima comas.
Nunc iterum, falces poſti appendente colono,
Diſtendit ſpicis horrea plena Deus.
Pampineasq; altis induxit collibus umbras:
Iam cernes cupis fervere muſta tuis.
Iam pede collectas calcabit ruſticus uvas:
Dolia dum nobis, deficiantq; lacus.
Quod ſi bruma tuis veniens conatibus obſtat,
Longinquis nunquam commoda bruma viis:
Differ, dum gelida tranſacto frigore lucis,
Mox nova purpurei tempora veris eant.
Nec thalamo tempus, quàm Ver, eſt aptius ullum:
Vere tepent terræ: Vere vireſcit ager.

Omnia

Omnia tunc florent, tunc formoſiſſimus annus:
Tunc ſuus eſt pratis, arboribusq́ decor.
Et formoſus amor formoſo tempore dignus:
Et ſua feſtivis competit hora iocis.
Dixerat: una omnes Germanam voce ſequuntur:
Inprimis caſto pectore riſit Hymen.
Blandus hymen, primus thalamos non paſſus inertes,
Coniunxit ſanctis pectora bina toris:
Primus reſtituit ſocialia vincula lecti:
Interrupta diu lege tacente Dei:
Quando feræ gentes pecudum de more vagatæ,
Turbaſſent caſti fœdera coniugii
Ergo dies, alterq́ dies ubi tranſiit: Omnes
Excedunt aulâ, reproperantq́ domum.
Interea hybernæ labuntur tempora brumæ,
Et vetere elapſo mox novus annus init.
Continuò miſſi: ſponſam à genitore petitum:
Ut ventum: oratum, pollicitum atq́ datum.
Iamq́ dies cœlo demittitur illa ſereno:
Qua ſubeat ſocium cum Duce virgo torum.
Dicamus bona verba: venit Dux ſponſus ad aras:
Vinctaq́ poſt ſerto ſponſa venuſta comas.
Reddamus pia vota Deo, reddamus honores:
Et prece divinam ſollicitemus opem.
Auxilium quæcunq́ DEI *cœleſte precatur,*
Non venit è templis irrita turba domum.
CHRISTE *veni dapibus feſtis, prolemq́ miniſtra:*
Ludat ut ante Ducum turba novella pedes.
Annue: ſic tua ſit felix Eccleſia Chriſte:
Sic tua perpetuo vox ſuper orbe ſonet,

At

A vos coniugii vinclo propiore ligati:
Tu Ludouice parens, Urſula tuq; parens:
Viuite felices ambo: dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inſiciatq; comas.

IN NUPTIAS

GVILIELMI LANDGRAVII HASSIÆ,

ET

SABINÆ, DVCISS. WIRTENBERGENS.

Quæ fuerunt I. Febr. Anno M.D.LXVI.

PRincipis Heßiaci connubia pangite Muſæ
Quæ variâ multos utilitate beant.
Guilielmi Illuſtris, cui præbuit ubera quondam
Patria, ceu patrem nunc colit illa ſuum.
Wirtenbergiaci Ducis hunc ſata ſanguine virgo
Accipiens thalamo, legibus uxor erit.
Nomen uterq; parens ille poſuêre Sabinam,
Mens ratione valet, forma pudore micat.

Omnia

Omnia fauſta ſonent, infauſtas pellite voces;
Hos thalamos felix omen habere decet.
Ite novæ nuptæ, lætiſſima munera ferte;
Maximus huic Princeps lege maritus erit:
Diverſa quoq; parte viri pietate coruſci,
Fauſta pudens dicant, omnia ſponſa dabit.
Annuit hanc ſoli vaſti Deus arbiter orbis
Guilhelmo magno præmia magna viro.
Congrua Guilhelmo Deus hæc connubia ſoli
Virginis egregiæ pectore & ore dedit.
Guilhelmus, reliquos ſtudio qui vincit honeſti
Omnibus optatum ſpargit, ut aſtra, iubar.
Aſpicias: Corpus Guilhelmus amabile geſtat,
Implent Herois membraq; pulchra modum.
Gloria Guilhelmi finem nec habet, nec habebit;
Innumerabilium fixa ſub ore virum.
Quam duros caro tulerit pro patre labores,
Hiſtoricus memori prædicat arte labor.
Guilhelmus clari ſoboles, & imago Parentis:
Ad fera vix puber bella virilis erat.
Maxima præclarè geſtarum copia rerum;
Vſq; ab avis veſtram ſtipat honore domum.
Anteit ipſe ducum titulos, famamq; Philippus,
Virtutis primas dignior ille tulit.
Vrbibus infeſtam quia vim delevit, & æquum
Jus quoniam populo reddidit, ille placet.
Hoc ſibi Germani propugnatore putabant
Pro benè ſuſceptis bella gerenda ſacris.
Murus hic eſt veri, pietas quibus aurea cordi eſt,
Cognita præ reliquis verba ſalutis habet.

His etiam promptus ruit auxiliator in armis,
Atq; ſuis manibus pectora ſancta tegit.
Pene puer, ferro ſceleratos fudit agreſtes,
Fortiter armatos perdomuitq; viros.
Fortibus ille manum ſubitò contraxit ab Heßis
Wirtenbergiacum reſtituitq; ducem.
Quem præfectorum longè teterrimus, auctus
Milite non proprio finetrus expulerat.
Landgravius verò ſolida virtute Philippus
Hoſtibus eiectis reddidit arva Duci.
Dux Brunſuicenſis domitus teſtata Philippi,
Quamlibet invitus fortia corda facit.
O Guilielme decus Patriæ, noſtræ tibi Muſæ
Se debent, debet ſe ſchola tota tibi.
Tantus erat genitor tuus, ad fera prælia quando
Ibat, Achilleum pectore robur erat.
Cuius tu ſequeris veſtigia: nam tua Cæſar
Arma timens tremuit, corripuitq; fugam.
Inq; manu Pallas longam tibi tradidit haſtam;
Aonidum & fixit pectore dona tuo.
Iulius ut quondam felix ornatus utroq;
Strenuus in bello, clarus ab arte fuit.
Martia bella moves, ſed tum, cum flagitat uſus,
Publica præſidio frangere damna tuo.
At tibi cum dulci licet indulgere quieti,
Otia non equidem mollia lentus agis.
Otia ſed magnos tibi dant hæc ipſa labores,
Palladis ut curam, doctus & ipſe, geras.
Ars inſtrumentum peperit tua nobile cœli,
Quod ſeptem erranti ſidera luce vehit.

Septu-

Septuplicem curſum tecto comprendis eodem:
  Hoc ætas meruit nulla videre prior.
Inventumq́; tuum ſed acuti eſt machina fabri,
  Qui ferri polijt conſecuitq́; Cyclos:
Orbiculare aſtat penetrale, volubile tectum,
  Miraq́; res docto, terribilisq́; rudi,
Mens tua ſtelligerum ſublimis in æthera ſurgit;
  Excelſasq́; audet ſollicitare vias.
Gallica tu tereti tractas idiomata filo,
  Dictioq́; ore venit terſa latina tuo,
Verba gravis, blandusq́; ſimul vernacula fundis;
  Vanaq́; vox rubeis non cadit ulla labris.
Gaude ſponſa: nurum magna te mente Philippus
  Aſſociat: ſummum cuius in orbe decus.
Pulchra puella tibi gaude: namq́; inclytus atq́;
  Guilhelmus faciet verba benigna tibi.
Semideis non illo animo, non corpore cedit:
  Non illi virtus, non ratio ulla deeſt.
Blanditiis verbisq́; tibi mulcebit amicis;
  Corde ſuæ nuptæ munera grata ferens
Sunt etiam fratres illi virtute vigentes,
  Heſsiaci valido robore murus agri.
Aſpiciesq́; bonas ſponſi, facilesq́; ſorores,
  Quæ tibi cum chara grata parente ferent.
Omnes illuſtres, thalamisq́; illuſtribus omnes
  Vſæ, omnes formâ conſpicuæq́; ſuâ.
Harum te frater ſociam ſibi ducere lecti
  Optat Guilhelmus, lex ut avita iubet.
Coniugio at veſtro Deus omnia proſpera donet;
  Pignoraq́; adducat plura videnda nepos.

FAUSTA PRECATIO.

O Deus optanti, gratum nimis annue votum
Hoc mihi, nec vanas me ſine ferre preces.
Guilhelmo decus amplifices bonus atq; Sabinæ,
Des facilem vitæ pronus utriq; viam.
Nec ſors ulla gravis tam ſplendida corpora vexet,
Nec caſtos animos turpiter error agat.
Fortuna felice domus, variisq; redundet
Aucta bonis. præſtet ſubdita turba fidem.
Hos quoq; laus conſtans, & gloria pone ſequatur,
Quisquis & hoc oculo, vel notat aure, probet.
Inijce ſubiectis dulcem parere tremorem,
Ex animo mitem ſuſpiciantq; ducem.
At vaſtas aulæ portas, atq; edita tecta
Servet, cui non eſt robur inerme, Deus.
Limina ne ſubeant res ullæ tanta profanæ,
Omnia ſint fauſtis atria plena bonis.
Sera ſuper veniat, poſt tempora longa ſenectus,
Imperij ad ſummum duret habena diem.
Quæq; per exactam tenuerunt commoda vitam
Hæc linquant natis tradita morte ſuis.
Ipſos concordi vitam ſub amore trahentes,
Cum populo celebrent extera regna ſuo.
Alter in alterius defixus lumina vultu
Spiret, & ardentes vix premat ore notas.

JUST. VULTEIUS.

IN NUPTIAS
LUDOVICI LANDGRAVII
HASSIÆ &c.

NON *Paphiam Venerē, cæcosq; vocamus Amores:*
Dum nova Cattiadum nupta ſerenat opes.
Verus amor Deus eſt, & ab hoc ceu ſonte perenni
Connubiis caſtus conciliatur Amor.
Illius hic amor eſt illuſtris amoris imago,
Quo devota ſibi pectora Chriſtus amat.
Purus amor, cœleſtis amor, cœleſtia terris
Quo mediante Deus ſurgere regna iubet.
Talis amor celſi cor implet Principis: eia
Dulcis amor Dominum, Nos, patriamq; iuva.

H. TR.

IN NUPTIAS
Illuſtriſsimi & literatiſsimi Principis
MAURITII LANDGR.
HASSIÆ.
ET HAGNETÆ CONIUGIS &c.
ANAGRAMMA.
Mauritius Landgravius, & Agneta Comes Solmica.

ET recte! VIRTUS UT SOL MICAT IGNEUS ALMA,
AC DIGNA EST, pulchro quam quis AMORE colat.
MAURITIUS virtute nitens ſic fulget, & Hagne:
Hos igitur dignos num quis amore neget?

ALIUD.

Sint ſponſis anni centum, virtusq; Parentum,
DIIS Amor à Solis: O Apage ægra lues.

N. REUSN.

IN NUPTIAS,

DN. VVILHELMI HASSIÆ LANDGRAVII, ADMINISTRATORIS HERSFELDENSIS &c. Sponſi,

Et Illuſtris Heroinæ Virginis,

ÆMILIÆ ELISABETHÆ, COMITISSÆ HANOVICÆ &c. SPONSÆ.

Ad Illuſtriſſimos & Generoſiſſimos

DN. NEONYMPHOS, DN. SUOS CLEMENTISSIMOS.

TRIUMPHUS

Eccui	Victori	Connectit	Sponſula	Serta?
Victori	Palmas	Vobis	Guilhelme	Parabit?
Connectit	Vobis	Lætos	Inſtanter	Amores
Sponſula	Guilhelme	Inſtanter	Diademata	tradet
Serta	Parabit:	Amores	Tradet	Conjugiumq;.

ACCLAMATIO,

ERGO *etiam princeps Veneris te flamma fatigat?*
Ergo etiam pectus Cynthica Nympha trahit?

An

An quoque Magnanimis audet Venus arma minari,
Tanta nec Heroum pectora Virgo timet?
Non curas audax? toties quos arte laceſſas?
Quo tua vela regas, quos tua tela petant?
Audito te Dea cur tanta licentia tantum
Eſt Veneri: cur vos cogit amare Deas?
Iudicium Paridis ſtat certo Immobile motu:
Noſtra venus Victrix Aurea poma ferat.
Dic Juno aut Pallas. quid amore potentius extet?
Omnes armatos vincit inermis amor.
Quæſo quid utilius veneri eſt? Venus omnia tradit.
Omnia rite parat cunctaque ſponte parit.
Omne Venus pulchrum. Mentes quas flectit honore,
Nectit amore pares: iungit & ungit amor.
Hinc non Immerito quater Illuſtriſsime princeps
Jam partes veneris Caſtaque caſtra petis.
Ecce tibi Nympham Deus hanc tibi fœdere iunxit,
Quæ forma, Vita ſtemmate quæque Dea eſt.
Si genus antiquum, ſi longos concupis Ortus;
Hanoviæ Heroes Vraniæque vide.
Quanta Philippe tua celebratur ſtirpis Origo?
Quanta tibi laus eſt, gloria quanta fuit!
Non atavos referam memorabile ſidus avorum.
Sponſe patrem ſponſa cerne patriſque decus:
Quæ gravitas, geſtus, Lepidi qui corporis artus.
Quam quoque Sermonum gratia mira fuit:
Hunc virtus pietas, linguarum vera cupido,
Hunc Germana fides; hunc decoravit amor.
Induperatores Regni Regeſque Duceſque
Hunc quaſi certatim concoluere ducem.

Italus & Gallus te mirabatur & Anglus
Et tua perplacuit mens Generoſa Deo.
Quid genus Uraniæ latum ſuper æthera tollam?
Ipſum quod cœlum ſidera quodque tenet.
Heroes quanti: quam fortia pectora geſtant
Qui nec maiores tot timuere viros:
Vivit Mauritius celebris Mavortius Heros
Alter Alexander; Filius ipſe Jovis.
Et quid Martis opus memorem, belliqùe labores:
Terrarum Fines aſtraque laude replent.
Rhenus te Rhodanus, Mænus, Moſa, Sequana, Lanus,
Et Maria alta ſtupent, te venerantur, amant.
Hoſtes Hiſpanos Turcarum pectora teſtor
Maxima ſunt quorum vota videre virum.
O Gens illuſtris. ſponſe Illuſtriſſime. ſponſæ.
Hæc Oriana tua eſt Uranieque tua.
Si vitam: vitæ ſpeculum probitatis aſylum
Æmiliana ſibi nomen & omen alit.
Æmula prudentum, ſpectatrix æmula veri;
Æmula iuſticiæ eſt æmula iudicij.
Æmula ſermonis caſti, caſtæ æmula mentis
Æmula mundiciæ eſt angelicique chori.
Æmula quæ vitis, quæ cuſtos æmula egeni;
Æmula quæ patris eſt; Æmula matris erit.
Æmula Virtutum, pietatis & æmula pacis
Æmula quæ morum eſt Æmula quæq; Dei.
O divum nomen ſponſæ: divinius adde
Eliſabetha Dei dicitur eſſe domus;
Vel Juramentum Domini; quo pectora Sancta
Sanctè promiſit candida Eliſa fidem.

Si formam ſpectes: quid ea formoſius: aut quid
    Corpore amabilius, pectore quid melius!
Hæc facie inſignis, ſuavi ſuaviſſima vultu
    Viva Colore viret, Divaq; odore viget.
Quæſo purpureas Lactisq; aſpergine tinctas
    Ecce Deæ venas ecce genasq; Deæ.
Aptaq; quam rutilis toties ſcintillat ocellis,
    Oréque quam pulcra eſt, quam ſpecioſa labris.
Hanc decorant humeri, decorant & eburnea colla;
    Hanc decorant ulnæ, quam decorentq; manus.
Gratior aurora eſt: iucunda ſuavior aura:
    Dulcior & melle eſt, pulchrior Illa roſa.
Lucidior luce eſt, divinis clarior aſtris
    Splendidior ſole eſt Commodiorq; Sale.
Nobilior gemmis, puro precioſior auro:
    Purior & cœlo, purior igne nitet.
Mobilior pluma; viridi quoq; amœnior horto,
    Floridior flore eſt candidiorq; nive.
Nec maculæ, rúgæq; genis: pulcherrima tota eſt:
    Veſtibus ipſa Dea eſt. geſtibus ipſa Venus.
Hanc igitur Gvilhelme lubens amplectere Nympha
    Oſcula fige labris tange manuq; manus.
O felix Guilhelme: tuam modò pectus amore
    Non ſine re coluit nec ſine ſpe caluit
Æmiliana diu veſtros meditatur amores
    Approbat ipſa genas, appetit ægra genas.
Nec mirum: Sponſus cum laude coruſcet avorum
    Splendeat & proavis ſplendeat Ille patre.
Euge Philippe Decus cœlorum: gloria Cattum.
    Imperii ſplendor Firma, columna piis:

Quis te vel melior: verbi vel amantior æqui:
Pectore quis Maior, quis pietate prior?
Carceribus ſpretis generoſamente paraſti
Relligionis opus, non regionis opes.
Quid GVILHELMUS avus? duriſsima vincula patris
Rumpere Marte cupit, frangere Morte cupit.
Cæſaris hinc iram, vel Cæſaris ille favorem
Omnes Magnanimus deſpicit Ille minas.
Pro patria, cœtu, pro libertate parentis
Mente, manu conſtans ultima ferre ratus.
Eho quam rarum: ſed quam memorabile factum?
Quantus honor gnatis ſic adamare patres.
Æmulus hinc patris; patriæ pater, optimus Heros
MAVRITIVS propria Laude vigere parat.
Virtutes veteres multis virtutibus auget
Laudibus Haſsiacam tollit ad aſtra domum.
O ſol Cattorum; Princeps & Principe Maior.
Aſtris & triplici dignus honore frui.
Tu Fax Iuſtitiæ, tu Lux ſapientiæ & artis
Virtutis ſpeculum, Martis & artis honos.
Alter & es Salomon, prudenti Maior Vlyſſe,
Æqualis Phœbo, Gloria ſola Iovis,
Vera fero: nullus princeps re; Marte vel arte,
Relligione ſimul Maior in Orbe viget.
O te felicem te terq; quaterq; beatam
Ingens Hanovicæ Gentis Eliſa decus:
Ecce tibi Florem tam magnæ Stirpis amicum.
Quam capiti præſtans ecce corona datur:
O Flos quam ſuavis: Suavi quam dulcis odore.
Quamq; colore nitet: quamq; vigore viret?

Huius

Huius Odoratus mentem, color aptus ocellos
Succus reficiet corpus amore tuum.
O lectum electum: Neonymphis nobile fœdus
Numinibus tantis Luminibusq; ratum!
Gaude MAVRITI; *Cattorum terraq; gaude:*
Eliſabetha tibi iam REDIVIVA *venit.*
Dive Philippe pater, gaude Illuſtriſsima mater;
Gnata quod Inſigni Iuncta marita viro eſt.
Hoc meruit pietas, virtus, ſpes, Numinis ardor:
Sic Deus ex voto ditat in orbe pios.
Tu Wilhelme volens Galeam *cape promptus amaris*
Et galea ſponſam protege ſponſe tuam.
Æmiliana tuum modo reſpice, dilige ſponſum.
Pallas & eſto chori, Lampas & eſto thori.
Pectora pectoribus, veſtras & iungite mentes:
Iungite vos dextras: iungite labra labris.
Sic erit una domus, mens, corpus, ſic thorus idem;
Sic & verus honor: coniugialis amor.
Sic aberunt lites, ſic iurgia nulla vigebunt,
Sic erit alma quies: fertilitasq; poli.
Sic vix elapſo pulcher Guilhelmulus anno
In gremio ludens gaudia mille feret.
Hinc proavos, atavos, & avos ſuperare parentes
Arcibus & magnis artibus ille volet.
Fata hæc vota beent: ut ſic pax regnet in oris
Iuraq; ſic vigeant; ruraq; ſic vireant.

H. Rodſchit P. A.

IN NUPTIAS

OTTHONIS LAND-GRAVII, &c.

CVM

CATHARINA URSULA MARCHIONISSA BADENSE, &c.

Q*Vid rura fervent Heſſica? Quæ tubâ*
Fœcunda Lani littora perſonat?
Cui vel parat civis novellum
Marchioburgiacus. *triumphum?*
Quid ampla fragrant compita floribus?
Quid celſa fumant atria odoribus?
Cui ſacra Phœbi templa læto
Vndiq; ſunt operata plauſu?
Cur alta Lani Regia deſuper
Ardente circum pulvere fulminat?
Crebroq; diſſultans fragore
Sulphureos iaculatur ignes?
Quid tam decorus, Nobilium nitor?
Quid tanta patrum pompa? tripudia
Quid Virginum? Quid vota Matrum!
Quid iuvenum Labor & virorum?
Venit ſupremo, Io, venit auſpice
Tonante, Princeps Cattidos urbibus
Dudum vocatus, ſpes ſuorum,
Teutonicíq; columna Regni.

Quem

Quem Muſa celſum tollit ad Æthera;
Quem Mars ducali clarat adorea;
Et quem perenni laude dignum
Fama vehit roſeis quadrigis.
Quo Pax FRIDRICO *læta ,* GEORGIO
Quo fas & æquum ſedibus imperat
Hochbergiis , & quo Budanum
Principe creſcit ad aſtra nomen.
Huic omnis oræ Lanidos accola ,
Huic cuncta terræ Cattidos oppida
Surgunt; & una mente dignos
Inſtituunt venienti honores.
Et iure : Magnum, magnum etenim omnibus
Fert ille Cattis commodum, at unico
Maius Duci donum, metallum
Quod rutilum, nitidasq́ vincit
Splendore gemmas: Scilicet inclytam
Suam propagem, delicias ſuas
Et Haßici Nympham Leonis
Cor Superumq́ hominumq́ curam.
Gemmam Dearum, quam memorabiles
Mundi Monarchæ (ſi geneſin notes
Gentis Badanæ) protulerunt.
Quamq́ bonis variis abundè
Numen beavit; Cui roſeas genas,
Et tincta rubris labra coralliis;
Et vividum vultus honorem,
Sideriosq́ Venus dicavit
Ridens ocellos ; Cui charitum trias
Mores venuſtos ; Cui Pietas Dei

Verum

Verum timorem; cui Minerva
Virgine Principe iure dignas
Indulſit artes, cui ſimul aureum
Cornu Meliſſa divitis, ac opes
Iuno potentes? Cui CATHARINA
Caſta cui URSVLA *diva pulchrum*
Nomen nec unquam à nomine diſsidens
Omen dederunt; Haſſidos urbibus.
Vt illa poſt, OTHONI *Adoni,*
Cordi oculoq; ſuo, iugali
Coniuncta vinclo; ſit decus; & Duces
Magnos det Haſſis, qui proavos ſuos
Marte; Arte reddant, & penates
Haſſiacos decorent trophæis.
O magna Divûm gratia: nobile
O munus arcis ætheriæ: Deus
Sic ipſe ſemper ſe timentes
Ditat in orbe Duces. Adeſto
Illuſtris Heros, inclyte Marchio
Adeſto, & urbem Marchioburgicam
Muſis dicatam, cum ſerena
Coniugii ſocia, piaq;
Cum prole, Lani cum Domina, mea
Cui Muſa, totam ſe vovet, omine
Intrato læto; lætiore
Ad viridis Cytiſi potentes
Deſcende muros ſidere; & Haſsicas
Solare flammas, Noſtin' ut improba
Iſtæ medullas, oſſa, & ipſum
Pectus amantis edant, nec unquam

Sævire

Sævire ceſſent; nec Podaliriis
Curentur herbis. Tu Genero novo
O Dive Princeps, ô potentum
Gloria magna Ducum Georgi.
O Magne mi FRIDRICE, *ſalubribus*
Succurre ſuccis, nec ſine longius
Ardere amantem: Sic novellum
Cornua cum novies reſumpſit
Titana coniux: Haſſia Principem
Ottone natum; tu, Patrias regens
In pace terras, ex Propage
Et Generô capies Nepotem.

II.

Ad Sereniſſimum Cattorum Ducem

MAVRITIVM, OPTATISSIMAS ILLUSTRISSIMO ET PRIMOGENITO FILIO SUO OTTONI, Nuptias parantem.

SIc per Jovem, ſic eſt, benigne Cattici
Princeps Soli; Sic undiq;
In urbe, MAURITII *ſerene, vivitur*
Hoc quicquid eſt ævi, pius
Ut ni Magiſtratus foret, ſuos vigil
Qui ſubditos defenderet;
Ferociamq; perditæ compeſceret
Turbæ enſe, dextra, legibus;
Everſa iam dudum iacerent omnia
In orbe pulchra: Tam ſibi

Hic,

Digitized by Google

Hic. ille, & iſte, & omnis omne, quod libet,
Putat licere. In nullius
Vt hoc tamen, Princeps ter Illuſtriſſime,
Stat velle, ſic in nullius
Mortalium, ſed in ſupremi Numinis
Arbitrio; Sola in manu;
Solo in Dei nutu ſtat illud; Arbiter
Quos ipſe nempe providus
Illuſtribus Mundi Monarchas faſcibus;
Quos ipſe demum Principes
Vel imperando, quosve regnando Duces
Armis potentes Vrbibus
Lætisq; regnis deſtinet: Bonos, malos,
Pios, & impios, feros;
Mitesq; Reges Numen orbi cœlicum
Solet datatim immittere
Malos malis, bonos bonis; hos præmia
Pœnas eos; Hos gaudium
Mœrorem eos: Hos patrii decus ſoli,
Seramq; Mundi gloriam,
Et nominis famam ſui: Probrum malos
In orbe non delebile.
O lachrymandum, ô efferum Princeps malus
Malis malum: O ter optimum,
Lætumq; Dux bonus, bonis donarium.
Beata tellus Haſſica.
Beatus omnis orbis Haſſi incola
Te tam ſereno Principe,
Et patre Mauritii: Beatos accolas
Werri: Beata flumina

Ful-

Fuldana; ter, tibi dicata, pectora
Beata quævis, Cyntium
Seu illa parvum, ſeu Viſurgin, ſeu Ahnum,
Dimellium ſeu Weſtphalum,
Seu Ederum latè vagantem; ſeu ohmum
Seu Schwalmium Mavortium
Magnumve Rhenum, ſeu Camœnis nobilem
Lanum bibunt, cives, quibus
Supremus ille conditor rerum Deus
Jehova te ſummum caput
Ducemq́ prætulit, Ducem pium, bonum,
Mitem, benignum, & integrum,
Juſtumq́, pauperum Patronum, civium
Spem; publiciq́ ſimul boni;
Legisq́ ſacræ vindicem, Patriæ Patrem,
Fulcrumq́ Pacis unicum.
O Regium verè potens Princeps genus,
Magniq́ clarum Caroli
Germen, Latini ſtella Regni, Teutonum
Corona pulchra Principum,
Orbis favor, cœli decor, Muſarum amor,
Æterna vatum gloria.
Vive euge dive vive Princeps, poſcimus,
Diu ſuperſtes, civibus
Tuis, & orbi Chriſtiano fluctibus
In tot marinis Anchora
Dudum petita. Cernis ut te conditor
Orbis Jehova in omnibus
Felicitet cœptis? ut hic idem piis,
Illuſtribusq́, ſplendida

Qui facta ſectantur patrum, te ſoſpitet
Natis? ut OTTO *maximus*
Horum, tot aureis ubiq; dotibus
Inſignis, optatos tibi
Hodie ferat fructus Patri, quando novis
Affinitatibus Ducum
Badenſium te ditat, & Cattis novos
Duces tibi optatiſſimos
Spondet Nepotes? Cernis ut circumundiq;
In te ſuos Germania
Vultus & ora vertat? ut te Principes
Externi? ut Anglus Inclytus
Cymberq; te colat Monarcha? Ut Liliger,
Fretus tua virtute, Rex
Te militares copias Ducem petat?
Vt rubra te volucris Jovis,
Vt Ruta te commendet? Vt Cæſar, tua
Nixus fide, te conſulat
In arduis? Tu fauſtitate cælica,
Qua Filius, qua conſocer,
Qua te Badana proſperat Nurus, probè
Lætare; Tu Germaniæ,
Tu Galliæ; tu Cymbro & Anglo; Belgicis
Tu civibus, tu Juliæ
Hæredibus, tu Principibus, tu Cæſari
Succurre, & inter Patriæ
Patres locum merere maximum. Deus,
Qui ſceptra, qui terras tibi
Ampliſſimas ſubiecit haut ſine Numine,
Is te regat, te proſperet,

Te ro-

Te roboret, te ſub-furentibus Notis
Cuſtodiat ſemper, tuum
Ut Neſtoris duret per annos inclytum
Decus, atq; vita ſæpius
Quò ſoſpitem videre, teq; carmine
Dignarier queam pio,
Ex Filio donec tibi Chariſſimo
Ottone, donec incluta
Ex Vrſula, Gentis Badanæ Gloria;
Nuru tibi gratiſſima,
Nympha pia, quibus novellas hac die,
Inter tot orbis iubila
Tædas paras, optata lætus germina
Et Filios & Filias,
Horumq; quondam Filios & Filias;
Tuæ perenne gaudium,
Pacemq; cernas Cattiæ, qui, ſoſpite
Te, laude tangant ſidera;
Tecumq; caneſcant, Polorum lumina;
Et Orbium miracula.

III.

Ad Reverendiſſimum, Illuſtriſſimumq;
Dn. OTTONEM, HASSIÆ LAND-
GRAVIUM, ADMINISTRATOREM HERS-
feldenſem, Principem Sponſum.

O *Lepidam lucem. Non ſic, celſiſsime Princeps*
Haſſorũ, auricomus quando, quod tempore longo

Occuluit, lætum Heſperiis caput exerit undis,
Celſaq; ſupremi ſuperambulat atria Cœli,
Sol, nitida nigras depellit luce tenebras,
Puniceaq; omnem colluſtrat lampade Mundum;
Vt tua lux, ut coſta tua; Vt tua mille cupita
Vrſula, poſt curas tot, poſt tot longa morarum
Tædia, facta tibi, iam Badæ egreſſa Caminis,
Et Rheni & Mœni ſuperatis iugiter undis,
Excelſaq; tui ſplendens Genitoris in Aula,
Triſtitiæ nigras, Sponſe illuſtriſsime, paſsim
Corde tuo pellit nebulas, ſtabilesq; novellæ
Fert tibi lætitiæ radios, quos nulla dierum
Caligo extinguet; nullum quos opprimet ævum.
Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum,
Vt, quæ te caſto victum cœpiſſet amore;
Et cuius Pietas, caſtoq; annexa pudori
Caſta fides; cuius Probitas, formæq; venuſtas
Et ſexu Virtus, annis prudentia maior,
Et non ceſſuri, niſi Diis, ſine crimine mores,
Ex Patria toties terra traxiſſet in oras
Alſaticas, Turrisq; lacum, Badæq; penates
Antiquos; Hanc tu Virtutibus, artibus, auſis,
Et Candore tuo, & mira dulcedine mentis
Devictam caperes; captamq; in Cattidos Vrbes,
Et terras traheres, & tractæ illuſtria caſto
Æternoq; tibi ſociares pectora nodo.
Iamq; dies ſolennis adeſt, quam ſemper amatam,
Semper honoratam verſo ſervabimus anno,
Quæ te ſperati voti, longiq; cupiti
Damnat, & augurium firmat, Dux inclyte, noſtrum.

Gaude age; gaude, inquã, Sponſe illuſtriſſime gaudẽs
Gaude: Namq́ decent te gaudia; Sed tamen illa
Gaudia nobiſcum partitus, divide: Fas eſt
Gaudia nos gaudere tua; alto vota Tonanti
Pro te cum dedimus: ſacrasq́ oneravimus aras
Miſcuimusq́ preces, & non inpervia Cœlo
Murmura; nunc longus quoniam tibi naſcitur ordo
Gaudendi, gaudî ſenſus pertingit ad omnes
Publicitus, intusq́ errans infuſa voluptas
Irrequieta ciet trepidas molimine fibras.
Scilicet ut læta cum ſpirant ſorte Favoni
Molliculi, & purus Titan ſplendeſcit ab alto
Æthere, tunc plaudit tellus, tunc gaudet olympus;
Tunc tranquilla ſilent pacati littora Ponti:
Aſt ubi ſors Aquilo nigris adinhorruit alis,
Et gelidos Cœlo detorſit Juppiter imbres,
Tunc tellus latè ſqualet deformis, & atras
Asperat unda tumens ſpumis albentibus iras;
Sonticus incumbit campis triſtantibus aer;
Et picea obductum torpet caligine Cœlum.
Sic nos, ô Latii, Princeps, Sol ſplendide Regni,
Ex te ſuſpenſi trahimus bona, triſtia, læta,
Aſpera, mitia, mœrores, ſpes, iubila, curas;
Inq́ hilares tecum plauſus effundimur, unus
Quo tu cunq́ vocas; noſtrasq́ in vota ſequaces
Deducunt, quæcunq́ iuvant te gaudia, mentes.
Quanquam quid nos eſt admittere gaudia? Cæſar,
Omnesq́ Imperii Latii longo ordine Patres;
Maioresq́ tui, Cognatorumq́ tuorum
Illuſtris cœtus, ſive illos altus Olympi,

Cæleſtes inter faculas, Superûmq́ Sodales,
Æther habet cives; ſeu illos forſan ad Iſtrum,
Regnioburgiacæ claris in ſedibus Urbis,
Arduus in Patriæ communia commoda terræ
Exercet labor & ſtudium; ſeu Fuldidos illos
Nunc Caſſellana iunctos te propter in aula,
Ripa capit, læto plauſu fremituq́ ſecundo
Exporgunt ultrò frontes, vultusq́ ſerenant,
Perpetuosq́ tibi læti meditantur honores,
Hanc inſertantes lucem felicibus aſtris,
Cum tibi tam florens, tam miris undiq́ præſtans
Corporis ac animi donis adducitur Vxor
Virgo, Megiſtanas nihil ementita Parentes,
Sed clara claram ducens ab origine ſtirpem,
Et crebra illuſtrem ſignans ab imagine gentem,
Nempe Badanorum memorabile ſidus avorum
Marchionum, Katharam caſtam nullius egentem
Virtutis Nympham; paribus tantò ante euntem,
Quantò ſplendidior quam cætera ſidera, Phœbe.
O te præ reliquis Ducibus, Dux Dive, beatum,
Cui tantum teneræ Iuveni abblandita Iuventa,
Cum vix bis bini tetigiſti tempora luſtri,
Et Venus & Veneris favet indulgentia Nati.
Quid porrò ſuperum poſcas, pie Sponſe, Tonantem?
Quid maius voveas? Multa ſi doté moveris:
Egregias ſcis forſan opes, Gentisq́ Badanæ
Imperium latè dominum, ditione tenentis
Cum populis Vrbes, Caſtella, Vndasq́ ſalubres,
Gazasq́ innumeras, & opima iugera glebæ.
Quod ſi fors veterum ſeriem perpendis Avorum

Vir-

Virginis, Otto, tuæ, pie. Quis, rogo, fortia bello
Corda Badanorum? Placidæ quis, quæro, quietis
Marchionum neſcit ſtudium? Cui clara Fridrici
Facta tui Soceri non ſunt notiſſima pulchro
Qui pulchræ Princeps laudis ſuccenſus amore,
Pro Patriæ gentis, pro libertate ſuorum,
In flammas ignesq; ruit; nôn ille labores,
Non exhorreſcens vel aperta pericula vitæ?
Vnus Homo, certo qui non ſine numine terris
Alſaticis nuper collapſam reſtituit rem
Dextra, mente, fide, Martisq; potentibus armis.
Nec minus ampla tuæ Socrus ſplendeſcit Origo
Reingraviana Domus, quam fortibus annumeratam
Bellonæ Ducibus, totiesq; per arma probatam,
Belga, Luſitanus, Germanus, Gallus & Anglus
Suſpicit, & ſupero demirans miſcet Olympo.
Teſtis Oto, Pater, & Natus: Teſtis Fridericus;
Et teſtes alii clariſſima lumina priſcæ
Reingraviæ Gentis, qui quantum tempore Pacis,
Et quantum in rigidi valeant diſcrimine belli,
Conceptis dudum verbis monumenta loquuntur.
Et quis adhuc dubitet, quater Illuſtriſſime Princeps,
Læta tuam lætam præcurrere gaudia mentem,
Cum tantis Patribus Virgo illuſtriſſima, tantis
Cum prognata viris Ducibus tibi ducitur uxor,
Teſtatum factura olim volventibus annis,
Quod nunquam imbellem fortis Leo proferat agnam;
Nec timidam pariat volucris Jovis alta columbam.
Creſce novum decus in veteri, Sponſe inclyte; creſce;
Creſcere nũc potis es; Creſces quoq; ad Æthera; creſces,

Cum te tam clara ſupremi lucida Cœli
Aſtra beant Socia, quæ multa Prole Parentem
Creſcere te faciet: Priſcis hoc ſcilicet Haßis;
Hoc Badæ Ducibus proprium eſt. Modo fila ſorores
Integra lanificæ ſervent: Nuptæq́ꝫ, tibiq́ꝫ
Numina dent longæ felicia tempora vitæ.

IV.

Ad Illuſtrißimam, Generoſißimamq́ꝫ

D. CATHARINAM URSULAM, MARCHIONISSAM BADENSEM ET Hochbergenſem. &c. Principem, Virginem, Sponſam

TVq́ꝫ genus Divûm, caſtæ Genitricis imago,
Viva, Badanæ ingens gentis, CATHARINA, Propago,
URSULA, *Virginei ſpeculum prælustre pudoris*
Gaude, age, gaude, inquam; longus tibi naſcitur ordo
Gaudendi: quoniam Chriſto Duce & auſpice Chriſto
Legitimo tibi conſociatur fœdere Sponſus,
Illuſtris Sponſus, Regum ſtirps clara potentum,
Magnorumq́ꝫ Ducum ſanguis generoſus, Avorum
Splendo & Haßiacæ Princeps celeberrima terræ,
Gloria, ſpes Patriæ; Juvenis florentibus annis
Integer & placidæ decoratus honore iuventæ,
Muſarum tenero qui caſtra ſecutus ab ævo.

Digitized by Google

Et per Gallorum Regiones, oppida, & arces;
Perque Britannorum ſedes cum laude profectus,
Multiplicesque ſimul linguas edoctus & artes,
Illuſtres inter Proceres, interque Dynaſtas
Teutonicos tantùm virtutibus emicat omnes,
Quantùm quæ creſcit celſis in montibus arbor,
Et ferit ætherias frondente cacumine nubes.
Hunc ex illuſtri, quam non ſine clade ſuorum
Ætherium noſtris iampridem Numen ademptam
Eripuit terris, Cæloque immiſcuit alto,
Solmſiaca, primum robur, primamque propagem,
Effigiemque ſuam, Latij Clariſſima regni
Gloria Mauritius Princeps, Germanus Ulyſſes,
Ter geminis titulis, triplici ſubnixus honore,
Quem Pietas, quem cana fides, quem dedita Muſis
Mens, quem Conſilium, Virtus, Sapientia, Candor,
Quem Manſuetudo, quem Legum cura ſacrarum,
Exemptum procul à vulgi popularibus auris,
Sublimem Cælo ſtatuit, quem ſancta beatis
Relligio circum placidè complectitur ulnis;
Et quo Germanis Duce Pax ſervatur in oris;
Tantò antiſtantem paribus, tantò certantem,
Quantò Trinacriæ, quem vidimus, altius unus
Supra alios montes vertex ſe ſuſtulit Æthnæ,
De quo nil aliud dico, nil dicere poſſum,
Quam, quantus Princeps ſit, nullum dicere poſſe,
Suſcepit Genitor primo ſub flore iuventæ
Illuſtrem generoſa tuis Katharina Maritum
Dignandum thalamis. O terque quaterque beatam
Te tanto vitæ Socio, Sponſa inclyta; tanto

Ter te felicem Duce Coniuge, Creſce age creſce,
Creſce novum decus in veteri; creſce, Vrſula, creſce;
Creſcere nunc potis es; creſces quoque ad æthera, creſces,
Cum tam prælustrem tibi dant pia Numina Sponſum,
Qui lætam multa claraque propagine Matrem
Creſcere te faciet. Petit hoc pleno ore Tonantem,
Ille tuus Genitor, Genitrixq; illuſtrior; unum
Hoc Socer ille tuus; Votis hoc iugibus optant
Germani Proceres Regni, Procerumque potentum
Præclari, ex varia terra ad tua fœdera miſsi,
Legati; Petit hoc Haſſus ſimul omnis & omnis
Haſsica Nobilitas, quæ menſas inter opimas
Ac inter læti ſpumantia pocula Bacchi;
Vivat io, clamat, noſter cum coniuge Princeps
Mauritius: Vivat Dux Otto, Parentis imago
Inclyta: Vivat, Io, vivat Katharina Badana
Vrſula, Otonis amor, ſpes noſtra: Det illa nepotes
Mauritio, Ottoni Sobolem, quæ facta Parentum
Reddat, & Haſsiacum regat æquis legibus orbem.
Hæc omnes uno Catti velut ore precantes
Ingeminant, læto reſponſant ſidera plauſu,
Et bona Iuppiter ipſe Polo dat ſigna ſereno.

JAN. HENRICUS SCROTERUS.

IN AUSPICATISSIMAS NUPTIAS

Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis, ac Domini,

DN. VVILHELMI LANDGRAVII &c.

Cum Illuſtriſſimâ, & Generoſiſſimâ Dominâ

ÆMILIA ELISABETHA NATA COMITISSA HANOVIENSI &c.

EPITHALAMION EPIGRAMMAticum conſcriptum

A B

HENR. PETRÆO PH. & M. D.

SUNT *duo præſenti mundi miracula ſeclo*
Maurity, Cattus, Naſſoviusq; duces.
Conſilio & virtute regit ſibi ſubdita Cattus,
Arte, & Marte tegit Belgica Naſſovius.
Hi duo ſunt fortes ſolidâ virtute Leones,
Hi duo ſunt Aquilæ, qui ſuper aſtra volant.

Hi

Hi ſunt germani Clariſſima lumina Cœli
Fulmina ſunt belli, numina pacis item.
Æmulus Hanovius quorum impiger ille Philippus
Ludvvicus ſummâ non ſine laude fuit.
Iunxit utrumq; decus Juliana faventibus aſtris
Naſſovia Haſſiaci lucida ſtella poli.
Aemilia Haſſiaca ſponſa Eliſabetha Wilhelmo
Sanguine nunc iuncto iunxit utrumq; decus.
Eliſabetha fuit Cattorum Diva, Wilhelmi
Haſſiacam auxerunt laude bonisq; domum.
Non ſolet imbellem Jovis armiger ille Columbam,
Magnanimus cervum nec generare Leo.
Et Phœbo, & Veneri ſacer ales pignora gignit
Candida, & argutâ voce canora patris.
Fortibus atq; bonis forteſq; boniq; creantur.
Fertilis hic naſcens ſurculus arbor erit.
Coniugium ô fauſtum! Charites cui fauſta precantur
Omnia, cui Muſæ, cui polus atq; ſolum.
Vivite concordes, olea uelut inſita vitis.
Juxtâ oleo, ac vino dulci hilarate Patres.
Mauritii æternâ hinc virtute & laude vireſcant
Et ſtatuant generi pulcra tropæa ſuo.

IN EASDEM M. DANIELIS ANGELOCRATORIS PIA ACCLAMATIO.

DUx *Guilielme tibi vigeſima prima Novembris*
Eſto ſacra dies, Aemiliæq; tuæ.
Aemiliæq; tuæ multis illuſtrior annis
Vt celebranda tibi candidior redeat.

Hac etenim veniunt duo nomina nomen in unum,
Vt duo ſint unus ſpiritus, una caro.
Dic Gulielmorum; dic nomina Mauritiorum
Fulmina quos belli pro pietate, colunt.
Sit rata per Chriſtum communio, & unio talis
Qua decus Imperio, pax tibi firma, Sion.
Iô lætemur, & exultemus iô geminemus,
Nobiſcum Deus eſt: quid meditatur homo?
Sic ſchola, ſic templum, ſic curia, & oppida, & agri
Gratantes Domino vota preceſq; ferunt.

ECLOGA NUPTIALIS

IN NUPTIAS AUSPICATISSIMAS

Illuſtris & Generoſiſsimi Domini

DN. IOHANNIS IVNIORIS COMITIS A NASSAVV &c.

Cum æquè Illuſtri

MAGDALENA COMITISSA WALDECCENSI HANOICA.

Dryades.

SI vacat, & ſupereſt tibi mens, quæ hæc talia curat,
Munera nec ſordent modò venatoria; quæſo,
Accipe, Daphni decus nemorum, gratantia Nymphæ
Carmina ſylveſtris; Tibiq; Idmoniq; parata;
Tillano Idmoni: dum ducitur uxor utriq;;
Idmoni Galathea; Tibi (digna utraq;) Phyllis.

Hos

Hos verum auditæ heic Dryades, qua perſtrepit Acis,
Sollicitum canibus leporem de more ſequuto
Nequidquam (elapſum heu!) Corydoni fundere cantus.
Luxiſtis tenus hac Alconis Funera veſtri,
Atq; graveis dudum planctus fudiſtis; at ora
Non iam velatæ nigrâ, velut antè, cupreſſu;
Verum præviridi redimitæ tempora myrto;
Plaudite Cynthiades iterum nunc plaudite Nymphæ.
Ipſa etiam Galathea novos agit optima plauſus:
Sic quondam Alconi Galathea adamata; pudicus
Quam nec amat ſociam tuitur: nova gaudia captans
Jam tamen illa cupit Coniux Idmonis haberi.
Hinc illi plauſus lætum pæana ferentes!
Plaudite Cynthiades nobiſcum plaudite Nymphæ.
Cõtrahitis quid adhuc tamẽ, ô bona Numina, fronteis!
Incuſanda fides Galatheæ an fortè videtur
Vobis? ſed tacitis quidnam velocius annis?
Lætetur (pereunte ſuâ mox ſponte) iuventa
Flore ſuo; tradunt quod Scriptaq; myſtica: læta
Plaudite Cynthiades igitur nunc plaudite Nymphæ.
Veſtros ſive choros quaſi deſerat illa, putatis
Cauſam triſtitiæ an præbere? ſed apta Dearum
Sic Thillanarum renovata videbitis olim
Fœdera vobiſcum, & gaudebitis: ergò frequentes
Plaudite Cynthiades, Tillanaq; Numina, Nymphæ.
Plaudite; & alternis iterate ſubinde Camœnis:
Vos primum, viridi quas Tilla recondit in alvêo:
Cynthiacis veniens ceu Niſa Illuſtris ab oris
Has longæva plagas numeroſa prole beavit
Quondam; ſic videat plureîs Galthea Nepotes!

Digitized by Google

Tum vos Cynthiades: placito ut pridem Inclutus Alcon,
Sic Idmon firmo Galathea flagret amore!
Plaudite Cynthiades, Tillanaq; Numina Nymphæ.
Plaudite; coniunctis iterateq; verſibus: Ambos,
Teque tuamque Idmon Galatheam mutuus ignis
Urat; ut exuſſit Grachum Grachiq; vitam olim;
Multaq; naſcatur veſtro de ſanguine Proles,
Quæ mœſtis dudum referat bona gaudia ſilvis!
Plaudite Cynthiades, Tillanaq; Numina, Nymphæ.
Idmoni hæc Dryades: tunc Hemeris una ſororum
Gratanti cepit ſic carmine Daphnidis igneis
Dicere; quam promtâ reliquæ ſunt voce ſequutæ.
Phœbe ſerenatum caput exſere nubibus atris:
Exſere, & inde fuga nebulas pluviasq; nivoſas;
Feſta bonus celebrat dum connubialia Daphnis:
Ille tuus Daphnis; quo non præſtantior alter,
Sive agitare feras per devia, ſive (pharetras
Dum mutat calamo plectróve) ſuave ſonare.
Phœbe ſerenatum modò lætior exſere vultum.
Nimirum ut poſt ſe cultorem quisq; Deo olim
Linqueret heîc, inventa ferunt connubia: verùm
Solus in his ſilvis vitam ſine compare Daphnis
Si egiſſet; quinam tibi quondam Phœbe dicatus
Ipſius è claro ſupereſſet Sanguine cultor?
Poſtquam autem ſtabili ſociam ſibi fœdere iunctam
Ad ſocios ducit thalamos modò Phyllida Daphnis,
Noſtrorumq; ſibi nemorum devincit amicos
Cultores ita; age ô, nobiſcum lætior aureum
Phœbe pater tandem caput exſere nubibus atris.
Exſere; & hæc modulare lyram quoq; talia tangens:

Dulcis

Dulcis amicitia eſt tam nulla putanda; Duorum
Quàm quos connubialis amor conſtrinxit in unum:
Queîs utut ad placitum non cedant omnia votum,
Ardua quantumvis tamen heîc diſcrimina rident;
In lacrumisq; ipſis eſt conſolatio: nulla
Quidpe admittit amor ſincerus tædia. Regem
Sic Comitata Sali eſt Coniux animoſa per omneîs
Bellorum caſus & amara pericula ad umbras,
Laodamia viro ſic & comes ivit Averni.
Rectè ergo & benè Daphni facis quòd Phyllida tandem
Phyllida præſtantem formâ & virtutibus auctam,
Quam nec Penelope (plureîs protraxit in annos
Quæ ardorem procerum) vitâ ſuperaret honeſtâ,
Nunc tibi connubio iungis, tædâq; iugali:
Edocta hæc tecum concordi vivere pace,
Non miſeras rixas inſanáve iurgia amabit:
Hæcq; levamen erit, requiesq; petita laborum:
Atq; hinc naſcetur tibi (neu ſperne omnia) Sarnis,
Venatu inſignisq;, inſignis & arte canendi;
Quiq; tuum nomen per ſecula multa propaget.
Phœbe ſerenato retrahas ne lumina mundo.
Hæc ita vel certè non his diverſa canebant
Heîc nudæ Dryades, reſonantibus undique ſylvis;
Quæ mox inſculpſit longævo Carmina trunco
Venator Corydon, grati monumenta laboris.
Aſt ea confirmet Superorum cura Deorum!
Semper & adſpiret Sponſis nova gratia utrinque!

GEORG. FABRICIUS.

SVE-

SVEVVS.

IN NUPTIAS
ILLVSTRIS & GENEroſi Domini

GVILIELMI

DOMINI DE ROSENBERG,

ET

SERENISSIMÆ DOMINÆ

SOPHIÆ, FILIÆ ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS JOACHIMI BRANDENBURGENſis Electoris,

Carmen ſcriptum

A

MICHAELE HASLOBIO BERLINENSI.

RVMOR ut implevit varias clamoribus urbeis
Quas videt è Cœlo ſummergi neſcia Ponto
Arctos, & in patrios ſubiit vicinior agros,
Adveniſſe diem celebris quo Marchio nata

Læta paraturus ſit gaudia, qualia Nereus
Æquoreæ inſtituit Thetidi quo tempore Peleo
Nupta fuit Phthio longè pulcherrima coniunx:
Continuò genitor Procerum contermina Suevus
Flumina, ut Arctoæ ſuccedant mœnibus urbis,
Convocat, & Muſas, Viader quas nutrit & Albis.
Nec mora feſtinant omnes ad iuſſa Parentis,
Corporibusq́ aptant veſtes, quas tempore veris
Induerat Natura ipſis. & carmina ſecum
Cum cithara ſumunt facili, plectrumq́ ſonorum.
Primus abit Viader, qui limina ſtruxit alumnis
Pegaſeis, largoq́ auro, non indigus auri,
Proſequitur doctos, & amantes numina Phœbi.
Hæc profugis ſtatuit Muſis, poſuitq́ laboris
Solamen gravis optatum, requiemq́ petitam,
Cum Latii cultura ſoni langueſceret oris
In patriis, ſordesq́ haurirent undiq́ campos.
Venit & irriguis Albis celeberrimus undis,
Qui ſua Marchiacis non flumina denegat arvis,
Albis amans Vatum, vatum pater, unica Muſis
Cura, ſuos ſi quando lares & regna peroſæ
Extera conſtituunt inviſere tecta frequentes.
Venit & ornatus ſua circum tempora Havelus
Amnis, arundinibus creberq́ paluſtribus ulvis.
Dives opum regio eſt illic, & conſita Baccho,
Pacis amans placidæ, ſtudiisq́ aſperrima belli,
Tuta, ſuis fruiturq́ opibus, non prodiga pacis,
Tam veri rectiq́ tenax quàm conſcia iuſti.
Varta quoq́ in noſtris latè qui finibus errat
Inſequitur comes, & Suevi ſuſpirat ad undas.

Digitized by Google

Nereides etiam properarunt æquore natæ
Cum Phœbo Clario, & cum virgineo comitatu.
Jam vbi viderunt portas, arcemq; quadratis
Eductam ſaxis, veluti de marmore, fulvum
Aurum quod decorat, variiq; inſignia Regis,
Odera ſuſtollit vocem, Sueviq; ſalutat
Regna Deasq; aptas venatibus: atq; ita fatur:
Sueviadum ſalve genitor, tuq; inclyte Princeps,
Et nati, nataeq;, Dii quos iuſſa gubernant.
Ex merito veſtro ſtudiis nos pacis & artis
Floremus: ſalvete Deûm genus, ocia noſtros
Certa manent: nullus mea turbat gaudia miles.
Gratia Diis vobiſq;: ſonant ex munere veſtro
Finibus in noſtris voces, quas unicus almi
Patris Amor flatu cum compare miſit in orbem.
Sint faciles vobis ſuperi, & felicia donent
Secula, vos huius iam ſervate quietem,
Ac ſtudium Pacis: tuq; optatiſſime noſter
Et pater & Dominus faveas, en accipe donum
Quod tibi cultores Phœbi legêre ſub hortis
Inſignemq; Hedera, Lauroq; virente coronam.
Iſta precabatur Viader, cum Suevus in amni
Iura dabat Nymphis, cubito ſubnixus & urnæ,
In ſolio poſitus ſenior, cui plurima mentum
Canities pingebat, erantq; uligine malæ
Stipatæ viridi, muſcoq; rigebat & herbis.
Crine reſervatos ſub aprico vere gerebat
Purpureos flores. Qualis vel Mincius altus,
Vel Sulmo gelidus, Peligno carmine clarus.
Dextera geſtabat ſceptrum de more triſulcum,

Quo patrias Nymphas, & flumina nota regebat.
Aſtabat circum Dryas, ornatæq; Napææ
Floribus, & Pomona rubens, quæq; edita fertur
E Semele proles Jove patre, & Chloris in horto
Quæ flores legit, ac capiti cuſtodit habendos.
Non aberat Ceres, aut Phœbus, natæq; ſorores
Mnemoſyne. ſibi quæ poſuêre ſedilia Suevi
Ad flumen, gaudentq; eius conſidere ripa.
Suevus ut audivit ſtrepitum, viditq; profectos
Ad thalami accitos plauſus, & gaudia, dextram
Præbet, & inducit tectis, quæ facta nitebant
Ex auri granis & Jaſpide, Qualis in alto
Eſt pelago ſedes Nerei, ripiſq; beatis.
Conſedit Viader cumq; Albi canus Havelus.
Vartaq;, mirantes vultum faciemq; loquentis.
Suevias è Suevo ſata patre iubetur honores
Ponere menſarum, quas ripa creaverat; herbas.
Ergo patri parens mantilia ponit & orbes,
Fert quoq; odoratas undas, illaſq; coronat
Floribus, ac ſtratæ imponit iuſto ordine menſæ,
Vinaq; ſumendaſq; epulas, & pocula vino
Plena, ſub Arctois multum quod creverat hortis.
Atq; ubi iam dapibus ſumptis, potuq; benigno
Membra refecerunt, ibi mens fuit omnibus illis
Oblectare animum cantu, qui principis ornet
Egregiis auſis celebrati munera, doctis
Quæ tribuit Muſis. Igitur ſic Suevus ab alto
Orditur ſolio, ſceptroq; auroq; coruſcus.
Jam tandem Titan lucis pater attulit undis
Heſperiis tempus, quo laudatiſſima cunctas

Marchiacas inter Nymphas pro more iugalem
Conſcendet thalamum Guilielmi Herois avito
Sanguine prognati: velut Icaris orta Pelaſgo
Stemmate Siſyphidæ lectum ſpecioſa ſubivit.
Aut velut ingreſſa eſt amplexus prævia ſolis
Nuncia Tithoni: ceu Lunæ Latmius Heros
Oſcula promeruit: ſic & Guilielmus inibit
Connubium, & primos cupiet coniungere ſomnos.
Ergo mei nati, tectis nunc ſicut adeſtis
Dicemus Sophiæ laudes, magniq; parentis
Et Domini, Roſa cui clypeum pulcherrima ſignat
More Columnææ gentis, quæ gaudet eadem.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Contigit optato tandem nos, vivere ſeclo
Quo Probitas, Fideiq; ardor Pietasq; reviſit
Humanum genus, & nullas denunciat iras
Juſtitia, inſignis libra, gladioq; potenti.
Huic comes in dictis Dea quæ promiſſa tuetur
Et præſtat veneranda Fides, quam dulcia circum
Fœdera ſtant, cui pacis amor coniungitur, illam
Libertas ſequitur, cultusq; eductus ab altis
Sideribus Cœli, nunc fas rectiq; cupido
Juſta repugnantes inhibet, vos ergo parenti
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Æternus Pater æterni cum numine nati
Et ſanctus Genitoris Amor miſeratus acerbos
Marchiadum caſus Heroa inſignibus auſis
Illuſtrem miſit noſtris (quod gaudeo) terris:
Agnoſco faciem, Princeps genus ille Deorum.
Uſq; adeo eximium quiddam ſub fronte relucet.

Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Vrbs populis inſtructa, ipſis cariſſima Divis
Quam iuſti ſplendor regit, & pax aurea, quamq́;
Præmia condecorant facundis præbita Muſis,
Vrbs lætare tuum quæ nomen ducis ab urſa.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Iam varios inter Divos pulchrasq́; Napeas
Inſtaurant choreas doctæ longo agmine Muſæ.
Qualiter Auguſti ſub tempore, qualiter urbis
Imperium Latiæ cum Cæſar habebat & agros.
Nunc veteris mores Iani, nunc ſecula rurſus
Falciferi ſenis inviſunt felicia terras,
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Fortunati amnes, qui Marchica rura fovetis
Irriguis undis, vos increbreſcere veſtrum
Aſpicitis nomen, dum doctis ocia ſervat
Marchio Septemvir tranquillæ pacis amator.
Iamq́; aliquis veſtras componens Paſtor ad undas
Corpora, ſecurus belli, nova carmina ludet
Agreſti calamo, vobisq́; hæc gaudia ſolis
Servabit, referetq́; herbis ſub ſuavibus ortus
Et laudes veſtras, dum bellis tuta quieſcunt
Omnia, dum noſtris pax optima regnat in agris.
Ille canet, carmen ſed vos iterabitis undis
Sub gelidis, & erit cantus non inſcius Æther.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Felices illos etiam quibus obtigit almi
Rimari ſolis radios & lumina vitæ
Lumine quæ nobis magis exoptata fuerunt,
Nunc Hederæ molles Laurusq́; & Cypria Myrtus

Aoniis

Aoniis florent in agris, ſed Hamadryas illas
Tingit, & inſpirat ſuccu Dea pulcra vigorem.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Tu verò decus ô noſtrum iam concipe celſo
Pectore lætitiam Princeps, celſiſſime princeps,
Et tibi quas texo laudes cognoſce benignus,
Dux bone ſume lubens mea carmina ſit tibi gratus
Hic labor, addemus maiora ſequentibus annis.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Sicut apes ſi quando agitat diſcordia languent
Omnia: ſic etiam cum civicus ignis inertes
Extimulat populos, & ſumere concitat arma
Cuncta ruunt retrò Quas ah quas impia Martis
Dextera dat clades. ceſſat rectumq; piumq;,
Nec Muſæ poſſunt reſonas intendere chordas.
Iſte furor cedat, noſtris pax adſit agellis.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Juppiter Heroas clypeo tegit aſtra ſecutos
Eximiis factis, illi ſunt pectora curæ
Magna Ducum, & Pallas Tritonia protegit illos
Ægide, ne magnis noceat vis Martia forſan
Principibus. tollatq; iras & ſibila Martis
Trux ſoror, inſignis facibus triſtiq; flagello.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.
Cerno igitur Furias nequicquam intendere ſtragem
Finibus Arctois. Quæ vos fiducia cepit
O Furiæ imbelles? neſcitis pectora regum
Magnorumq; Ducum ſervari numine Divûm:
Noſtra tegunt illi clementes mœnia, portas
Subſidio firmant, nolite inſurgere contra.

Urbs bene munita eſt ſi quam pia numina ſervant.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.

Salve Dux animoſe, iſtis ſpes unica regnis,
Curaq; Sueviadum: tellus pro munere miti
Ecce tibi ſuaves ſub tempore veris odores
Sparget, & inſignem, quam geſtes crine coronam.
Hæc quoq; dona cape: & noſtro ſuccurre labori,
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.

Accipe cum plectro citharam dulciſſime Princeps
Quo te, quoq; tuos altum ſuper æthera tollo,
Maxime Dux iſtos luſus cape, tempore Brumæ
Confectos, ſub vere novos ſacrabo labores.
Utile ver agris, doctæ ver utile Muſæ.
Hæc gignet carmen, flores ſed proferet illud.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.

Accipe & hæc ultrò vates quæ germina tradunt
Puberibus florum foliis per tempora culti,
Laurumq; & Myrtos & odoriferam Libanotin,
OEbalidæq; comas Amarantheosq; capillos.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.

Nunc Procerum ſoboles nulliſq; Heroibus impar
Salve iterum atq; iterum, tibi conſecrabimus aras
Templaq;, quo nomen maneat cum munere veſtrum,
Ut ſciat has laudes, ſi qua eſt ventura, vetuſtas.
Spargite Marchiacas mea flumina ſpargite lymphas.

Ut Iovis ales aves ſuperat quæcunq; vagantur
Sub Cœlis: ſic fama tua, & tua nomina latè
Se tollunt, veſtrum & caput inter nubila condunt.
Ac velut extendit ſeſe ſublimis Olympus

Innu-

Innumeros inter montes, tua gloria cunctos
Sic Proceres ſuperat, cœliſq; inſiſtit & aſtris
More Aquilæ Iovis Armigeræ, quæ brachia panden
Exornat Clypeos veſtros, additq; nitorem.

Finierat Suevus, illum latiſſimus Albis
Cum Viadro vidit cantantem, vidit Havelus.
Cantantis geſtus, carmen prope ripa probavit,
Patria ripa alto longè notiſſima cœlo

Tunc Suevus pater inſtigat blando ore puellas
Sueviades, mandatq; novas contexere telas,
In quibus emineant aurum gemmæq; videndæ.
Sponſaq; ſolamen Patris & ſpes una ſenectæ,
Vnde ſibi natos olim promittere poſſit.

Ergo ſuo parent patri, niveoſq; lacertos
Denudant operi, quæruntq; laboribus apta,
Suevias ante alias longè pulcherrima Nymphas
Accingit ſe operi, ſtamen cum pectine geſtans:
Stamen quod Tyriis allatum nuper ab oris
Ad noſtros fuerat: nunc iuſtis uſibus aptum
Sueviadum, quondam Sidonia dives habebat.
Vnà aderat Leuce, Galateaq; Cymodoleq;,
Dexameneq; Thoeq; & nobilis Amphitrite,
Orythiaq; genus Doriſq; & candida Agave,
Dotoq; Protoq; Pheruſaq; Dynomeneq;,
Leucothoe Xanthoq; decens cum Laodamia
Callianaſſa etiam Panopæaq; Mœraq; cunctæ
Oceani Nymphæ formaq; & fronte decoræ.

Ergò ubi conſedêre Deæ pulchro ordine telam
Inſtituunt: Veluti quondam Tritonia Pallas

Digitized by Google

Certatura novas intendit ſtamine telas,
Et pinxit varias rerum, fictaſque figuras.
Aut velut Idmonia incepit certamen Arachne
Pallade cum docta, ſed res malè ceſſerat, ingens
Artis opus raræ munus ſuſpendia cepit:
I nunc & Divas ad prælia coge Magiſtras.

Suevias aſſumit telam. prope arundo locatur
Qua poſitum ſtamen ſecernitur: altera nectit
Subtegmen melius, movet Aegle brachia, Leuce
Expedit inceptum digitis, & pectine tundit,
Terque quaterque urgens cœptum, varianſque colores
Pingit acu veſtem SOPHIÆ *decus Heroinæ.*

Non ſecus ac aliquis pictor qui doctus Olympum
Mente ſua format, variisque coloribus uſus
Nunc addit volucres, nunc iugera floribus ornat,
Nunc mare ſpumanti quod currit flumine iungit,
Pluraque mortales mirè capientia ſenſus.

Dum nectunt, & fervet opus ſtudio impare cantus
Concipiunt animis lætis fallunt que laborem
Cantibus: ut mollem qui tractat pollice lanam
Carmine proſcribit curas & tædia tollit.

Una alias inter cui candor nomina fecit
Voce SIGISMUNDUM *canit alta, factaq; laudat,*
Ut ſapiens Princeps doctas curaverit artes.
Nec tacet ut noſtras FRIDERICO *iunxerit urbes*
Officij precium prompti pignusque laboris
Cum populis eſſet captus de Pœone dictis.
Addit & ALBERTUM *qui factis nomen Achillis*
Fortibus emeruit, quo non animoſior alter

Mar-

Marcomacis quondam fertur vixiſſe ſub oris.
Herculeum quiddam cui fronte reluxit & ore.
Martis erat lumen, non Hector, Martius Hector
Obvius illius pugnis prodire vel Aiax
Auderet tanta eius erat vis pectore forti.
Huic natos iungit ſumma virtute potentes
Illuſtres natos: Heroum nobile lumen
Clarus JOHANNES *Septemvir lectus habebat*
Vrbis opes noſtræ, tulit alter Noridos urbem.
Tandem ſuſtollit JOACHIMUM *Neſtora cantu,*
Factaque dignatur cœlis inferre, canitque
Struxerit ut Muſis ædes & nobile regnum
Hîc ubi ſe Viader non uno carmine tollit.
Addit & hunc celebris quo quondam Præſule Mogus
Gaudebat, cui ſumma fuit ſapientia linguæ.
Altius extollit JOACHIMUM *carmine, Muſis*
Ocia qui ſervat Genitor quæ fecerat ipſis
Officiis meritiſque potens, vultuque verendus.
Te quoque JOHANNES *Heroa potentibus auſis*
Concinit illuſtrem. tibi pacis fœdera curæ,
Cultuſque æthereæ vocis Muſæque diſertæ.
His etiam iungit cantu te JANE GEORGI
Dux pie quem vatum chorus admiratur, & infert
Sideribus ſcriptis. Sis ô ſpes altera vatum.
Et canit Heroa æthereum, de ſtemmate regum
Progenitum celebri. Sed quo te nomine dicam
Diis genitam prolem qua florent ſoſpite Muſæ?
Magne SIGISMUNDE, *ô Præſul dulciſſime, Salæ*
Cura. Pater Patriæ, meritiſque & pectore clarus
Magnanimo, dux aude, & contra fortior ito.

Ne

Nc dubita vinces, dedit hoc victoria nomen.
Hinc etiam FRIDERICE *tuas* JOACHIME *canendo*
Carmine colluſtrat laudes, tu ſuſcipe votum
Et Muſas, ſi tempus erit, ſi venerit ætas.

Talia fuſa operi cantabat amabilis Aegle
In Sophiæ laudes magnis Heroibus ortæ.
Jamq́ fere finita fuit contentio, iamq́
Veſtis erat perfecta. Ergò rupêre laborem
Aggreſſuræ alium confecturæq́ tapetas,
Qui teneant oculos, Procerum qui pectora tangant.

Tum verò texunt Cadmei Actæonis auſum,
Gargaphia nudam dum cernit valle Dianam
Cum Crocale Nipheq́ Hyaleq́ Rhaniq́ puellis,
Hei mihi quod ſenſit damnum Autonoëius Heros,
Cervus, non quondam Cervus, laceratur in agris
A canibus propriis. I nunc & cerne Dianam.

Huic oculum mundi Solem connectit, ut olim
Prodiderit furtum Veneris, quæ iuncta marito
Non vero, riſus ideo eſt perpeſſa Deorum.
Vt grates igitur ferret, contorſit in illum
Tela facesq́ omnes pharetra quas natus habebat,
Diva faces facibus, atq́ ignes ignibus addit:
Leucothoen ergò Titan ſuſpirat amatam.
Sol quid agis, dura, non te decet iſta cupido.

Addit Abantiaden Harpe qui colla Meduſæ
Diſcidit, & ſecum avexit per regna per urbes:
Phocidos hinc venit ſtillanti rore creatus
Pegaſus autor aquæ qua gaudent numina vatum.
Iſthmiacum texit iuxta, cui Pallas ab auro

Confectos dederat frenos, & pingit Olympum
Æthereum celeri voluiſſe aſcendere ductu
Alitis, anguiferæ de ſanguine Gorgonis orti.

Heliades etiam fratris fera fata gementes
Inſerit, ut curis nimiisq; doloribus actæ
Arboris induerint faciem Phaethuſa, ſororq;
Lampetie, quondam mortalia corpora, ſed nunc
Populeis ornant hominum qui tempora ramis.

Poſtremò Iovis intexit Dea pulchra furores,
Vt variis varius mutârit corpora formis,
Aureus & mentem Danaes illuſerit imber.

His ita confectis circum Galatea colores
Addit, & arboreos fructus, ſylvasq; decenter
Implicat, ac pomis & odoro flore repletum
Cornu, Naiadum merito: non copia Sponſo
Non SOPHIÆ *deerit Sponſæ, hoc mihi pandit Apollo.*

Omnibus exactis effingere Flora coronam
Aggreditur quam Sponſa gerat formoſa capillis,
Inſtar Reginæ, Regum de ſtemmate cretæ.

Hæc ubi facta fuit, ſe quæq; recepit ad amnes,
Et patrias inviſit aquas: ex æquore natæ
Diſceſſêre ſimul: ſed flumina Marchica regnis
Sola remanſerunt patriis, ut gaudia iunctum
Aſpicerent, Sophiæque decus cum numine ſponſi.

Pierides verò, Divum genus, æthere miſſæ
Accipiunt opus eximium, quod Candida gemmis
Cum nitidis auro diſcreverat intertexto,
Heroumq; canunt thalamos, unaq; ſalutant

Con-

Convivas, quicunque aderant, & carmina dicunt
Felicis bona ſigna tori, Suevuſque reportat
Et repetit cantum liquidi ſub gurgitis alveo.
Ut SOPHIA æternum matris decus, una parentis
Spes, habeat cunctis pectus virtutibus auctum
Par generi illuſtri, quo non præclarius ullum
Aut fuit, aut vivit, nec erit ſenioribus annis.
Æmula Virtutum ſtudioſe moribus ornat
Egregiis, Quamvis ſit avito ſanguine nata.
Nil magnum valet Heroum genus, Hercule quamvis
Surgat, & oſtentet patruos ab origine prima:
Accedat Virtus opibus ſic gloria maior.
Ampla quidem laus eſt longo ordine texere primi
Exortus genus, & patriis inſiſtere ſignis:
At niſi iungatur Virtus pulcherrima ſtirpi
Stirpis erit ſplendor minimus, velut æris & auri,
Dextera quod neſcit Procerum tractare potentum.
Sed Sophia inſigni probitatis munere cultum
Pectus habet, Pietas eſt illi ante omnia curæ,
Illuſtris Pietas Virtutum mater & autor,
Qua ſine, quicquid erit ſordet, neque lucis habebit
Argumenta, licet precioſo fulgeat auro.
Ex oculis Sponſæ veneranda Modeſtia lucet,
Qua, nihil Heroum ſoboli formoſius unquam:
Caſta, gravis, mundi luxus exoſa fugaces
Inſtar cultricis nemorum, quæ cuſpide cervos
Inſequitur celeres, & ligno figit acuto.
Nec quicquam nitet ore vagi, nil lumina ſpondent
Pulchra pudicitiam præter, roſeumque timorem.
Dein repetit Sponſum, pulchri cui gratia vultus

Ante

Ante ora exurgit, Gravitasq́ & amabilis æqui
Cultura, & ſplendor: ſimul ære auroq́ relucet.
Civibus ut tribuat fas, Dux ut ametur ab illis,
Et populi obſequium præſtent, verumq́ timorem.
Vt FERDINANDVS *Cæſar fortiſſimus illum*
Dignetur menſa, faveatq́ ex omnibus, utq́
Conſiliis iungat Rex invictiſſimus, ille,
Ille Pater Patriæ celebris quà labitur Iſter.
FERDINANDUS *honos mundi, quem ſuſpicit orbis*
Pectoris ob donum, quo ſoſpite Teutona tellus
Inſiſtit paci, pacisq́ exoptat amorem,
Poſt etiam Sponſæ Sponſoq́ precatur honorem,
Et Divos poſcit, Divos, qui ſidera cogunt
Numine ſub trino, nobisq́ hæc ſecula pacis
Plena favent, vocesq́ ab Olympo deſuper ortæ,
Ut ſobolem gignant, fatis donantibus, amplam,
Et poſſint placidæ tempus traducere vitæ,
Qualiter ex Laerte ſatus cum coniuge cara
Vixit, & Alceſti coniunctus Theſſalus Heros.
Hoc tamen inprimis iubet hortaturq́ Suevus
Ut celebrent Divos, patriæq́ negotia curent.
Jamq́ refulgebant lychni laquearibus aureis,
Sideraq́ optatam poſcebant ſera quietem,
Cum Suevus patrio caput abſcondebat in amni,
Concipiens alta pro Sponſo mente ſalutem,
Et Sophia, Herois roſei quæ danda mariti
In thalamos, illum generoſa prole bearet.
Sueviadesq́ animi addebant rata ſigna faventis
Terq́ quaterq́ illos repetentes gurgite in alto.

Ripaq́ꝫ reddebat Sophiam clamore ſecundo,
Et Sophiam ſylvæ, Sophiam quoqꝫ Suevus in undis
Tollebat cantu, & Sponſum, quos numina iungunt.

Salve cum Domina Domine optatiſſime ſalve
Accipiens laudes, mea quas tibi fiſtula texit,
Quas tibi principibusq́ꝫ meis GVILIELME ſacrabam
Ad Viadrum, SOPHIA in lectos dum ducitur uxor.
Tuq́ꝫ adeo Heroum genus has non deſpice laudes,
Oderides tibi quas mittunt; cum purpureum Ver
Venerit, his meliora dabunt, nunc grata voluntas
Sit tibi ſponſe nove, & rebus languentibus adſis,
Et Muſas Guilielme oculis dignare ſerenis,
Ut maneant laudesq́ꝫ tuæ nomenq́ꝫ per annos
Æternos: illudq́ꝫ legat ventura vetuſtas:
Hic labor Heroas celſo coniungit Olympo.

ORNITHORE

ECLOGA DE NVPTIIS

HENNEBERGENSIBVS.

MAne erat & tenebris coniux Tithonia pulſis,
Prævia Phœbæis per inane iugalibus ibat:
Cum Dea venatu per noctem laſſa iaceret
Ornithore placidos captans per gramina ſomnos,
Ornithore gelidis nemorum quæ præſidet antris,
Quam tenera undoſo peperit Siluſia Verræ.
At poſtquam excuſſus ſopor eſt, ſeq; ipſa recepit,
Neſcio quos agitans hilari ſub pectore motus,
Inſolitis tandem ſermonibus ora reſolvit.
Cedite nunc miſeri læva argumenta doloris
Indecores habitus, planctus, lamenta, querelæ.
Indultum lachrymis ſatis eſt ſat veſtibus atris,
Nunc revocare vagos ſine mente, ſine ordine curſus
Neglectasq; diu iuvat inſtaurare choreas.
Nunc arcus tractare leves, tractare ſagittas
Tempus, & umbroſis meditari ſaltibus arma.
Gaudete ô ſylvæ, gaudete ô Naiades udæ,
Mos aderit longum ſtudia intermiſſa reviſens

Vectus equo celeri ſylvarum terror Amyntas,
Pone ibunt Anglusve Labon, Gallusve Melamque,
Feſtivos Domini ad plauſus capita alta ferentes,
Pernicies nemorum certæ peſteſque ferarum.
Non aberit . noſtriſque feret nova gaudia ſylvis,
Quæ facilem magno ſeſe iam præbet Amyntæ,
Quæ procul patrii veniens â flumine Nicri,
Nympha mei gelidum Verræ conceſſit ad amnem.
Et genus, & mores, faciemque inſignis Eliſſa.
Fallimur? an melior ſors altera? nonne rependit
Sublatam æternus rerum moderator Eliſſam?
Et ſuperos hominum cura importuna docebit,
Quæ bona ſint terris? norunt prius omnia, norunt.
Ipſa (fatebor enim) gelida formidine mentem
Turbabar, Dominoque meo Domuique timebam
Criſtatæ volucris clypeos regnumque tenenti
Tot ſeclis; placidum ſine vi, ſine ſanguine regnum:
Cum tandem in paucis ſtirps defectura ruinam
Conciperet; poſtquam cœlum ſine prole petivit
Magna quidem & noſtræ nihil indiga laudis Eliſſa,
Cætera cui dederat largè modo dulcia matri,
Pignora donaſſet Divûm pater atque hominum Rex.
Veniſti tandem, mea lux, mea ſumma voluptas
Veniſti, atque utinam fatis advecta ſecundis
Veneris, Heroum ſanguis pulcherrima virgo,
Edita Principibus, nomenque datura beatis
Principibus: per te nobis Generoſa reſurgent
Bertoldi bello inſignes, & fortibus auſis,
Et mites niveæ Guilielmi pacis amantes.
Iuſtitiáque fideque graves, rectique tenaces.

Tu noſtram, quod fata iubent ſperare, Virago
Auſpicibus ſuperis reddes in priſtina gentem.
Nunc iterum claras ſtirps inclyta ſurget in auras,
Extollens caput, & procerum novus ordo ſequetur.
Affer io ut veteres meritis Heroidas æques,
Omine mutato nomen verius affer Eliſſa,
Quòdq; ſonat nomen, tranquilla mente benignos
Expecta ſuperos, & in his tua vota quieſcant.
O qui te plauſus, quæ te, formoſa, manebit
Gloria, cum magnum partu exhilarabis Amyntam?
Vitis ad exemplum gravidæ, aut viridantis olivæ
Circumfuſa ſedens, animo gaudebis Eliſſa:
Aſpiciet, multumq; ſedens gaudebit Amyntas,
Præſentemq; Deum venerabitur, & benè dicet
Tam longas cecidiſſe moras: ſic eſſe ſuperſtes
Poſt obitus volet eſſe ſuos, quando additus aſtris
Lætitia curas hominum mutabit inanes,
Sic ubi diffundens celſos per inania ramos
Stat ſacra virgultis veneranda minoribus arbor,
Aut Quercus Iovis, aut Phœbi Parnaſſia Laurus:
Circum immanè fremit Boreas, nihil illa movetur,
Iam longis armata annis, & mole ſua ſtat.
At ſimul irato cecidit Iove fulmen & auræ
Horrendum intonuêre, ſimul convulſa ruinam
Illa dedit, truncus reſtat miſerandus, ab alto
Turbati dudum ſaliêre per avia rami
Manſuetæ volucres aliò fugêre, remanſit
Infelix ruptos deplorans turtur amores.
Aſpicit illachrumans ſemuſti fragmina trunci,
Mutatamq; loci faciem, poſt longa viator

Tempora & humanæ ſortis memor, hæc etiam inquit,
Setigeros arbor non nutriet amplius apros.
Sic magni cecidêre Duces, ſic inclyta Regum
Nomina poſt longos pereunt cum ſtirpibus annos.
Ecce autem effundens fœcundos mitior imbres
Iuppiter, aſpergit ſitientem rore ſalubri,
Luxuriat tellus, ima in radice ſepultus
Arripit humorem calor, & ſibi fœdere iunctum
Copulat, accedunt iucundi lumina Solis,
Paulatim nutrita vigent (quis crederet?) intus
Semina, iam vivit truncus, iam plurimus illum
Surculus, & ſoboles circum numeroſa coronat.
Tum verò redeunt, revireſcentemq́ ſalutant,
Manſuetæ volucres, cantu nemus omne reſultat,
Subq́ novis Turtur dulces integrat amores
Frondibus, & roſtro blanditur, & oſcula libat.
O me felicem, ſi quando per avia mecum
Incedens, ſylvis ſpaciabere Diva ſub altis.
Non tu fulmineis metuendos dentibus apros
Tentabis, rabidosq́ lupos, Vrſæq́ frementis
Informes partus: fortem decet illud Amyntam:
Te lepores captare leves, te figere damas,
Te dumeta ſequi timidos per devia cervos.
O ubi cerva tuis pectus traiecta ſagittis
Verret humum moriens: tum poſt arbuſta latebit
Concutiens dium riſu caput acer Amyntas.
Primitiasq́ ſuæ multum laudabit Eliſſæ.
Applaudent hilares dulci tibi carmine Nymphæ,
Atq́ aliquis Phœbi cultor, monumenta triumphi
Transferet ad ſeros truncis inciſa nepotes.

At quibus impulſus ſonuit clangoribus æther?
Quid curvi ſtrepitant litui? quid pulſa reſultant
Terga boum? patuloſq; frequens quatit ungula campos?
Quæ ſubitò glomerata cohors equitumq; Ducumq;?
Quid? num quæ inſidiæ, num qua eſt exorta repentè
Seditio? Sed enim video, video omnia tuta,
Non hæc bellorum eſt facies, cum vellera ſerum
Picta nitent, gemmiſq; Duces auroq; coruſcant.
Quid tamen aurato vehitur tam nobile curru?
Quod toties validis in gyrum raptet habenis
Alipedem, currumq; oculos defigit in illum,
Gaudia confeſſus vultu laudatus Amyntas?
Victor iò, venator iò: ſubiit tua tandem
Retia, quam votis toties curſuq; petebas,
Cerva decus nemorum, certiſſima cura Dianæ.
Hinc trifidum cornu geminis cum piſcibus offert
Aſpectu in primo currus, mea deniq; currus
Gaudia, delitiaſq; meas vehit iſte, beatos
Agnoſco vultus, moreſq; habituſq; decoros.
Fortunata nimis virgo, tua ſi bona noris,
Ecce tibi, Soliq; tibi, ſua gaudia ſervat,
Deliciaſq; ſuas uni tibi ſervat Amyntas.
Jam belli tentat ſimulacra, tibiq;
Martia diſpoſitis edit ſpectacula ludis.
Quid tibi mentis erit? quid erit tibi pectoris? alto
Cum cataphractus equo, ferro cum totus onuſtus
Ingentem attollens haſtam, ruet ocyor euro,
Excutietq; viros, & equos proſternet arena?
Gaudebis, metueſq; ſimul, ne talis in arma,
Talis in arma ruat, ne quando: ſed excute virgo

Vanos corde metus: non pacis amantior alter,
Non ſuperum, non eſt legum reverentior alter.
Sed ſi cauſa gravis iubeat decernere bello,
Quid poſſit præſtare, vides: Verum ille quietus,
Non alius inhians regnis, ditione paterna
Contentus, placida populos in pace gubernat.
Quas tibi cunq; libet terræ circumſpice partes,
Innumera occurrent regni documenta paterni.
Ut munita ſuis cum civibus oppida rident?
Ut circum campiq; virent, hortiq; feraces?
Nuſquam urbes, nuſquam apparent in collibus arces
Semirutæ, funeſta trucis veſtigia belli.
Scilicet hic falcis maior quam caſſidis uſus,
Non ullum Bellona locum: non turbidus ullum
Mars habet, exilio dudum mulctatus acerbo:
Sed Phœbi locus eſt caſtris, ſed pacis alumnæ
Mollia felices traducunt otia Muſæ,
Victuraſq; ſui laudes meditantur Amyntæ,
Hic ubi cognatam Siluſia præterit urbem.
Salve igitur, fato noſtris quæ debita terris
Implebis promiſſa Deûm, ſalve inclyta Virgo,
Digna Ducis tanti thalamo: ſed tu quoq; ſalve
Certus amor Divûm atq; hominum ſponſe inclyte fœlix
Hinc Socero hinc Nupta: quid enim contingere maius
Quid potuit melius? viduum ſine compare Regnum
Nutat, opeſq; labant: fida cum compare Regnum
Floret, opeſq; vigent: triſtes ſimul undiq; curæ
Diffugiunt, vitæq; redit melioris imago.
Partem oneris capit ipſa viri dulciſſima conſors,
Et feſſum eloquio mulcet, vireſq; reducit.

Cir-

Circum aſtat blandus Charitum chorus aſtat honeſtus,
Aſtat Amor, niveæq; ſoror Concordia Pacis.
Et decus eſt & vita ſui pia Nupta mariti.
Vivite felices, nam vos ita vivere par eſt,
Et dulces nobis unà producite Natos
Quos plauſu excipiant populiq; urbeſq; frequenti,
Hæredeſq; regni ſimul & virtutis avitæ.
Nam cives, tua cura, tui, fortiſſime Amynta,
Te ſolum, Natoſq; tuos, ſeroſq; Nepotes
Agnoſcunt Dominos, vobis ſervire parati,
Cum veſtris tuti poſſint latitare ſub alis.
Sic ubi crudelem conſpexit in aere milvum
Pullorum trepidat grex anxius: at bona mater
Convocat errantes, & amicis protegit alis,
Tum criſtas tollens ſceleratum cominus hoſtem
Aggreditur, fugit ille, tener ſub matre latet grex.
Vivite felices iterum, ſed vivite longum
Et Pylios numerate dies, pulcherrima longum
Vivat Eliſſa, diu vivat generoſus Amyntas.
Finiit Ornithore: per amœnas ultima valles
Reddidit ingeminans Echo: pulcherrima longum
Vivat Eliſſa, diu vivat generoſus Amyntas.

S. ARTOMEDIS F.

ODE GENIALIS AD NUPTIAS

ILLVSTRISSIMI & GENEroſiſſimi Domini,

D. LVDOVICI, COMITIS IN NASSAVV, WEILBURG, SARBRUG, SARWERDEN, &c.

Ducentis

ILLVSTRISSIMAM DOMINAM ac Principem;

D. ANNAM MARIAM,

FILIAM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. GVILIELMI;
Heſſorum Landgravii, & Cattimeliboci, Diez, Zigenhanii. & Niddæ Comitis, &c.

TV quæ parenti quondam Hymenaium
Carmen dediſti, Landgravio Duci:
Nunc filiæ ſponſoq; celſo,
Necte Erato geniale ſertum.

Nam

Nam nunc ovandum, nunc pede re libero
Pulſanda tellus, nunc genialibus
Horis vacandum: nunc faceto
Exhilarandi animi Lyæo.
Natam WILHELMI *principis Haſſici,*
Dum LUDOVICUS *Naſſovius Comes*
ANNAM MARIAM, *coniugalis*
Participem facit eſſe lecti.
Æterna ſummi progenies patris,
Illuſtriori Chriſte fave toro:
Vt Naſſovæa ſtirpe nata
Poſteritas vigeat nepotum.
Tu lux penatum: tu columen laris.
Nam ni tu avitæ ſtemma propaſiæ,
Seros propages in nepotes,
Deſtruit atra domos ruina.
Perſæ Darii quò genus inclytum?
Quò Scipionum, quò Ducis Inachi
Quò ſtirps Neronum, quas in auras
Fama Palæologûm receſſit?
At Naſſovæum vivit adhuc decus,
Surgens ADOLPHO *Cæſare, & vltima*
A Naſſua, qui olim ſecutus
Te fuit Arioviſte Teuto.
Hinc ducit ortum ſponſus amabilis,
Lux LUDOVICUS *Naſſovii laris:*
Quem conditor rerum ille finxit,
E meliore luto Promethei.
Quid Landgravæos tot Comites avos,
Ductos ab ipſo Cæſare CAROLO

Magno loquamur: qui benigna
Non ſine mente Dei ſuperſunt.
WILHELME *quales iam ſuperes, Deûm*
Felice nutu, Dux patriæ pater;
Ortu vetuſto gentis Haſſæ,
Mente vetuſtior & fide æqua,
Te cana virtus, te pietas habet,
Cultuſq́ veri: te melior fides
Vitare ſuſpectas pudendæ
Impulit illecebras Chimæræ.
Divine princeps perge tuerier
Intaminati iura ſacrarii:
Ne quis doloſæ fraude linguæ
Teq́ tuoſq́ fatiget erro.
Laxare noli frena Cleonibus,
Vno tribunal qui pede, & altero
Altare calcant, qui ſupremis
Ima, ſacriſq́ profana miſcent:
Illiteratum vulgus, & improbum:
Vno ſuperbum nomine principis,
Quo fœdè abutuntur premendis,
Quos rabioſo odio venenant.
Non tangit illos Chriſtus amabilis:
Sed fiſcus illis inſatiabilis
Eſt cordi: & aurum non neglectum
Poſthabito cumulaſſe vero.
Quid tot Poëtas edere me iuvat?
Quid tot ſub auram ferre Paraphraſes?
Quid tot Pelaſga interpretari:
Si mihi pane quotidiano

Ægrè

Ægrè eſt egendum? cur ſimilis furor
Turbare divos non me agitat lares?
Cur non, ut eſſem curialis
Dignum aliquid Gyaris patravi?
Non rete corvo, non plaga miluio,
Aut peſtilenti tenditur aliti;
Cenſura pullos innocentes
Vexat, & aërias columbas.
Verùm iſta quorſum? Te pater inclyte
Laudata virtus diſsimilem facit
Horum nepotum: mens avita
Te ſimilem facit eſſe avorum.
Quid Charitinum Chriſtophorum loquar?
Dux unde reſtat non inamabilis.
Nam principum & Regum piorum
Stat ſine morte decus perenne.
O Matre pulcra filia pulcrior,
Te Charitinis orta penatibus,
Coniux SABINA, gentis Haſſæ
Landgravio peperit WILHELMO.
Sis ſponſa felix auſpicio Dei:
Tu quem ſequendo mente colis pia:
Diva æmulatrix matris: alti
Divitiis opulenta cordis.
Dos inclytorum eſt ſumma parentium,
Syncera virtus & metuens Dei,
Cultrixq; veri mens & æqui:
Vel Libycis potiora gemmis.
Hac dote ſola repperit Iſacus
Rebecca coniux inclyta coniugem:

Hac

Hac dote conſors Abrahamum
Sara pium meruit maritum.
O tempus ævi non revocabile:
Jam nunc PHILIPPUM *vivere Catticum,*
Jam Teccium optarim Huldericum,
Luce ſub hac genialis horæ:
Qua neptem ab uno ſanguine conditam,
Jungit ſibi ANNAM *Naſſovius Comes:*
Vt priſtinas lites opaca
Sopiat unius umbra noctis.

NIC. FRISCHL.

IN NVPTIAS
ILLVSTRIS DOMINI
PHILIPPI
LVDOVICI, COMITIS YSENBVRGICI,&c.

CVM

ELISABETHA, COMITISSA RHENI,&c.

ILLuſtre Gentis Ferreopyrgicæ,
PHILIPPE, *lumen, qui celer igneo*
Comproximans virtute cælo
Sideribus cluis inſerendus.
Tuq́ʒ ELSABETHA, *Semideûm virens*
Rheingraviorum planta, Comes, Patris
Proles ADOLPHI *clara, Divûm*
Vnio, gemma Puellularum;
Huc ô ſereno pectore, verſibus
Veſtrum novellis dum canimus torum.
Juncti venite & ambo noſtris
Eſte, precor, faciles Camœnis.

Quo verò plectro? quo, rogo, carmine?
Quavel ſonora, quæro, tuba tuas,
LOISE, *laudes? qua camœna*
Sat, pie SPONSE, *tuas iugales*
Ornabo tædas? Quóve ſat unicum
Suave illud ÆVI DIMIDIUM TVI;
Illudq́ vividum levamen,
Præſidiumq́ tuæ ſenectæ
Fidele, dignè commemoravero,
PHILIPPE, *verſu? Num tibi ſubditas*
Iactabo terras? An PARENTES
Dixero fortè tuos? & omni
Sat ante Mundo, nomine Numine,
Et re tot annis undiq́ cognitos.
BUDINGIANÆ GENTIS ORTUS,
Quæq́ tui Proavi Patreq́
Fecêre quondam, ſtrenua, fortia
Narrabo facta? An ſit ſatius mihi
Illuſtre RHENIGRAVIORUM
STEMMA TUÆ MEMORARE SPONSÆ?
Vterq́ veſtrûm ſtemmate Principe;
Vterq́ veſtrûm ſanguine nobili;
Vterq́ veſtrûm illuſtriorum
Clarus ovat titulis Parentum.
Vterque veſtrûm patribus emicat,
Quos parta bellis clarat adorea;
Quos laude condigna ſerena
Pax niveis vehitat quadrigis.
Sed quid Parentum nomina: Quid decus
Veſtrorum Avorum? Quid RHENIGRAVIOS

MAR-

MARTE ARTE CLAROS? Quid vetuſtam
GLEICHIACAM memorabo GENTEM?
Quid, quæro, robur FERREOPYRGICÆ
TRABIS? Quid ingens, obſecro, Patriæ
Pro Pace: proq́; Chriſto dicam
NASSAVICI ſtudium LEONIS?
Vtrumq́; veſtrûm propria [illegible]ria;
Vtrumq́; veſtrûm nobilis inclyta
Virtus, Fideſq́;; Vtrumq́; veſtrum
Numinis ardor: amor per omnem
Hinc inde Mundum ſplendidus, inclyto
Verſu celebrat; veſtraq́; vividis
Vbiq́; laudibus decora
Nomina ad aſtra facit ſuprema
Volare. Felix bis ter & amplius,
O SPONSE, SPONSA VIRGINE tàm pia
Claraq́;, SALMONIS POTENTIS
Nobile PROGENIE, pudica
Cui corda Virtus; cui roſeas genas,
Et tincta rubris labra corallíis,
Et vividum vultus honorem,
Sideriosq́; Venus dicavit
Ridens ocellos; Cui charitum trias
Mores venuſtos; Cui Pietas Fidem
Synceriorem; Cui Minerva
Virgineo grege iure dignas
Indulſit artes; Cuî ſimul aureum
Cornu Meliſſæ divitis, ac opes
Juno dedit magnas. Sed iſtas
Quid numeravero opes caducas,

Fluxasq́; ? Claros hæ faciunt quidem
Se poſſidentes: Ætheria tamen
Mentis bonis perennibusq́;
Dotibus ingenii elegantis,
ELISABETHÆ *præ reliquis tua*
Quæ pulchra ditant pectora, nullibi
Sunt comparanda. Graia pulchram
Gens Helenam canat; Atalantam
Commendet Arcas; Roma Lucretiam
Dicat pudicam: Tu tamen omnibus
His, ſive formæ, ſeu pudoris
Virginei bona volvis, unam
Præferre quovis iure potes tuam,
LOISE, ELISAM. *Scilicet ex bonis*
Et fortibus fortes bonosq́;
Naſcier usq́; vides; Et ipſa,
Seu Arbores: ſeu fors virides velis
Luſtrare plantas: ſeu potius cupis
Aut piſcium illas, aut ferarum,
Aut hominum revidere formas,
Natura rarò degeneres facit.
Tu verus, orbi; tu mihi vividus
Es SPONSE, *teſtis, qui tuorum*
Facta ſecutus Avûm, vetuſtum
Budingiorum tot Comitum decus,
Nomenq́; magnum per Patrii Solis
Per atque quasvis orbis oras
Altius erigis: & ſupremo
Miſces Olympo. O bis, ter, & amplius
ELISA *felix* SPONSA *adeò pio*

Digitized by Google

Claroq́ʒ SPONSO, *quem vetuſta*
Stirpis avitus honos, & ingens
Doctrina, Virtus, eloquium, Fides,
Recti cupido, nobilis indoles,
Pectus benignum, larga dextra,
Cur ſine felle probum, ſubinde
Exercitatum rebus in arduis;
Et tot remotis in regionibus
Cum laude verſatum, PARENTI
Delitias; paribus perennem
Mirationem; FRATRIBUS, *exteri*
Nunc in ſolo degentibus; & bonas
Artes ſectantibus, æviternum
Conſtituit ſpeculum. O beatum,
Vereq́ʒ felix, ô venerabile
Ter, terq́ʒ fauſtum; ô nobile CONJUGUM
PAR: *Sic Olympus; ſic Jehova*
Ditat in orbe pios. Favete,
Favete Cœli Numina Nuptiis;
NOVISQ; SPONSIS HIS *bona quælibet*
Parate; vinculum fovete
Connubiale; toro nocentes
Arcete lites; pellite iurgia;
Et ferte NATOS, *qui Proavos pios*
Patremq́ʒ magnum æquent honore,
Et Patriam decorent trophæis

JAN. HENR. SCROTERUS.

SACRO NUPTIALI
ILLUSTRIS AC GENEROSI
Comitis Dn.

ALBERTI OTTONIS, COMITIS SOLMENSIS, &c.

CUM

Illuſtriſſima Principe Dn.

ANNA LANDGRAVIA HASSIÆ, &c.

ANAGRAMMATISMUS MUSArum artificio elaboratus

AB HERMANNO KIRCHNERO.

ALBERTUS OTTO COMES IN SOLMS.
ANNA LANDGRAVIA HASSIÆ;
A Cœlis egreſſa duo Thalamos intrabant lumina ſanos

EUOLUTIO.

Chattidos in thalamos heros cum Solmicus iret
E Cœlis iungi lumina dicta duo.

Solem

Solem alter Cœli, referebat & altera lunam,
Aut ſi fax lunâ eſt pulchrior ulla polo.
Viderat Haſſiaden Divam de Cypride natus,
Et quò Mater, ait, quò mea mater abis?
Viderat Heroem Solmenſem mater amoris,
Et quò, Phœbe, tuum dirigis, inquit iter?
Quis non ergo putet veniſſe hæc lumina cœlis
Quorum etiam ſuperos fallere forma facit?
Ille Dei nitido æternum ſit concolor aſtro,
Concolor æternæ ſit precor illa Deæ.

In Nvptias
Generosi Herois Dn.
WOLFGANGI HENRICI AB YSENBURG, COMITIS IN BUDINGEN, &c.
Cvm
MARIA MAGDALENA HEROINA NASSOVIA, &c.

Syncharisticvm I.
AD ILLVSTREM ET GENEROSUM DOMINUM SPONSUM.

Naſſaviana Domus. fulmē memorabile Martis
Et comes indivulſa Artis; Germanidos oræ
Gloria; Semideûm Gens nobile ſemen Avorū,
Undiq; in immenſo iamdudum nomine Mundo
Splendet; & ætherium Virtutibus implet Olympum.

Ex hac illuſtri quondam ſunt Gente Potentes,
Qui totum iuſtis rexerunt legibus orbem,
Teutonibus Reges orti: Ex hac gente Sycambris
Fortibus, Auraicis ex hoc ſunt ſtemmate Terris
Ductores geniti magni, quos vivida mentis
Gratia; quos validæ vis inclyta maſcula dextræ;
Quos pietatis amor; quos provida cura ſuorum,
Germanis columen; Belgis, Anglisq; columnam;
Horrorem Hiſpanis; Batavis ſpem: nobile cunctis
Exemplum ſtatuit populis; & laudibus auctos
Emeritis ſuperis iamdudum immiſcuit aſtris.
Ex hac antiqua, clara, forti, atq; potente
Gente ſibi Latii Dapifer Leo gloria Regni;
Ex hac Mauritius fortiſſimus inclutus ille
Cattorum Ductor veterum; ſpes ſumma Camœnæ,
Haſſiacæq; Pater Terræ: Ex hac Bullionæus
Dux, qui Franciacis meritis clareſcit in oris;
Ex hac Hanovius, quo Conſultore Rudolphus
Cæſar ovat, celſum Ludovicus ad æthera notus
Hippophilus, Cygnus pius: Ex hac Lippius Heros;
Ex hac Solmſiacus, Manſfeldiacusq; Vilhelmus;
Ex hac Benthemius Comes; Ex hac Stelliger ille
Chriſtianus, Waldecciacæ Pater optimus Oræ;
Ex hac Gente ſibi Genitor tuus ille, vetuſtæ
Stirpis origo ſuæ, poſt primæ fata, Secundam,
Perpetuam vitæ, fati, ſtudii, atq; laborum,
Elegit Sociam; tibi, magne Heinrice, tuisq;
Fratribus Auſtero nequaquam corde Novercam
Iniuſtam; mitem potius, facilemq; piamq;,
Et veram; & placido Genuinam pectore Matrem.

Ex hac nunc etiam tibi, Sponſe ter-inclyte, Gente
Vſq; adeò illuſtri, comitum lux magna ſuarum,
Virgo, Puellarum decus, unio pulchra Dearum,
Quam Pudor & Pietas, ſummi quam Numinis ardor,
Quam Probitas animi, memorataq; gloria ſtirpis,
Illuſtri præfert generatis ſanguine Nymphis;
Illa relicta pii Magelona Maria Johannis
Filia Naſſovici Ludovici; Naſſaviana
Edita Matre pia; non turpibus obſita rugis
Qualis in Idæis Dea Peſſinuntia ſylvis,
Formoſum deformis anus quæ deperit Atyn,
Teq; qua Phrygum gemino fruſtra ſubvecta Leone;
Sed gemmam ſuperans, rutilo quæ iungitur auro,
Sed ſuperans rubris baccata monilia conchis,
Cum tu vix quinti tetigiſti tempora luſtri,
Sponſa datur, qua nec Pario de marmore ſignum;
Nec pictum in tabula manus emendatius edat.

Scilicet hæc illa eſt benedictio maxima Cœli:
Hæc eſt illa tui requies, WOLFGANGE, laboris,
Osq; caroq; tua de carne ac oſſibus: Hæc eſt
Illa illa illuſtri illuſtris de corpore Coſta (xit
Sumpta, HEINRICE, tuo, tibi quam, qui fœdera ſan-
Connubii, propriam iunxit, propriamq; dicavit,
Ipſe Deus Sponſam, tecum feliciter annos
Vt vivat multos; & te Chriſto auſpice multa
Prole Patrem faciat, per quam tua nomina creſcant
Vndiq;, & in longos tua gloria tranſeat annos.

Felici certè poſuiſti ſidere caſſes,
Quos adeò præſtans, adeò generoſa ſereno
Præda ſubit Cœlo, quæ te Hinnuli amabilis inſtar

Oblectare poteſt; quæ te ſylveſtribus Apris,
Plus cervisq; iuvet. Tu tam præluſtre Jehovæ
Donum lætus habe. Non te latet illa potentum
Imperii procerum coniunctio magna, MARIA
Quæ tua te ditat: Non te latet inclyta Virtus,
Non te fama tui Soceri; non te pia caſta
Mens Socrus; non te ſplendor latet ille vetuſtus:
Non te divitiæ; non ampla potentia Gentis
Naſſavicæ, Ducibus quam fortibus annumeratam,
Belga Luſitanus, Germanus, Gallus & Anglus
Suſpicit, & ſupero demirans miſcet Olympo.
Ne dicam pulchrū, quod habet MAGELONIA, Nomen,
Et thalami caſtum, quo te veneratur, amorem.

II.

AD ILLVSTREM ET GENEroſam Virginem

SPONSAM.

ET tu Virginei, MAGELONA MARIA pudoris
Floſcule, Semideûm generoſa Propago parentum;
Naſſovicæ lumen Gentis; radiansq; Puellis
Germanis ſpeculum; chari olim cura Parentis,
Nunc Viduæ Genitricis amor; Virgo, addita ſummo
Tota Deo; teneræ requiem precor accipe vitæ,
Tutoremq; tuæ; claro de ſemine clarum,
Wolffgangum Heinricū, Comitum præluſtre parentū
Stemma, virum iuvenem, Ferri cui nobile Caſtrum

Nomina, ſed Pietas, Pax, Candor, Gratia, Virtus,
Pectora dat rigido nequaquam obnoxia ferro.
Muſarum teneris qui caſtra ſecutus ab annis,
Et per Gallorum Regiones, oppida & arces,
Perq́ʒ Britannorum terras cum laude profectus,
Multiplicesq́ʒ ſimul linguas edoctus & artes,
Teutonicos inter Comites, interq́ʒ Parentes
Illuſtres Patriæ tantum ſuperemınet omnes,
Quantum, quæ creſcit celſis in montibus arbor,
Et ferit ætherias frondente cacumine nubes.
Hunc Genitor Latii lumen memorabile Regni;
Spes mea; Pieridum decus immortale ſororum,
Pacis & artis amor, Wolffgangus ad æthera notus
Erneſtus, Budingiacæ Comes inclytus Oræ,
Maiorum nulli vera virtute ſecundus;
Et Parium illuſtri Comitum de ſanguine Mater
Inclyta, quam noſtris iam pridem Numen ademptam
Eripuit terris, Cœloq́ʒ immiſcuit alto,
Progenuêre olim, primo ſub flore iuventæ
Illuſtrem generoſa tuo Magelona Maritum
Dignandum thalamo. Tu tanto munere Cœli
Hoc fruere; hoc omnes uno lætare per annos.
Ex hoc mox (ſuperos quod ſupplex poſco) tenellus,
Yſenburgiacæ gentis ſpes magna, Puellus
Ante tuos ludet vultus, qui nomine Patrem,
Numine Avum; Proavos æquabit mente vetuſtos;
Teutonicasq́ʒ nova Virtute merebitur Urbes.

III.

AD VTRVMQVE SPONSUM.

FElices SPONSI, *priſcæ quos ſtirpis origo;*
Quos ſyncerus amor; paritas quos aurea morum
Mater amicitiæ ſociat; quos vivida Virtus
Non ſolvendo unquam iungit duo pectora nodo.
Cernitis ut Gallus, Sueco, Cymber, Scotus & Anglus!
Vt Dapifer Princeps! ut Bullionæus; ut Haſſus!
Vt gens Seinenſis, Naſſoia, Hanoia, Widenſis!
Vt Leo Solmenſis! Roſa Lippia! Benthemianum
Cor ternum! ut nigro Waldeccia ſtella colore!
Vt reliqui Affines veſtri! ut Sala, Rhenus, & Albis!
Vt Fulda! ut Mœnus, Lanuſque! ut Sequana veſtris
Applaudat tædis! Fallorne, vel audio dulces
Belgarum cantus, Batavorum iubila! lætos
Friſorum plauſus! procerum vota Auraicorum!
Audio NASSOIOS BATAVORUM *in ſede morantes*
Plaudentes thalamo COMITES *veſtro! Audio magnum*
MAURITIUM, HEINRICUM, GUILIELMUM, ERNESTUM! *At omnes*
Vno ore, uno animo, per Teutonis oppida terras,
Terrarumque Duces magnos, magnoſque Monarchas
Audio gratantes vobis. Vos, O duo SPONSI
Illuſtres, certo Divorum munere in uno

Digitized by Google

Coniuncti thalamo: mens una, caro una: cor unum,
Creſcite, vivite, vincite, ludite, gignite: veſtras,
In veſtri generis ſpem: ſerorumq; nepotum,
Iungite concordes dextras. Rumore ſecundo
Inſonuit caſta vox Turturis; albaq; veſtra
Arce ſedens iungit, cum compare, roſtra columba.
Quin quoq; paſſa novem volitat prope ſæcula cornix,
Augurium vitæ longæ felicis amoris.
Hæc ſunt, quæ vobis, gemini duo corcula SPONSI,
Aönides paſſim, SCROTERO *vate ſorores,*
Imperijq; ſimul Latij longo ordine Patres
Vota ferunt. Quæ ſi capietis, ut obſecro, vultu
Pacato, votis iungent ſe Numina noſtris.

JANI HENRICI SCROTERI.
C. P. & P. C.

JULII GUILIELMI ZINC-
GREFII

EPIGRAMMA

IN NUPTIAS

ILLUSTRISSIMI

IOHANNIS PHI-
LIPPI COMITIS IN LEI-
NINGEN ET DAXPERG, DOMINI
IN ASPREMONT,

CUM

ELISABETHA COMITISSA
LEININGENSI &c. HARTEBURGI
CELEBRATAS IX. JAN.
CIↃ IↃ XX.

HActenus in ſterili vixit comes inclytus aulâ,
Cunctaq; triſtitiæ plena frequentis erant.
Iam ſeſe auſpiciis melioribus induit annus,
Cunctaq; lætitiæ plena recentis erunt.

Quan-

Quando Luningiades ſeſe Heros Nymphaque vinclo
Par conſanguineum proximiore ligant.
Sic viti gemma inſeritur de vite propinquâ,
Sic roſa purpureis additur alba roſis.
Arboris agnatæ ramum ſic ramus adoptat,
Junctaque confuſo Lilia odore placent:
Haud ſecus illa arbor, fœcundæ ſtirpis honorem
Diviſa poſtquam poſtquam fertilitate probat,
Hinc redit in ſeſe, coaleſcitque omine fauſto,
Vt ſe mox iterum ſeparet innumeros
In ramos; (ſic opto,) piis qui nexibus umbram
Efficiant populo delitiaſque ſuo.

IN HONOREM NUPTIARUM

D. GEORGII FRIDERICI COMITIS IN HOHENLOE, &c.

ET

DOROTHEÆ RUTENÆ, A' PLAUEN, &c.

DEus confert Euergetes,
Multas opes mortalibus:
Sed præ cunctis uxor proba,
Pudica, pulchra, provida,
Pia, & quæ ſemper unicè
Maritum diligat ſuum,
Theſaurus eſt longè optimus.
Quæ externis haud tot ornatibus
Dedita, pendendis torquibus,
Et intexendis crinibus,
Auroque tantum ac veſtibus
Gaudens: Sed cui quietior,
Internus hoſpes pectoris,
In omni manſuetudine
Domino ſe ſubijciat ſuo.

Certè nihil divinius,
Aut quicquam pretioſius
In iſta nilq; optatius
Vita, nihilque dulcius.
Denique nihil eſt vel charius
Viro, tam ſuavi coniuge.
Sacra hoc teſtantur Biblia,
Beatusq; exemplo Saræ.
Apoſtolus monet Petrus,
Colentis hoc Abraham modò,
Voce Dominum appellans pia.
Dulce homini vox Luſciniæ,
Sed hæc multò dulciſſima,
Submiſſionis vocula,
Amoris ſignum mutui,
Et turturum connuby.
Ergo FRIDRICE *comes potens*
Antiqua & ALTI LUMINIS
FLAMMINEA DE STIRPE *ſate, quis*
Te non beatum dixerit
Iam! talibus cui moribus
Divino ceſſit munere
RUTTENA, *quæ è* RUTTENIO
Illuſtri exſurgit ſtemmate,
Et inclyto, DOROTHEÆ
Conveniens & amabile
Nomen, & omen poſſidens?
Talem pio, & caſto viro
DEUS *confert Euergetes.*

CASPARI BUCHERI.

IN NVPTIAS

GENEROSI DOMINI,

IOHANNIS WIL-HELMI COMITIS WIDENSIS,

ET

MAGDALENÆ HARDEC-CIÆ &c. SPONSÆ.

CARNE *duos voluit Deus eſſe benignus in una,*
Quos ſtabili iunxit fœdere connubij.
H *aud unquam placuit Domino coniungere plures,*
Quod conteſtatur Filius ipſe Dei.
R *umpere mortales igitur deſiſtite pacta*
Coniugij: Mœchos lex quia plectit atrox.
ngenuum Chriſti nam cultorem decet eſſe,
Unâ contentum compare perpetuò.
int caſtæ mentes, abſit Venerisq; libido
Turpis. & os caveat propudioſa loqui.
ranquillo vivas animo, tuus atq; ſceleſtam
Admittat nullo tempore lectus Erin.

E ſto pius, reverere Deum præclare marite,
Tu venerare virum, clara marita tuum.
B arbara tum fugiet Lacheſis: palmamque tenebit
Veſtra præexiſtens cum probitate Fides,
E xempti multis eritis Vitæque periclis,
Accerſit citò quæ turba maligna ſibi.
N unc merita Sponſis cantemus iubila laudis
Eximiis Muſæ promite dulce melos.
I lluſtris COMES è Widanâ ſtirpe JOHANNES,
GUILHELMUS genitus, nunc ſibi duxit ovans
G ermanâ Virtute parem (cui MAGDALA nomen,
Turrim quod fortem ſignificare ferunt:)
N ympham, quam clarus nobis HARDECCIUS HEROS
Progenuit, ſummo conſtituente Deo.
E rgo Magnanimi Comites cantate Jehovæ,
Plaudens lætetur Virgineusq; chorus.
J ura novis dextri precibus ſponſalia Nymphis
Conſecrate piis, perpetuante Deo;
U t puræ ſemper ſint Relligionis amantes,
Et quærant primum cœlica regna ſibi,
V erbo, plebs quoque ſic formetur ſubdita, Vitæ,
Ipſi ne noceat vana ſuperſtitio.
A rcani vigeant nexus, quò prole parentes
Pulchrâ mox fiant, multiplicante Deo.
A lme pater poſthac Sponſos in tramite normæ
Deduc iuſtitiæ, gaudeat ut populus.
M anſuetum Comitem GUILHELMUM Chriſte tuetor,
MAGDALEAM mitem Chriſte benigne fove.

Ex-

Digitized by Google

E xpertes labis, famoſi criminis atque
Innocuos ambos, Chriſte benigne rege tege.
N uptos pace frui, depulſo, da, procul hoſte:
Quos tandem Cœlo Chriſte beabis, Amen.

VOTUM CHRISTIANUM.

J ntegra nunc adſit vobis benedictio Chriſti
O SPONSI illuſtres; Veſtrum quo ſuaviter arctum
H oc ſit coniugium: divini Numinis almo
A uſpicio, tecum vitæ, SPONSE, exigat omnes
N UPTA dies, triſtis depellens tædia mentis.
N equaquam ſterilis, ſed fertilis inſtar olivæ
E xtans, ſit ſobolis mater multæq́; piæq́;:
S ic vos cœleſtis fœcundet gratia utroſq́;.

G rata fides porro, nutrix concordia rerum,
U nanimis ſenſus, conſtantis amoris & ardor,
I n thalamo vigeant veſtro creſcantq́; iugali.
L ivor inter Vos non turbet, non garrula lingua
I nfringat Veſtræ maledictis Vincula pacis.
E xulet omnis amor fœdus, quem Lege ſupremus
L egifer averſans voce execratur acerbâ.
M ens ſiquidem Deus ut caſta eſt, ſic mente vocari
V ult caſtâ, ſanctamq́; iubet nos degere vitam,
S ervariq́; tori leges & iura pudici.

Digitized by Google

M *agnorum ſub mole gravi, duraq́ laborum*
A *uxilio vobis adſiſtat magna Tonantis*
G *ratia, conſilijs ſemperq́ iuvare carentes*
D *ignetur: fragilis & ne gravis obruat error,*
A *veri non vos patiatur tramite flecti.*
L *onga precor tandem, ſint vobis tempora vitæ,*
E *xſuperant quæ grandævi feliciter annos*
N *eſtoris hæredes vos conſtituatq́* IEHOVA
A *rmipotens nullo perituri tempore regni.*

H. BLITTERSHAGIVS.

EIUSDEM, IN NUPTIAS
GENEROSI
D. CHRISTOPHORI COMITIS IN WESTERBURG, &c.
ET
VVALPVRGÆ COMITISSÆ WEDANÆ.

QUAM *tibi coniugium res ſit ſacra, ſuavis, honeſta,*
Demonſtras facto, ſtirps generoſa, tuo:
Dum tibi iam vitæ ſociam ſociare ſecundam
Non dubitas firmo fœdere coniugij.
Multos abſterrent mala, quæ cum coniuge primâ
Sunt paßi, curæ difficilesq; domus?
Quò minus ad tædas ſtudeant tranſire ſecundas,
Aut ſua connubio ſubdere colla velint.
Aſt hi non ſapiunt: quia præſtat nubere, flammis
Quàm vetitis uri, codice teſte ſacro.
Nempè iugalis amor caſto ſanctoq; IEHOVÆ
Perplacet! impurus diſplicet omnis amor.

Digitized by Google

Perge igitur Generoſe Comes, SPONSE *inclyte perge*
Hanc thalamo Nympham conſociare tuo.
Quæ de præluſtri WIDANA *ſtirpe creata,*
GUILHELMI *ſoboles eſt generoſa patris.*
Quæq; ſatis lepido WALPURGÆ *nomine dicta.*
Eſt certè thalamo digna Virago tuo
Vis, referam cauſas? ſuperat Virtutibus annos,
Sexum animis, morum nobilitate genus.
Cætera ſi cernas, omnes hoc pectore cernes
Virtutum vires exſeruiſſe ſuas.
Hinc ut triſtitiam cordi peperêre prioris
Coniugis illuſtris, funera mœſta, tuo?
Quam (dolor) ante diem, nondum virtutis egentem
Abſtulit indomitæ mortis avara manus:
Sic modò lætitiam parit hæc tibi Nupta ſecunda,
Et pariet menti gaudia multa tuæ.
Quæ prior inflixit moriendo Vulnera coniunx,
Hæc nova ſanabit mille marita modis.
Ergo age SPONSE *tuam* SPONSAM *generoſe decoram*
Accipe, de cœlo quæ tibi miſſa venit.
Nam pia, caſta (tibi qualis nunc ducitur) uxor
Solius eſt donum nobile, crede Dei.
Donaturque Viro verà pietate probato,
Qualem te certò novimus eſſe, Comes.
O te felicem, Domini cui nempe favore
Tam pietate gravis conſociatur Hera!
Namque velut Solis iubar omnem illuminat orbem,
Sic genus illa tuum condecorare poteſt.
Condecorare poteſt, Virtutum ſtrenua cultrix,
Numinis, ac puræ Relligionis amans.

Digitized by Google

Huic adeò firmis complexibus hæret, ut inde
  Avelli nullâ vi queat, atque dolo.
Pubertatis enim quum vix excederet annis,
  Prima Dei leges diſcere cura fuit.
Imò illam cum lacte ſtatim docuêre parentes
  Obſervare vias, atque ſtatuta Dei.
O igitur rurſum te prædico SPONSE beatum
  Inclyte, cui tantum Sanctus IOVA favet.
Et cuius lateri, ceu propria membra fovendam,
  Inſerit hanc coſtam dux in amore Deus.
Vt tibi iuncta manens, donec mors ſegreget atra,
  Per cunctos tibi ſit cara marita dies.
Nec non te faciat formoſâ prole parentem,
  Ipſaque ſit ſobolis mater amata piæ.
Nunc & SPONSA tuis rebus lætata ſecundis,
  CHRISTOPHORUM Sponſum ſuſcipe caſta tuum.
Qui tibi pro precibus cœlo demiſſus ab alto
  Totus adeſt, totus captus amore tui,
Qui Comes eſt celebris, generoſo ſanguine natus,
  Weſterburgiacæ gloria magna domus.
Quiq; ferens humeris fidei ſeu corde fideli
  Chriſtum, Chriſtophori nomen & omen habet.
Cui quoque ſunt mores humani, Heroica virtus,
  Et ſtudium veri, contribuente Deo.
O te felicem Sponſam, cui iungitur heros
  Talis, cui tantus conſociatur herus:
Hanc igitur toto redamantem dilige corde,
  Et ſemper meritâ ſedulitate cole.
Ipſiusque iugo ne ſubdere colla graveris,
  Eius enim facile eſt, mite, ſuave iugum.

Tandem, præſentis quæ pars extrema laboris
Hoc votum, ô Sponſi, pectore fundo pio:
Sit Deus ipſe domus veſtræ protector, & omnes
Res procul adverſas inde fugare velit.
Idem concordi faciat vos vivere corde,
Confirmans ſtabili pectora veſtra fide.
Atque favens thalamo geniali, faxit, ut inde
Plurima proveniant pignora coniugii
Chriſtophorus parvus, Waldburga aut parvula in aulâ
Mox veſtrâ veſtros luſitet ante pedes.
Det quoq; longævæ felicia tempora vitæ,
Imperium vitæ, qui tenet atq; necis.
In ſummá, eveniant vobis proſperrima: amores
Qui ſatagit veſtros ſolvere DISPEREAT.

IN NUPTIAS
ILLVSTRIS ET GENEROSI
Domini,

D. OTHONIS, COMITIS IN SOLMS ET DOMINI IN MVNTZENBERG, &c:

CVM
ILLVSTRI ET GENEROSA
Matrona Domina

VRSVLA, COMITISSA A GLEICHEN, ILLUSTRIS ET GENEROSI COMITIS ISENBVRGENſis VVolfgangi, P. M. relicta vidua.

VNDE *adeò ſubitus rebus vigor omnibus? unde*
Hæc venit excelſo facies cœlo; unde repentè
Hæc VETERAVIACIS *oritur mutatio ter-*
Nuper enim (memini) rapidis Aquilonibus aër, (ris?
Nubibus horrebat Polus, imbribus arva fluebant
Omnia; lugebat LANVS, *lachrymisq́ piorum*
RHENVS *inundabat, ſqualebat marcida laurus,*
Muta chelys, triſtis Phœbus, citharæq́ repertor
Arcas & ad ſurdas fundebam vota ſorores.
Nunc venti bellum, nigras nunc ſidera nubes,

Nunc poſuere feros pluuiarum protinus imbres
Pleiades Heſperiæ, ſupera nunc clarus ab arce
Lumine mulcet humum Titan, pulſiſque tenebris,
Vndique leniſluis fulget manſuetior Euris:
Nunc lachrymas LANVS, *nunc triſtia* CYNTZIVS *ora,*
Nunc poſuit querulos tellus VETERANA *dolores,*
Nunc Phœbi delubra patent. nunc delphica rupes
Panditur & ſacro Corythna remugit ab antro.

Fallimur an totum Phœbeia lampade cœlum
Lucidius, poſitiſque elapſi luctibus anni
Muſa tibi nitido ſeſe, LEO SOLMICE, *vultu*
Exorent? tibi ſerta paret? tibi flore recenti
Templa novet, PARIVM *cum nempe illuſtris* AVO-RVM
VRSVLA *flos comitum, memorabile matronarum*
Semideum ſidus, viduo nunc libera lecto,
Vt tecum multos feliciter exigat annos,
Solmſiacosque pia fœcundet prole penates
Læta tuos intrat, comes inclyte magne iugales?

Nimirum, patriæ cum ſis lux ardua terræ,
Claraq́ Pieridum, Martis laus, ſtella ſororum,
Et tua ſuprema dudum ſit cognita cœlo
Cum pietate fides, pleno indulgentia cornu
Te meritò diuina beat, telluſque paterna,
Et natura tibi famulatur tota, tuoque
Ex nutu pendens, ex te trahit aſpera læta
Gaudia, mœrores, lachrymas, ſpes, iubila, curas.
Hæc quoque cum caſtis partitur cuncta camœnis,
In tua quæ ſemper deducunt vota ſequacem
Qua tu cunque vocas noſtram, comes inclyte, mentem.
Gaude igitur generoſe heros, Otto pie, gaude:

Læta decent ſiquidem te gaudia: ſed tamen illa
Fac quoque nobiſcum partitus divide. Fas eſt
Lætitia gaudere tua, dum ſcilicet illa
Publicitus ſuperos etiam pertingit ad omnes,
Pectoribusq́; meis gaudendi infuſa voluptas
Irrequietaciet trepidas molimine fibras.
Pandite nunc Helicona Deæ, nunc promite vires
Nunc animos, animis opus eſt, cantusq́; movete.
Quid ceſſas Hymenæe? faces accende iugales;
Junge pares animis, ſocialia fœdera iunge.
Sponſe veni; tua res agitur: nunc exue veſtem
Corpore lugubrem, mœrorem corde, Sepultæ
Sat nunc indultum eſt genitrici: læta iuventus
BIRSTENIAM lætis complet clamoribus arcem,
Vincla tibi iniiciens, læto quæ florida vultu
Jam pridem reſidens geniali gratia lecto
Nexuit, En votis præſtò eſt tibi mille cupita
Lux tua, ſic erat in fatis, ut ſcilicet illam
Quam tu iam toties generoſa mente petiſti
Per noctes æſtate breves, hanc tempore Brumæ
Pro libitu longas poſſes tibi iungere Lunas,
Oſculaq́; alterno dare & illa reſumere raptu.
Ter felix tali cui conditione beato
Sic voluit veneris tener abblandire puellus
Quid maius ſuperos? venit en venit Vrſula ſemis
Illa DEVM ſoboles, pars altera corporis, illa
Coſta tui lateris. tibi nunc adducitur uxor,
Quam tibi ſi digna vellem depingere laude,
Vivida cui meruit generoſo in pectore virtus,
Vnde vel incipiam primum, aut quo fine quieſcam.

Si genus aſpicio, genus eſſe illuſtre paternum
Repperio, quis enim quæro, non novit avitos
Non modo Weſtphalicis, ſed per tot ſæcula priſcis
Turigetum claros terris, latioq; celebres
Imperio comites parium de ſemine natos?
Quis non Erneſtum gemino cum fratre Philippum?
Quis non Albertum novit geminosq; Georgos,
Qui toties patriæ pro libertate tuenda
Adverſus Geticum ſectati bella latronem,
Per flammas, gladios, per tela, per arma ruentes
Non timuere ſuæ vel aperta pericula vitæ?
Sed quid aquas addam Oceano comes inclyte? ſponſæ
Gens generoſa tuæ tot habet de ſtirpe nepotes,
In ramos tot ſparſa ſuos, tot diffluarivos,
Quam quævis æquare poteſt domus altera dudum
Quæ ſibi prælustris blanditur imagine ceræ.
Tu modo virtutem, candorem, Religionem
Et caſti probitatem animi ſanctumq; pudorem,
Et non ceſſuros niſi Diis, ſine crimine mores,
Quaq; ſuum primum morborum pondere preſſum,
EISENBURGIACUM *fovit pietate* MARITUM,
Reſpice, & invenies, quam tu petis, inclyte, dotem.
Hac fruere, hac omnes lætus te paſce per annos.
Tu quoq; imaginibus multum prælustris avitis
Urſula, fœmineæ ſpeculum prælustre pudoris,
Æmula maternæ laudis, certiſſima ſummi
Cura Dei, Parium Comitum quæ tollis ad aſtra
Inſigni pietate domum, cui rara tulerunt (heu
Secla parem, Ne torque animum amplius hactenus, e-
Relicta inviduo paſſa es mala plurima lecto.

Grande moræ pretium fers: En per multa profectum
Oppida, linguarum gnarum, experientia & uſu
Præſtantem: fidei Athlantem, ſpem Relligionis,
Caſtora Rhenani Ducis arcem, Bullionæi
Perſea, Solmſiaca generoſum è gente Leonem,
Qui non magnanimos pulchro modò nominè Otones,
Sed valida Martem dextra ſaturnium honore,
Ingenio Phœbum vincit, tibi fata Maritum,
Vt nempe Amiſſi nomenq́; locumq́; rependat
Wolffgangi, aſſociant hodie: Tu munere tanto
Hoc fruere, hoc omnes te paſcito læta per annos.
Gaudentes ambo thalamos intrate iugales
Illuſtres Sponſi, paritas quos iungere morum
Mater amicitiæ voluit, quos vivida virtus
Non diſſolvendo quondam connectit amore,
Ite, ac Herculeo iungentes pectora nodo,
Conceſſos liciti fructus decerpite lecti.
Ne qua tamen veſtram lædant incommoda mentem,
Ipſe Deus tutis vos undiq́; protegat alis:
Prole torum, ubertate domum beet, acta ſecundet.
Hoc precor, & ſi quid veri mens augurat, opto.

LUDOVICI ARIOSTI FERRARIENSIS

EPITHALAMION

IN NUPTIAS

DVCIS FERRARIENSIS, HERCULIS F.

CVM

LVCRETIA BORGIA.

SVrgite, iam ſignum venientis tibia nuptæ
Concinuit procul ecce venit formoſa, iugato
Qualis olore Venus cum Memphim, aut alta Cythera
Aut nemus Idalium, aut Amathuntis templa reviſit.
Cernitis ut circumq; oculos, circumq; decorum
Osq; genasq; humerosq; & circum virginis omnem
Laudatam ſpeciem volitet charis, utq; ſerenos,
Vibratis levibus pennis illi afflet honores?
Cernitis ut cirrum tenerorum luſus amorum
Obſtrepat? ut calathos certent invergere florum
In comptum dominæ caput, atq; hic lilia fronti

Componens niveæ, hic immortales amaranthos
Purpureaſq́; roſas malis, mirantur eandem
Formam diverſos florum ſuperare colores?
Cernitis ut iuvenes obducta fronte Latini,
Queis eſt dicta dies reditus, pilenta ſequantur,
Cur non audimus tacitâ quid voce volutent?
Reddere & argutis meditamur commoda dictis:
Sic ad regales thalamos Hymenæa citántes:
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenæe.
Adſpicite Herculeos iuvenes procedere contra
O ſocii iam iam numeris certare paratos?
Sic certè haud temerè veniunt, victoria nobis
Difficilis: lætas nam poſcunt carmina mentes:
Nos triſtes, quid enim niſi triſte efferre paramus,
Culmine deiecti tanto pulcerrima cum te,
Externi invideant thalami Lucretia nobis?
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis.
Aſpice Auſonios meditata requirere vates,
Victrici, qui ſæpe caput preſſere corona.
Quare non facilis ſtat nobis palma, ſodales,
Qui prima alterno cantu certamina inimus,
Gloria ſed maior quæ multo parta labore
Provenit: hoc agite, huc animum convertite, ne qua
Sit mora cum docto deceat ſuccedere cantu.
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenæe
Omnia vertuntur, quæ quondam maxima Roma
Auſonias inter tantum caput extulit urbes
Quantum abies inter graciles annoſa geniſtas,
Aut quantum tenues inter vetus Albula rivos,
Seu claris hominum ſtudiis, ſeu mœnibus altis:

Nunc

Nunc deſerta vacat, veteri depreſſa ruinâ
Atq; ubi templa Deum, & Capitolia celſa fuere
Curiaq; & ſancto ſubſellia trita ſenatu;
Flexi pedes ſurgunt ederæ fruticesq; maligni,
Et turpes præbent latebras ſerpentibus atris,
Et levis hæc iactura tamen. ruat hoc quoq; quidquid
Eſt reliquum, iuvet & nudis habitare ſub antris;
Vivere dum liceat tecum, pulcerrima virgo.
Dure Hymen Hymenæe piis inviſe Latinis.
Omnia vertuntur. modicis quæ mœnibus olim
Hinc viridi ripa; hinc limoſa obducta palude,
Anguſtas capiebat opes Ferraria pauper,
Anguſtasq; domus, anguſtaq; templa Deorum;
Apta tamen tenui populo, tenuiq; ſenatu
Finitimas inter tantum, nunc eminet urbes,
Quantum inter Bacchi colles pater Appenninus,
Eridanusve inter fluvios, quos accipit infra,
Quosq; ſupra è tota Heſperia Neptunus uterq;.
Nunc ubi piſcoſo pellebant gurgite lintrem
Aut ubi in aprico ſiccabant retia campo;
Regia templa, domus, fora, compita, curia, turres,
Herculeiq; decent muri. portæq;, viæq;
Vixq; ſuo populo ampla potenti, & moribus æquis;
Et paribus ſtudiis generi contendere Martis.
At nullos tantum iactat Ferraria cultus,
Quàm quod te dominam accipiat, pulcerrima Virgo
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenæe.
Qualis in Ionio magno, bacchantibus Auſtris,
Nauta ubi vel Syriâ, vel Thinâ merce gravatam
Illiditq; ratem, ſcopulisq; relinquit acutis

Naufragus, & multum per cærula volvitur exſpes
Nudus & ignota tandem iactatur arenâ,
Dum vacuam querulis contriſtat fletibus oram
Haud procul informi in limo radiare coruſcam
Intuitur: quam vertit atrox ad littora gemmam
Tempeſtas, ſeq; illâ, opibus ſolatur ademptis:
Ecce autem mirantem ignes, rutilumq; decorem
Incautumq;, potens manus occupat obvia. & illum
Dimittit maria implentem, & nemus omne querelis.
Talis Roma diu caſus ubi flevit iniquos
Optavitq; dolens veterum decora alta Quiritum
Dum vaticano flexiſſet lumina colli,
Te vidit clari ſoboles Lucretia Borgæ;
Pulcro ore, & pulcris æquantem moribus aut quas
Verax fama refert, aut quas ſibi fabula finxit,
Atq; novo veteres ſolata eſt munere curas.
O ſeptem colles, Tiberis pater, altaq; priſci
Imperii monumenta graves intendere luctus
Nuper Ateſtini fratres proceresq; propinqui,
Herculeus iuvenis patriâ quos miſit ab vrbe
Quod pulcri fuerat nobis, impunè tulere,
Externoq; decus veſtrum vinxere marito,
Dure hymen hymenæe piis invise Latinis.
Vt qui perpetuis viret hortus conſitus umbris,
Mobilibusq; nitet per quadrua compita rivis
Laudetur licet Idæa ſub ſidere capræ,
Seu cum libra oritur, ſeu cum ſata Sirius urit,
Eſt tamen egelidos tauro referente tepores
Gratior: erumpunt tum lento è vimine frondes,
Tum pingunt variis, decorantq; coloribus herbas

Liliaq; violaq;, roſeaq; breveſq; hyacinthi:
Sic quæ regali fulſit Ferraria cultu
Ædibus aut ſacris, aut ancta molibus urbis,
Aut mage privatis opibus, luxuq; decenti,
Vel ſtudiis primum ingenuis iuvenumq;, ſenumq;
Nunc pulcra eſt, nunc grata magis; cum Borgia tauro
Vecta tuo referes auratis cornibus annum.
Vere novo inſuetos ſummittit terra colores
Herculeiq; nitent nativis floribus horti,
Arte tibi qua quiſq; valet blanditur honeſta:
Vt nos qui teneris Muſas veneramur ab annis,
Alternis lætos numeris canimus Hymenæos.
Blande Hymen, ades ô Hymen, ades ô Hymenæe.
Dure Hymen, Hymenæe piis inviſe Latinis
Qui potes è lachrymis miſerorum auferre parentum,
Ardentiq; viro trepidam donare puellam,
Et procul à patria longinquas ducere ad oras,
Dure Hymen Hymenæe piis inviſe Latinis.
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenæe
Qui cupido iuveni cupidam ſociare puellam
Tendis, qui tacitos queſtus miſeraris amantum:
Qui Nympham haud pateris viduo tabeſcere lecto,
Longinquaſq; urbes geniali fœdere iungis,
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenæe
O quondam gratæ pulcro candore puellæ,
Quæ Phaëthontei colitis vada conſcia caſus;
Quid Latiæ, nuptæ iucundo occurritis ore?
Nec ſenſiſtis uti potioris luminis ortu
Veſter hebet, languetq; decor ſpectabilis olim:
Arctos ut Eoo veniente Hyperionis axe.

Du-

Dure, Hymen, Hymenææ piis inviſe Latinis
O longum incultæ tenuiq́ in honore puellæ
Pinguia quæ colitis teſtantia culta labores
Herculeos, ubi multiplicem Dux inclytus Hydram
Contudit, ignavis fœdantem flexibus agros
Virginis adventu Romanæ, exporgite frontem.
Nam pulcra ut rerum facies celatur opacâ
In nocte, & picea ſordens caligine nullos
Oblectat, torpetq́ alienæ obnoxia culpæ,
Quæ mox cum thalamo Tithonia ſurgit ab Indo
Apparet meritasq́ audit clariſſima laudes:
Sic vos ingratâ reſides latuiſtis in umbra
Heroe Herculeo poſt vincula prima tot annos
Cælibe, & Aurorâ nunc exoriente Latinâ
Grata eſtis, capiturq́ decor non viſilis ante.
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenææ.
At vos, Romulei vates ne tendite contra:
Iam numeris ſatis eſt luſum; iam tecta ſubimus
Regia; nec pigeat concordi dicere cantu,
Blande Hymen, iucunde Hymen, ades ô Hymenææ.

PRO D. ISABELLA FERRARIENSE, SPONSA, AD FRANCISC. GONZAGAM MANTUÆ PRINCIPEM.

TITI STROZÆ.

NOn ita ſervato gaudebat Jaſone Colchis,
Cum tulit auratæ nobile vellus ovis;
Nec ſic Dædaleas cæſo Menoia monſtro
Vidit ubi Ægiden exſuperaſſe vias;
Nec ſic depoſita duræ formidine ſortis
Læta erat oblitis luctibus Andromede;
Tot maris ac terræ poſt ſæva pericula; nec ſic
Conſpecto incolumi Penelopea viro:
Ut Franciſce tuas lætor, ceu ſcribis, ad urbem
Tandem exſpectatas hanc dare vela rateis.
Quæ tibi concedant feliceis dextera curſus
Numina, ſunt precibus ſollicitata meis.
Cum ſocero fratres, caraſq; valere ſorores
Et ſalvos omnes gratulor eſſe tuos.

Sed

Sed tamen inprimis cupio te cernere, ſi me
Virgineus patitur dicere verba pudor.
Serpit enim inſolitus, qualem nec dicere norim
Nec meditari animo, noſtra per oſſa calor.
Ille novis furtim curis invadere pectus
Nititur, immemorem nec ſinit eſſe tui.
Et quamvis, iuvenum pulcerrime, longius abſis,
Noſtra tamen vultus mens videt uſq; tuos.
Haud debere parum ſuperis, Franciſce, videbar,
Quod non in Geticis rupibus orta forem:
Quod mihi ſit genitrix Lionora, quod Hercule dicar
Nata duce, & proavos iactet uterq; ſuos:
Hic Gallos, aſt Hiſpanos ex ordine Reges
Sanguinis auctores adſerat illa ſui.
Vlla ſed optandæ ne pars mihi ſortis abeſſet,
Maxima tu noſtris gloria rebus ades,
Qui patris egregias laudes imitaris, & altâ
Fulges Gonzagæ nobilitate domus.
Nec ſecura ſui, tua dum præclara teneret
Te procul à noſtrâ Mantua Ferrariâ.
Et ſeu dictus eras forti certare palæſtrâ,
Seu celeri curſu ludere, ſive pilâ:
Flectere ſeu validis ſinuoſos viribus arcus;
Seu iacere obuncâ ſpicula lenta manu;
Seu pedes interdum magnam graderere per urbem,
Sulcaret patrios ſeu tua cymba lacus;
Sive ferebaris campo exercere ferocem,
Qualis in Oebalio pulvere caſtor, equum:
Seu rapidis canibus lepores capreasq; fugares;
Sive truces audax inſequereris apros;

Pertimui ſubitò, ne quod diſcrimen adires,
Nec mihi parva tuæ cura ſalutis erat.
Fama puellarum te viſere ſæpe choreas
Retulit: hoc utinam nil mihi triſte ferat.
Littera nec noſtro ſe miſceat improba amori,
Neu quærat pactam ſollicitare fidem.
Difficile eſt aliquid de te mihi credere: verùm
Neſcio quid cogor ſubdubitare tamen.
Hoc tua perſuadet facies inſignis & ille
Securam qui me non ſinit eſſe, Deus.
At mihi ſi nemo te præter amatur, & uni
Sum tibi legitima conſociata fide;
Si non indignæ ſumus ut mereamur amari,
Mutua fac teneat te quoq; cura mei.
Atq; ita qui teneris in te bene cœpit ab annis,
Me creſcente, meus creſcere perget amor.

EPITHALAMIUM LUCRETII CANCRIFERI COMITIS, ET THADEÆ VERMIGENÆ.

JO. ANGELI TAYGETI.

Regina ô Cypri, ô teneri vaga mater amoris,
Eia age linque Paphon, Idaliasq; domos.
Huc propera redimita roſis, Lucretius heros
Te vocat, orantis ſuſcipe, Diva preces.
En nova nupta illi Superis æquanda propago
Amplexus primos, oſcula prima parat.
Pectora iungat Hymen, animos concordia nectat,
Et charis, & certa pax comitata fide.
Igne pari ſuccende duos: ut corpore in uno
Spiritus unanimis corpora bina regat.
Det ſobolem Lucina favens, uteroq; iugalem
Acceleret menſem Cynthia iam decimum.
At tu vermigena huic tanto coniuncta marito
Gaude inter pulcras pulchior Italidas.
Omnia fauſta vides: hic tellus ridet & aër,
Duraq; flaventi robora melle fluunt.
Plaudit amor thalamis, geſtit placidiſſima Iuno,
Intonat æthereo ſummus ab axe Pater.

IN NVPTIAS

FR. MEDICIS,

ET

JO. AVSTRIÆ, &c.

EPITHALAMION

PETRI ANGELII BARGÆI.

Q*Vam precibus, votiſq; Deum perſæpe rogarat*
Gens Hetruſca dies aderat lætiſſima, qua ſe
Finibus è patriis Thyrrenam inferret in urbē
Ingreſſura viri ſedes thalamumq; iugalem
IOANNA, *Auſtriadas inter pulcherrima natas;*
Cum Venus albarum curru devecta volucrum,
Idæi fontis latices, urnamq; petebat,
Fundentem largos ſinuoſo flumine rores,
Ipſa ſuos quibus & laveret ſpectanda capillos,
Et lympha niveos felici ſpargeret artus.
Scilicet (hoſpitio nam paulo acceperat ante
Læta Iovem, & media venientem in ſede locarat)
Ibat, ut innumeros nativæ frontis honores
Nec non & puræ decus inviolabile forma
Et crines, nulliſq; genas medicata Venenis
Oſtentaret ovans, roſeoq; occurreret ore.

Viſents

Viſenti Idalium patri, & iuga grata tenenti.
Ergo ea cum primum puro ſe flumine lavit,
Et circumfuſis corpus demerſit in undis,
Utraq; Tyrrenis defixit lumina terris,
Et læta accipiens, medio de vertice Olympi
Voceſq; & plauſus, & feſtæ gaudia lucis;
Aligeros ad ſe cunctos accerſit Amores,
Atq; ait; O generoſa phalanx, cui lucidus æther
Ridet, & æterno labentia ſidera motu
Dulce canunt, choreaſq; una certo ordine ducunt,
Cui mare fluctivagum paret, cui Dædala tellus
Fundit oderatos nonnullo ſemine flores:
Si quando dulci mortalia pectora flamma,
Et cœco rigidas hauſiſtis vulnere mentes
Nunc certe, ô veſtræ dulciſſima pignora matris
Tempus adeſt, cum coniectis in corda ſagittis
Heroum læto quoſcunq; alit ubere tellus
Itala & excultis nutrit Germania campis
In cœlum laudeſq; meas, nomenq; feratis.
Tempus adeſt, vos ite leves, ego protenus hinc me
Abripiens epulis adero: menſiſq; paratis
Pocula Acidaliæ ponam ſpumantia ſucco.
Hæc Venus. & contra eſt placido ſic ore locutus
Filius invictum ſoli cui cura Tonantem
Urere, & in varias rerum convertere formas
Taurumq;, pluviumq; aurum, cycnumq; canorum.
O mater, totum impendi multo ante laborem
Hunc tibi, perpetuumq; decus laudemq; paravi
Egregiam, & magnum ventura in ſecula nomen
Dum iuvenem clara Tuſcorum ab origine Regum

Obſervans ſequor aßiduè, ſive ille pererrat
Auſoniæ regna alta ſuæ; ſive ille per undas
Æquoris evectus celeri rate fertur ad oras
Heſperias; lātis ubi ſeſe Hiſpania campis
Explicat; & centum præſtanti corpore Nymphas
Centum habet egregia natas à ſtirpe puellas,
Et forma, atq; animis ingentibus Heroinas
Divitiis omnes, omnes & ſanguine claras
Quarum in nulla animum (dictu mirabile) quivi
Flectere; nec duros longâ aſſuetudine ſenſus
Mollire, ac ſævam paulatim frangere mentem;
Et blandum iuveni tandem perfundere amorem.
Et fateor, mea magna parens, rediiſſe pudebat
In Tuſcos fruſtraq; meas conſumpſe ſagittas:
Nec iuviſſe acri quicquam, quod tincta veneno
Tela manu iacerem, flammisq; ardentibus aptas
Multarum ex oculis in corda rigentia tædas:
Quanquam illum innumeræ, quarũ celeberrima for-
Et genus illuſtre expeterent noctesq; dies q; (ma eſt
Certatim concorde tori ſibi fœdere iungi.
Ergo ubi conatus fruſtra cecidere, nec uſquam
Omnia tentanti mihi vis ita ceßit, ut illâ
Victor ego è pugna victricia ſigna referrem;
Confugi ignotas (quid enim ſupereſſet) ad artes
Inſolitosq; dolos, quæq; ipſa fatebere, mater,
Conſilia haud ſæpe eventus habuiſſe ſecundos.
Vrbs erat hibernis celebris ſtationibus inter
Oppida, iucundo Regum delecta receſſu,
Haud procul auratis populos ubi ditat arenis,
Et vitreas ſecum defert Tagus impiger undas,

Vix

Vix dum etiam rivis, & primis amnibus auctus.
Hic urbe in media conſurgit ad aſtra columnis
Innumeris ſuffulta domus, trabibusque ſuperbis
Tecta: & marmoreo conſiſtunt limine poſtes
Ærati, atq; Indis ſpectanda ſedilia baccis:
Et multo inprimis laquearia flava metallo,
Centum intus thalami, centumq; tapetibus aureis
Strata pavimenta, & gemmis diſtincta coruſcis,
Hinc illinc latè ſplendent, ceu lumina Solis
Aut Lunæ liquidus nullis cum nubibus aër
Denſatur, ſudumq; oculis patet undique cœlum.
Aſt ubi conſuerunt epulæ ſeu mane parari,
Tunc cum Sole novo terræ luſtrantur apertæ
Veſpere ſeu ſero cum iam vaga ſidera fulgent,
Et paſſim è cœlo denſæ incubuere tenebræ,
In quadrum ſpatioſa fluit ſublimior aula,
Quam circum Pario ducti de marmore vultus
Auſtriadum effigies vivas imitantia ſigna
Adſtant, & pueri ſimul, innuptæque puellæ
Quarum uni, quæ viſa mihi pulcherrima forma eſt
Bis ſeptem vix nata annos, occultus ocellos
Inſedi, laqueosq; illic, & vincla paravi,
Et Medicem ſimulacra animum per cuncta ferentem
Mirantem genus egregium, formasq; decoras,
Implicui magnoq; incluſi vulnere pectus.
Arſit amans nondum perſpectâ virgine, & una
Suſpirans dulcemq; trahens è corde querelam,
O felicem inquit iuvenem, cui nupta marito
Ipſa tui ſimilem certo poſt tempore prolem
Edideris, animi quæ iam virtute paternis

Certet avis, atavisq́; ſuis. nec plura locutus
Conticuit, totusq́; hæſit defixus in uno
Obtutu, dum ſe ipſe nequit explere tuendo.
Nam quid agat? neq; enim quicquam ſupereſſe videbat.
Expreſſa cupidos quam paſcere imagine ſenſus
Et ſpecie ignotæ ſeſe oblectare puellæ:
Tot montes, vallesq́; cavæ, tot flumina, tantum
Terrarumq́; marisq́; æquor, prohibebat amantem,
Quo minus & veras voces audiret, & idem
Redderet inq; ipſis ſua ſiſteret ipſa puellæ
Lumina luminibus, neq́; ab oribus ora moveret.
Ergo inſperata mentem iam ſaucius ictu
Ibat, & occulto conſumebatur ab igne:
Inq; dies magis atq́; magis grave vulnus alebat,
Dum facies ſimulata animo, dum nomina gentis,
Factaq́; & innumeri ſimul obverſantur honores
Virginis Auſtriacæ: cui nec domus ulla, nec ætas
Progenuit ſimilem virtute & corpore formam.
Quin etiam patrias illinc revocatus ad oras,
Non modò ſuſceptam nonunquam è pectore curam
Deponit: verum multò magis acribus usq;
Vrgetur ſtimulis, & corde incendia volvit,
Illa quidem clara iam ſe prodentia flammâ.
Namq́; ut forte ſuo narrat loca viſa parenti,
Oppidaq́; & gentes unà deſcribit Iberas,
Immenſas & opes, atq́; alta palatia regum,
Naturamq́; addit vivos è marmore vultus
Auſtriadum: & merito lætus percenſet honores
Conſtitit, ac vocem medio in ſermone repreſſit.

Ipſaq; purpureus ſparſit pudor ora, genasq;
Qualè rubet cœlum, cæcæ cum mane tenebræ
Diſceſſere omnes, nec dum tamen auricomus Sol
Flammiferum noſtro veniens iubar extulit orbi.
At pater indicia hæc, atq; argumenta ſecutus,
Flagrantem magno iuvenem perſenſit amore,
Lætaq; magnanimo concepit gaudia corde,
Adveniſſe diem, cuperet cum filius ultrò
Connubio & tæda ſeſe vincire iugali;
Poſt illa innumeris unde ipſe nepotibus auctus,
Imperiumq; domumq; omnem florere videret,
Ergo ait, ô generoſa mei mea dulcis imago
Ne dubita, nam vera loquor, confecimus ipſi
Ante tibi quæcunq; cupis: ſociamq; cubilis
Legimus, æternos tecum quæ tranſigat annos.
Hoc gemini, quorum fortis Germania, quorum
Auſonio, atq; audax obſervat Iberia nutus,
Annuerunt fratres; & certo pignore certas
Iunximus unanimes ipſi hæc in fœdera dextras,
Nunc autem te ſi quis amor, te ſi qua videndæ
Cura tuæ (namq; ipſa tua eſt pulcherrima virgo)
Coniugis impellit ſtimulis ardentibus actum
Germanorum oras, & Norica regna petendum eſt.
Vade age, care puer, teq; haud mora longa retardet
Quò minus alipedum curſu delatus equorum
Saxa ſuper, gelidasq; Alpes, & lata feraris
Flumina quò citius ſperatæ ad virginis ora
Pervenias, fratremq; adeas; qui maximus unus
Inter magnanimos nunc imperat Europæos.
Carpe viam: neq; tu lætus tua gaudia differ.

In longum. Solet eſſe levis labor omnis amanti.
Hæc ille. At iuvenis iam dudum accenſus amore,
Rumpendique moras, ſtudioq; impulſus eundi;
Quamprimum magni peragit præcepta parentis.
Atque unà ingenti procerum comitante caterva
Quos Tiberis, Latiumq; potens, quos Tuſcia, quosq;
Cœnomani, quos & Ligures, quos Gallia miſit,
Lætus abit, volucremq; fuga prævertitur auram:
Non illum glacialis hyems remoratur euntem,
Non imbres, denſæq; nives, non amnibus aucta
Flumina ab innumeris, Atheſisq;, Padusq; profundo
Vortice, non ripas Scythiæ qui diſſecat altas,
Oraq; diffuſus per ſeptem erumpit in æquor
Iſter & Euxino regnat vetus incola Ponto.
O quoties ſternacis equi per devia ſaxa,
Per iuga per clivos, per præcipites convalles
Terga fatigantem, & duris calcaribus armos
Frangentem hinc illinc, rumpentemq; ora lupatis
Viderunt Nymphæ, & felix iter ire precatæ
Arſerunt tenues flammâ rapiente medullas!
Nec prius inceptos potuit finire labores,
Coniugis ante ſuæ lætus quàm conſtitit ora.
Hic ego multiplices iuveni comes unus honores
Afflaram, inq; oculis arcumq;, ignemq; pararam
Vt, ſi qua ſineret ſeries ignota futuri
Armatam patriâ pectus virtute puellam
Inq; Deum cultu, atq; omni pietate potentem
Captarem, & cura torrentem ardente medullas.
Ergo illa, ut primum venientem adſpexit, ab imo
Suſpirans, avido tenuem bibit ore favillam,

Et tota in vivas abijt lætiſſima flammas.
Mox ubi convenere una, & data copia fandi eſt,
Sola illum alloquitur, ſoli iam pendet ab ore,
Iam ſe nulla poteſt oculis explere tuendo.
Aſt ego, namq; ambos pariter flagrare videbam
Alterum ab alterius perculſum pectus amore
Diſceſſi. ô mater properè, cœlumq; petivi.
Vt tibi, dum Medices patriis è finibus heros
Ioannam in Tuſcos felix expectat euntem,
Narrarem quantos terraq; mariq; labores
Pertulerim, quantumq; meis acceſſerit actis
Inde decus. cum quæ te laus, nomenq; ſequatur:
Nec non ut reliquos mecum longo agmine fratres
Elicerem, cunctiq; unà peteremus Hetruſcos,
Et tua permultis ornarem regna trophæis.
Hæc effatus amor finem dedit ore loquendi.
At pueri quorum denſum convenerat agmen
Iam dudum rapuere faces: rapuere ſagittas
Vinculaq;, & laqueos, ſolidoq; adamante catenas;
Atq; hinc, atq; illinc fratri agglomerantur ovantes:
Seq; ad Tyrrhenam cuncti demittere pergunt
Vrbem animis, opibusq; virûm, imperioq; potentem
Et divûm auſpicio & tædis regalibus auctam.
Effulſere ignes ſubitò & lux maior oborta eſt.
Purior & ſolito circum reſplenduit aër.
Namq; illa effuſâ compleruntq; omnia turbâ
Deſuper atq; avidas alta in præcordia vulgi
Lampadas & dulci iecerunt tincta liquore
Tela Citheriaco: mox & fragrantia latè
Lilia, Pæſtanis nuper ſelecta viretis,

Purpureasq́; roſas, immortalesq́; amaranthos,
Omnia quæ ſecum extulerant, gremiumq́; ſinusq́;.
Repleti in faciem labentis ab aëre nimbi
Sparſere, & gyros paſſim, cantusq́; dedêre.
Interea caſti genitrix pulcherrima Amoris
Surgit, & Aonios ſua ſub iuga cogit olores,
Et currum læta adſcendit; ſeq́; æthere ab alto
Demittens, Phœbo & Muſis loca ſacra petivit:
Acceſſu loca difficili munitaq́; circum
Rupibus & cunctis mortalibus invia, præter
Quas Citherea Venus, Muſæq́; & Phœbus amarunt;
Hic nemora in cœlum latè frondentia ſurgunt
Atq́; huc, atq́; illuc ramis ſpatiantur apertis;
Quæ cariem nunquam, numquam perpeſſa ſenectam,
Degunt perpetuos horis labentibus annos.
Hic fructus non ulla ſuos non arbor odoros
Parturit, æternos ſylvæ immortalis honores:
Quos neq́; flammatis torrens fervoribus æſtas
Nec gelidi Boreæ penetrabile frigus adurit.
Hic tepidas ſemper Zephyris afflantibus auras
Palladiæ numquam baccæ, nunquam aurea deſunt
Mala, nec effracto turgentia cortice poma
Punica; & apricis pendentes undiq́; vites
Arboribus; quarum partim maturuit uva
Tota coloratos oſtentans Sole racemos;
Partim autem vix dum naſcens deflornit & ſe
Abit pampineam frondoſæ matris in umbram;
Nec prodire palam teneras in luminis oras
Audet adhuc; aliis vivos fundentibus amnes
Implentur dulci ſpumantia labra liquore

Necta-

Nectare quo nullum gens interitura per ævum
Divorum ad menſas cœleſtia pocula miſcet.
Parte alia platanos inter, lauroſq; comantes
Lenè fluunt alti per prata virentia fontes:
Quos circum ſupraq; volant longo ordine cygni
Acripæ aſſuetæ volucres & fluminis alveo
Doctiloquum ſuavi modulantur gutture carmen.
Ergo è verticibus cœli delapſa ſereni
Seſe huc demiſit, currumq; invexit apertum,
Inceſſere unà ſecum riſuſq;, iociq;
Gaudiaq;, & dulces rixæ, & ſine fraude ſuſurri,
Et charitum chorus, & certa ſub lege lepores.
Tum verò latè nubes diſcedere & aër,
Ipſa ſuam quacumq; viam perrexerat altum
Sternere iter: ſpirare auræ, ac ponere venti.
Jamq; adeo ſedeſq; pias, & amœna vireta
Parnaſſi iuga ſumma biverticis antraq; cœtu
Nympharum, Satyrumq; choris celebrata tenebat.
Arriſere illi Sylvæq; undæq; perennes,
Inq; ſacros nemorum Nymphæ excepere receſſus.
Tum Venus, ò patris ætherei Jovis inclyta proles,
Et Divum decus, & cœli omnipotentis alumna,
Quæ quondam curaſq; graves, duroſq; labores
Lenire, & triſtes animos mulcere ſoletis;
Quæq; adeo laudes, præclaraq; facta canendo
Æternum grata memori committitis ævo:
Non (equidem reor) ad veſtras modo pervenit aures
Fama, ut magnanimos Medicum gens inter Hetruſcos
Nobilitate potens, opibuſq; inſignis avitis,
Junxerit invictos certo ſibi fœdere reges

Jam

Iam dudum & natos illorum à ſtirpe crearit;
Hoc Arar, audaces placido qui flumine Celtas
Diſſecat; hoc dura novit regnator Iberus
Cantabria, Latiúq; potens Tiberinus, & ipſe
Ticinus; qui perſpicua pulcherrimus unda
Labitur, & culti ripas diſterminat agri;
Inſubrumq; caput magnam circumfluit urbem:
Hoc etiam Eridanusq; rapax teſtatur, & ingens
Danubius qui nunc patriis demiſit ab oris
Egregiam Auſtriadas inter decus heroinas
Ioannam, auſpicio iungendam atq; omine dextrè
Regnanti in Tuſcis iuveni & pro patre tenenti
Imperiumq́, ſceptriq; ingens onus uſque levanti
Coniugium felix. placido cui Iupiter ore
Mecum unà innumeram ventura in ſecula prolem
Annuerit: cuius magnis virtutibus Arnus
Creſcet agens liquidas maiori flumine lymphas.
Ergo agite ô cœli Nymphæ decus, ite ſorores
Ite citæ, mecumq; viam contendite ad urbem
Tyrrhenam: neq; enim vobis locus eſſe ſolebat
Gratior & Phœbi gens obſervantior, & quæ.
Ipſa ego ſi rectè recolo iam lapſa retrorſum
Secula, tantundem veſtros ornarit alumnos.
Sic illa. Aonidum ſed enim pia turba ſororum
Sic contra eſt affata: Tuis Venus aurea iuſſis
Obſequimur cunctæq; tibi paremus eunti;
Ac tecum Hetruſcos, dulcemq; reviſimus Arnum
Carminibus celebrem noſtris, magnumq; fluentem,
Ac iam vix Tiberi, vix iam Permeſſides undis
Cedentem primas, ſeq; iis conferre parantem

Hæc

Hæc ubi dicta levem, rapuere per aera greſſum
Et menſes quas & niveis mantilibus omnes
Et dape conſtructas regaliter, undiq; magni
Cingebant pulchris flectentes ſedibus artus
Meroës lectæq; ex omnibus heroinæ,
Adſtiterunt lætæ, atq; inter ſe alterna canentes
Talia clariſona fuderunt carmina voce:
O decus ô columen, Tuſcæ ſpeſq; altera gentis
Franciſce, Auſtriaci cui nunc iunxere ſecundis
Auſpiciis gemini terrarum lumina reges
Terrarum reges gemini iunxere ſororem.
Salve ô magnanimi proles generoſa parentis,
Et tecum innumeros coniunx tua tranſigat annos:
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Tu quoque magnorum fortunatiſſima regum
Progenies; fratrumq; ſoror, quorum alter Iberis
Imperat atq; Italum certas moderatur habenas,
Ammericenq; domat toto procul orbe revulſam,
Ignotamq; diu mortalibus: Alter ad Arcton
Qua patet & latos profert Germania fines,
Sceptra gerit, populiſq; adſe dat iura vocatis,
Imperiumq; ingens omnis regit arbiter orbis,
Sis felix, coniunxq; tuus tibi deditus uni
Tecum unâ in longâ degens ætate ſeneſcat;
Volvite conſtantes vaga ſidera volvite curſus.
Illum olim placido proſpexit Iupiter ore
Naſcentem & Venus eſt riſu dignata ſereno:
Cui dulces thalamos iuveni deſponderit, & cui
Regalis Nymphæ mentem inflammarit amore.
Qualem adeo Nympham, quales modo nactus amores

Thyrrhenæ ô robur flos ô Franciſce iuventæ
Gratus amor Nymphæ, Divum gratiſsima cura es
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Illam olim gremio blandi excepere parentes;
Quam greſſu unanimi Charites comitantur euntem;
Qua cum ſe dulces confert Hymenæus ad ædes:
Cuius non lites thalamus, non iurgia lectus
Pertulit: at potius venientes maior in annos
Crevit amor thalami, crevit concordia lecti
Qualis habet nunc vos ambos bonus ardor amantes;
Volvite conſtantes vaga ſidera volvite curſus.
Felix ô tanto virgo coniuncta marito!
O felix tantæ iuvenis coniuncte puellæ!
Voſne Ducum & gnava mater Germania pubis
Voſne potens belli, pacisq; Hiſpania legit,
Queis tantum decoris, queis tantum afferret honoris?
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Vt iubar Oceani cum lætum ex æquore vultum
Suſtulit & toto radios diffudit olympo
Si ſeſe forte æthereus comes addidit ignis,
Æthereus Jovis ignis, & ore affulſit honeſto
Incedit rutilans, tenebrasq; & nubila vincit:
Sic iuvenis pulchræ medio cui flore iuventæ
It comes, & tæda virgo ſociata iugali eſt.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Ut cum diſcuſsis cœlo e fulgente tenebris,
Oſtentat croceos coniux Tithonia crines,
Et faciem claro ſpectandam in lumine præbet,
Optatamq; diu lucem mortalibus affert:
Sic virgo cum læta domum patriosq; penates

Linquit, & in cari thalamos ingreſſa mariti eſt,
Oſtentat decus ipſa ſuæ inviolabile formæ,
Et iucunda viri pertentant gaudia mentem,
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Quale ſuum gelidæ poſt triſtia tempora brumæ
Extulit os aucto iam dudum lumine Apollo,
Quale intempeſta Phœbe nitet aurea nocte,
Aut cum purpureum rediit ver; lilia circum
Alba caput molleſq́; roſas cui texere Nymphæ,
Et variis pergunt diſtinguere tempora ſertis:
Tale nitet iuvenis primæ poſt acta iuventæ
Tempora, poſt ſolas dulci ſine coniuge noctes.
Cum patrias cupidus primum deduxit ad ædes
Florentem forma, florentem ætate puellam.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
En tibi, quæ cœlo Nymphæ deducimus ortum
Parnaſſique una colimus iuga ſumma ſorores
Fœcundam, & nullo morituram tempore laurum
Ponimus irriguas Permeſſi ad fluminis undas;
Ut ripâ in mediâ, paſſim quâ læta vireſcunt
Arbuſta, & crebræ ſurgunt ad ſidera plantæ,
Ex ſeſe innumeros edat bene culta nepotes;
Et latè fundens ramos totum occupet amnem.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Salve igitur virgo Auſtriadum pulcherrima, ſalve
Grande tuis iuvenis Princeps decus addite Tuſcis
Vobis progeniem, veteri ceu ſanguine claram
Sic teſtem laudis, teſtem virtutis avitæ.
Det Deus optati quæ pignus amabile lecti
Creſcat, & amborum ſeræ poſt acta ſenectæ

Producat longæ felicia tempora vitæ,
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Ipſa etiam, ſtimulis quæ pectora verſat amantum,
Curarum expertes iubeat procedere noctes,
Mutuus extremos comitetur ut ardor in annos
Semper; & alterius magno flagret alter amore;
Idem animus ſit utriq; eadem ſit utriq; voluntas.
Nec veſtrum inter vos quid ſit diſcordia norit
Alteruter: ſed lite torus ſine ſentiat ambos
Degere perpetuam nota inter gaudia vitam,
Volvite conſtantes vaga ſidera volvite curſus.
Ipſe etiam Divum genitor, quas undiq; dites
In veſtros effudit avos, effuſior in vos
Pergat opes opibus largè cumulare vetuſtas;
Imperiumq; ingens, quod iam percellere nulla
Vis queat, immotum ventura in ſecula firmet:
Et prolem egregiam longum propaget in ævum.
Volvite conſtantes vaga ſidera, volvite curſus.
Hæc Muſæ. At varium cepit Venus aurea ceſtum,
Quo ſtabiles olim mentes devincit amantum.
Atq; illo iuvenemq; unà, claramq; puellam
Iunxit: & ex æquo teneras utriuſq; medullas
Accendens, blandos animis perfudit amores.

GABRIELIS ALTILII
EPITHALAMION
IN NUPTIAS
SFORTIÆ DUCIS
CUM
ISABELLA ARAGONIA &c.

P*Urpureos iam læta ſinus Thitonia coniux*
Extulerat, roſeoq́; diem patefacerat ortu
Cæruleum tremulo percurrens lumine pontum,
Qui cupido ſua vota viro deſponſaq́; dudum
Connubia, optatosq́; toros & gaudia ferret
Cum dulces patris amplexus, cum mœnia caræ
Parthenopes, notasq́; excedens linqueret arces
Sfortiadæ iuveni donanda Aragonia virgo.
Ipſe levi pater advolitans per cærula curru
Neptunus, latè undiſonum ſubſtraverat æquor
Inſidiq́; minas pelagi: nec gratior undis
Temperies, cœlóve quies demiſſæ ſereno

Adſuit, aut alias ſpirarunt lenius auræ.
Hic ſtudiis, varioq; adſenſu lecta iuventus
Fronde nova redimita comas, myrtoq; virenti
Dum fremet & validos certatim admixta lacertos
Remigio expediunt alacres tranſtrisq; locati,
Exultant, lætoq; ſonant cava littora plauſu;
Dum patrio flet nata ſinu; dum neptis avito
In gremio fratrumque piis complexibus hæret
Et longum inter ſe cara cervice morantur:
At gemitu ſimul urbs omnis ſimul ægra ſupremo
Digreſſu, deſiderio tabeſcit itura;
Littoreq; effuſi toto atq; è mœnibus altis
Proſpectant mixtæq; viris longo ordine matres,
Et lachrymis incedentem, votisq; ſequuntur,
Felicesq; vias abeunti, aurasq; precantur.
Parte alia quæ perſpicuo delabitur alveo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite leni
Prata ſecat, liquidisq; terit ſola roſcida lymphis.
Ter centum diverſa locis ſe turba ferebant
Virginei cœtus Nymphæ, Campana propinquis.
Quos tulit ora iugis, quas dulcibus educat antris
Centum Pauſilypi, centum de vertice Gauri
Et totidem calidis è littoribus Baiarum,
Quæque etiam Lyrim, lentiſciferiq; receſſus
Linterni, Bacchæa tenent quæ rura Veſevi,
Conveniunt: nec Vulturni, Sarnive puellæ
Non adſunt, non æquoreæ Neſidos alumnæ
Quas inter media magnâ cingente corona
Bis ſenæ ſuperant formâ præſtante ſorores
Aurea Sebethi ſoboles, quas cærula mater

Parthenope una ſciens Muſarum, & docta canendi
Parthenope primis teneras formavit ab annis
Imbuerat cantuq; novo numeriſq; modiſq;.
Pars vitta, pars cæruleis implexa hyacinthis
Illæ apio, hæ narciſſo, aliæ immortali amarantho
Perpetuos namq; hos ipſæ ſibi ludicra flores
Semper alunt, viridem ſemper de rore nitorem.
Ergo inter ſeſe manibus per mutua iunctis
Compoſitiſq; leves quatientes mo ibus artus
In numerum glomerantur: ibi variante reflexu
Nunc pedibus choreas, nũc carmine plaudere cantum,
Carmina quæ curvis in vallibus aſſultabant
Incœpere omnis Hymenæo ut ripa ſonaret.
Magnorum tædas ſuperum nocteſq; iugales,
Et cœli veneranda canunt connubia Muſæ:
Nos thalamos Iſabella tuos, tua gaudia, coniux
Sfordiade teneroſq; choris cantamus amores
Sanctaq; iura tori: Muſarum nec pudet illos
Nec te Naiadum virgo aut te carminis heros
Pœniteat noſtri, dilectæ fontibus & nos
Pegaſeis: præbet Sebethus pocula nobis,
Sebethus liquidos fontes, & mollia tempe
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Tuq; novos viſure faces, age lucifer almum
Pande iubar, roſeumq; oriens caput exere tandem
Expectate redi nec amantum vota moratus
Coge tuis agedum flammis concedere noctem
Actatum, tibi ſi cupidi ſua vota mariti
Concipiunt, tarduſq; redis ſi ſemper eiſdem:
Si tacita quem mente diu optavere puellæ,

Primaq; iucundæ voverunt tempora noctis
Exortum timide nutanti corde paveſcunt.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Fortunate gener! tibi lux, tibi pulcer Eous,
Deſerit Oceanum: tibi candidus explicat ignes,
Candidaq; ora refert: fauſto tibi ſidere portat
Coniugium dulceſq; toros, lætoſq; hymenæos.
Dexter enim è cœlo dexter Iovis adſtitit ales
Naſcenti, eripuitq; novum ter plauſibus omen
Advolitans, dextrumq; affulgens riſit Olympus.
Heſperia in magna multis è millibus uni
Virgineos iunctura ſinus. Aragonia virgo
Adveniat, ſocioſq; toros paret aurea coniux.
Dicite Hymen, Hymenæe hymen, ter dicite Nymphæ.
Fortunate gener, magnus tibi proſocer Atlas
Quodq; tibi à primâ percenſet origine Iberus,
Adveniant reges ſoceri diis æqua propago:
Hos tibi per titulos atq; hæc per nomina felix
Adveniet felix eadem ſub ſtragula coniux
Sidonio tecum excipiat quam lectus in oſtro,
Languidulos tenero ſociantem pectore ſomnos:
Maternum ſeri numerent genus unde nepotes
Seq; olim magnis iactent à regibus ortos.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Illa tibi amplexuſq; feret, noctemq; beatam,
Implebitq; tuos nivea cervice lacertos,
Qualem nulla tulit priſcis heroibus ætas,
Ipſa nec Eurotæ viderunt flumina Nympham,
Taygeti aut iuga virgineis luſtrata choreis,
Nec noſtri videre chori: quibus addita qualis

Aurora exoriens ſtellis nitet alma fugatis,
Purpureumve ſolet bruma cedente novum ver,
Candida ſe talem nobis Iſabella ferebat:
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Illam dia parens dum nixibus edit in auras
Ambroſio exceptam gremio Venus aurea fovit,
Et formam, formæq́; decus, decori addit honorem:
Ac primas tibi virgo aliis cedentibus inquit
Prima feres veneri tantum collata ſecundas:
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Admovit quoq; blanda manus Saturnia Iuno
Permulcenſq́; artus ſceptris, haud inquit avitis
Sceptra minora geres; Latias regina per urbes
Incedes, populisq́; potens & divite regno.
Magna Iovis coniux magni tibi coniugis omen
Præcinit hæcq́; ſuis oppignorat oſcula dictis:
Oſculaq́; in teneris ſonuerunt preſſa labellis.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Nec Pallas non læta ſuos impertit honores,
Naſcenti: primos eadem ad cunabula cantus
Concinnit, ſuaſitq́; leves tibi carmine ſomnos:
Atq; animum tibi virgo inquit, moresq́; verendos
Trado diva, mares ſenſus & vincere ſexum,
Pallas: acum doctasq́; manus tibi cedet Arachne
Cedam victa libens, dea dixit, ibi aurea rotis
Fluxerunt cunis flavæ inſtrumenta Minervæ,
Et radius pectenq́;, & inaurati calathiſci:
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Se Iunone Samos, iactant ſe Pallade Athenæ,
Et Cyprus Cytherea, colunt iuga Cynthia Phœben:

At virgo non una tuo de nomine tellus
Clareſcit, ſe noſtra tuis natalibus ornat.
Parthenope propriamq́ue vocat Sebethos alumnam
Claraq́ue mox ipſis Inſubris terra feretur
Connubiis flavusq́ue comas Ticinus & ingens
Eridanus pronoq́ue ruens celer Abdua curſu
Attollent caput & tanto ſe nomine cœlo
Æquantes, celſis elati cornibus ibunt.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Maternam inviſens Delon Latonia virgo
Lætatur dulciq́ue ſolo & natalibus arvis
Lætatur ſuperas repetens Proſerpina ſedes
Myſtica materna cum ſacra reviſit Eleuſis.
Tu quoq́ue Sfortiacos virgo acceſſura penates,
Cognatas i læta domos genus inclyta mater
Unde ferens, tanto talem te diva parenti
Progenuit: quod deinde tuis felicibus auctum
Connubiis duplici confirmes addita vinclo
Ipſa viri fratrisq́ue tui, coniuxq́ue ſororq́ue.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Tales rite toros, talesq́ue iniere Hymenæos
Saturno quos Rhea potens enixa marito
Cum primos illi thalamos Thaumantias Iris,
Inſtrueret variis ſpectanda coloribus Iris,
Ambroſiæq́ue manus ſucco perfuſa nitentes
Adſtarentq́ue ſuis incinctæ veſtibus Horæ.
Cum paſſim cœli per lumina læta frequentes
Cælicolæ obſtreperent, ac toto reddita Olympo
Frater io, coniux & io, vox una ſonaret.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.

O Pa-

O Patria, ô ſecli decus Heroina; iugales
Jam te ſub leges vocat, & ſua iura maritus.
At nos æquales, quibus idem ad flumina curſus
Et certamen idem florum, ſtudiumq́; decentes
Inſtaurare choros. noſtri iam ad munera luci
Mane revertemur; iam te ſine munera nobis
Illa quidem placitura minus, namq́; alta relicta
Per nemora, aut querulis vitulæ mugitibus inſtant,
Et gemitu matrem implorant quæ montibus altis
Erravit, viridi convalle oblita reſedit
Mollia prata ſecuta, novos aut forte hymenæos:
Cara tui ſic nos memores abitura relinquis,
Æternum, dulciſq́; animis hærebis imago,
Te noſtri recinent luſus, te noſtra ſonabunt
Carmina, te thiaſi, prima tibi munera noſtra
Pendebunt ſuave halantes de more corollæ
Prima tibi unguenta, & patrios fundemus odores
Umbroſam ſub loton: opaco vertice lotos
Sebethi patris ad ripas ſpectanda virebit.
Quodq́; oculo properante aliquis properante carina
Præteriens legat, hoc ſignabit littera carmen,
Grandior inciſum teneris quod præferat arbos
Corticibus: Cole me, Iſabella ego regia Lotos,
Hæc ita nos: at tu Divis egreſſa ſecundis,
Ibis in amplexus cari exoptata mariti,
Qui robuſta tuo circundet brachia collo,
Virgineaq́; ſinum Zona mox ſolvere pergat,
Fœcundam exercens optata prole iuventam:
Inde tuos mox iam matri miſſura nepotes,
In greminum formoſa decor queis matris ab ore

Miſceat ora, maremq; ferant à patre vigorem:
Dicite Hymen Hymenaee Hymen, ter dicite Nymphæ.
Sed te iam placitis ſpirantes flatibus auræ,
Pacatumq; vocat nautis properantibus æquor;
Increpat & ſumma rector de puppe morantem.
Ingredere optataſq; vias pede ſuſcipe læto:
Oſcula Germanumq; pios age, deſere fletus,
Te quoq; lachrymulas virgo iam mittere tempus,
Abſtergent tibi ſingultus mox gaudia tantos,
Gaudia quæ lacrymis aliter teſtere profuſis:
Dicite Hymen Hymenaee Hymen, ter dicite Nymphæ.
Iam dextro claſſem tetigit pede, iam procul alta
Conſpicitur virgo in puppi, lætiq; receptâ
Clamorem tollunt nautæ, iam vincula ſolvunt
Iam pontem, funemq; legunt, cavaq; æra coruſco
Igne tonant, crebriſq; laceſſunt ictibus auras,
Ac validis diſploſa ſonoribus aëra complent,
Egreſſæ bona ſigna rati & ſolventibus omen.
Talis ad Æmonium frænato piſce maritum
Vecta Thetis, levis aut ſedit cum Cypria concha:
Dicite Hymen Hymenaee Hymen, ter dicite Nymphæ.
Provehitur ſed iam pelago ratis, actaq; remis
Littora deſeruit: dubios iam lintea viſus
Paulatim, flenteſq; oculos ſublata relinquunt,
Nos quoq; vox, nos ipſa animi mens deſerit omnis,
Infractiq; labant gelido ſub pectore ſenſus.
Quod ſupereſt votis te virgo, & mente ſequemur:
Ergo ſeu patrio digreſſam littore curvo,
Excipiet Caieta ſinu, ſeu te Anxuris arces,
Circeoſq; lacus iuxta, & Tiberina legentem

Oſtia,

Oſtia, nec fidum nautis mare remige dextro
Flectentem facili adnitens tranſmiſerit aura
Puppis, & Herculeos inviſeret hoſpita portus.
Sive Argoa tuis ſpumeſcant æquora remis
Qua patet effoſſis fœcundior Ilva metallis,
Et vaſtos pelagi in fluctus Populonia mater
Proſpectat, ſummoq; attollitur ardua ſaxo:
Seu tua Neleæ remorentur lintea Piſæ,
Rorantesq; imo tollens de gurgite vultus
Labentem niveæ præter vada cærula Lunæ.
Adſpiciat procul, & Nymphis ſtipatus adoret
Macra ſuis adſtans ripis, pater ad ſua tandem
Littora delatam regnis Ligur ora maritis
Accipiat, prima & puppim veneretur herilem:
Dum ſacros Ericis portus, totosq; receſſus
Ipſa ſuis montem excipiens Venus alma lacertis
Invehat, optatisq; adſignet deniq; terris:
Nereides tibi, Nereides Tyrrhena propago
Numina, Neſæe, Melitæaq;, Cymodoceq;
Glauceq;, Spioq; Janiraq; pulchraq; Doto
Amphinomeq; Opisq;, Pheruſaq; Dexameneq;
Atq; Halye, atq; Thoe, & flavo crine Amathuſa,
Maternumq; Thetis nunc primum oblita dolorem,
Adſiſtant, ſternantq; viam, & comitentur euntem,
Certatimq; tuæ præludat turba carinæ.
Jam votis nos te virgo, iam mente ſequemur.
Mox ubi iam pelagi tantum, & permenſa viarum,
Contigeris cupidas dilecti coniugis ulnas,
Grataq; ſollicitos tandem nox iunget amantes
Æternas vobis Cypris dea, Cypris amores

Concordesq́; animos, & mutua vincula nectat:
Vincula quæ ſeræ maneant ad fata ſenectæ.
Fœcundet Latona torum, Latona perenni
Prole domum, Latona genus per ſacla propaget.
Juppiter ingentes det opes, det Juppiter annos
Regnaq́; fortunamq́; domus ſine fine manentem.
Dicite Hymen, iterate Hymen Hymenææ puellæ:
Dulcis Hymen Hymenææ Hymen, ades ô Hymenæe.

IN NVPTIAS

GVILIELMI

ET

ANNÆ MONTISFERRATI PRINCIPVM

EPITHALAMION

PAVLI CERRATI ALBENSIS.

Æthereo cum forte Deûm ſpectaret Olympo
Rector, & æterno luſtraret lumine terras,
Flexit ad humentem torrenti flumine ripam
Sidereos oculos, qua fervidus evomit undas
Eridanus, nimbisq; fremens ſpumantibus urbem
Evaſiam oppugnat, fundataq; mœnia latis
Nunc ſpatiis, quondam tenui ſulcata colono.
Hic curſu puerum adſpexit, qui læta volucri
Cornipedis medio quatiebat gramina campo
Inſiſtens dorſo, atq; equitem verſare ſub armis
Gaudebat, ſaltuq; ferox agitare per auras.
Tum ridens ſator omnipotens agnovit avito
Nomine ſurgentem & patriæ virtutis alumnum,
Diisq; ait; hunc tandem divi ſpectabitis inter
Aſtra Deûm; ſed fata prius volvenda per annos,
Queis reget imperio populos, latèq; vagantem

Hoſtem

Hoſtem aget, & placida componet regna quiete;
Verum ego progeniem antiquam, ſobolemq; Deorum
Haud patiar fatis volvi mortalibus uſquam,
Seculaq; accipient magnos ventura nepotes,
Sic noſtro ſedet hic animo ſententia: tanti
Hic puer eſt nobis, quanti ſpectator habetur
Alcides quantiq; decus mihi, Numina, veſtrum.
Hæc ubi Mercurium vultu mandat a ſereno
Ferre iubet; verbisq; Deum compellat amicis
Vade, age, & invictum Regem, cui Gallia ſervit
Armipotens & pingue ſolum, ac cerealia rura
Inſubrum & quantum Latii tenet Appulus audax
Et Calaber, quautumq; colit Mavortia tellus
Parthenopes, Ligurumq; premunt freta cærula montes,
Liber adi, & noſtros niſi curet temnere iuſſus;
Dic Nympham ut properans de tot modò gentibus unam
Eligat atq; meo Guilielmo ſervet amantem,
Diis ſimilem iungatq; thoros animoſq; volentes.
Hæc ſumma eſt, iam tu pronis illabere terris.
Hinc Martem Phœbumq; vocat, pulcherrima cœlo
Numina, & ardentes placido ſic inſtruit ore:
Cernitis an mecum, quam forti pectore ſurgat
Spes Italûm atq; animo ingenti Paleologa proles
Virtutemq; puer quantum prætendat avitam?
Ite ergo, atq; Ducem dignum Jove reddite, & arcus
Inſtrue Gnoſiacos, pharetramq; armare ſagittis,
Teq; recurvantem miretur brachia, longo
Phœbe ſinu, telamq; volans ſuper æthera Princeps.
Hunc quoq; non pigeat Citharam, plectrumq; canorum
Auſpice te iunxiſſe modis, & carmina docto

Pelidæ

Pelidæ in morem cantu reſonare per antra.
Hic tibi maior honos: namq; hoc armenta per agros
Paſtor ad Amphriſum coges, neq; tibia rauco
Phryx commota ſono tecum certare parabit.
Graio regna duci, natum qui miſit in oras
Heſperias bello inſignem rebusq; ſecundis.
Imperium poſtquam geminis Balearibus auxit
Filius, hunc ſequitur, pietas cui plurima cordi
Et Divum cultus aderant, araq; calentes,
Diis Superis, gratusq; Iovi Theodorus, & aſtris.
At non patre minor ſolio conſedit eburno
Natus, & æquato moderamine ſæcula rexit.
Quatuor hic divos genuit (ſic dicere parcas
Audivere DEI) quos primum luce ſub ipsâ
Emicuiſſe ferunt, quarum qui maximus ævo,
Sceptra prius tenuit, quo non formoſior alter
Eloquiove prior, nec erat præſtantior armis.
Sed fratrem omnigenas ſpoliis laudata trophæa
Victorem rapuiſſe fremunt ex hoſte coronas.
Atq; ita ſumme virûm reſonas Guilelme per ora,
Tu belli fulmen, tu Marte potentior ipſo,
Fortior Alcide, ac numeroſi militis inſtar.
Verum Divorum genitorem haud gloria ſervat
Necquicquam, quem ſumma manent præconia laudũ;
Qui Mahumetanas ferro vaſtare cohortes
Auſus. & Hungaricos acie defendere campos;
Et cui Divarum pulcherima contigit uni
Coniunx. quam cœlo demiſſam Juppiter alto,
Huic locat æternis vinclis, ac fœdere iungit.
Semine ſic poſtquam Mariam compleverat heros

Fœcundo ad decimum iam luna peregerat orbem,
Editus in lucem puer eſt Iove pignus amico
Cui riſere poli, cui ſidera læta dederunt
Omnia naſcenti, populis quem imponere regem
Fata volunt aliis, atq; hinc inſtare futuram
Progeniem æternam, fama quæ compleat orbem.
Sic nutus ceſſere Deûm, ſic Iuppiter ipſe
Imperat: & ne caſſa ferant ludibria venti
Et Divum maneant ſceptris promiſſa futuris.
Tu Nympham haud ſegnis de tot modò gentibus unam
Elige Diis ſimilem, & puero cui lætior ætas
Iam venit & calidus fervet ſub pectore ſanguis,
Connubio iungas, gratosq; haurire calores
Adſueſcant, placidum nomenq; ſubire parentum.
Sic fatus, trepidos nebulâ circundatus atrâ,
Deſerit & volucri fertur ſuper æthera Cauro.
Ipſe autem rector verſans ſub pectore iuſſus
Talibus alloquitur proceres: mandata Tonantis
Vertere quæ nunquam fas eſt, aut ſpreta manere
Audiſtis quibus haud equidem parêre negamus:
Sed tentanda prius Divorum oracula, tantis
Quam paſcant thalamis, quã fata ad regna capeſcant
Servate ergò animis, atq; hæc mea pendite dicta.
Sola meis virgo regnis enata moratur,
Noſtrorum ſoboles regum, quam nomine paſſim
Illuſtres Annam celebri dixere parentes:
Cura Deis, niſi me fallat mens præſcia rerum,
Hanc Druidæ, & vates patrio vetuere marito
Nubere, & indigenas prohibent ſociare hymenæos;
Externumq; parant generum; qui laudibus aſtra

Occu-

Occupet æternis, & facta æquabit Olympo.
Quare ego iuſſa putem (ſi Diis aut vatibus uſquam
Ulla fides ſupereſt) monitis connubia Divûm
Adfore, quæ paribus devinctos ignibus urant.
At tu Sarmaticos paulum, Gradive furores,
Barbaricum Getam, Rhodopæaq; marmora linquas
In puero ac tantum curas mens anxia volvat,
Ille ut militiam iam te perferre magiſtro
Diſcat, & armatos contundere viribus hoſtes,
Seu paret ire pedes thorace indutus aheno,
Fraxineaq; trabe inſignis, ſeu bella ciere
Thermodoontæa medio iuvet agmine peltâ,
Seu galeâ ingenti tectus, flammasq; vomente:
Pectoraq; ærato fulgens munimine, & armos
Et crura auratis ocreis animoſus anhelo
Inſultabit equo, vertetq; in tela frementem
Quadrupedem, ac ſævo confundet Marte phalanges.
Interea Maiâ genitus, talaribus Euros
Verberat, & proprius iam tecta Pariſia cernit
Palladiamq; urbem, ac ferro genus acre virorum
Obſeſſasq; vias, operoſasq; dona Minervæ;
Et molem ingentem, & rorantia flumina muros.
Hic regem aggreditur, ſummis de rebus agentem;
Arce ſacra proceres inter ſanctumq; Senatum
Sic orante Deo, tenuere ſilentia cuncti;
O cui Divorum terris æquata poteſtas
Ab Iove, perpetuo qui nutu ſydera torquet,
Ab Iove ego mandata fero tibi iuſſus eodem:
Italiam variis, Gallorum maxime ductor,
Diſtinxit natura locis, multaq; per oras

Separat, haud temnenda viris cultuq; locorum.
Occupat hic regio partem, quam nubifer ambit,
Axe ſub occiduo circum Appenninus ad Auſtrum.
Tyrrheni aſſurgunt fluctus, ſcopuliq; ſonantes,
Hinc vicina Padus fluctu terit arva profundo.
Hinc proavis atavisq; potens, modo parvulus arces,
Ac populos teneris princeps moderatur in annis.
Quod ſi tu ſeriem maiorum audire ſuorum
Forte paras, genus antiquum mirabere longo
Ordine, divinam rector mirabere gentem.
Saxona progenies primum ſceptra aurea terris
Rexit in Auſoniis, Ligurumq; Aleramus habenas;
Corpora natorum cui fudit Alaſia ſeptem,
Germanas inter quondam pulcherrima divas:
Et ſobole, ac numero, & genitore inſignis Othone,
Filius hinc primum, quem partu mater in auras
Ediderat, patrios tenuit Gulielmus honores.
Vnica ſubſequitur proles; quam nata Philippo
Rege Pyrenæo magna ad connubia vexit.
Martius inde ſenex regno ſucceſſit avito,
Iulia quem thalamo magni Germana Quirini:
Principis accepit, tædisq; iugalibus ultro
Virtutem hinc patriam referente, ac nomina gentes
Regnantem novere Ducem, qui Ægyptia ferro
Caſtra terens, pavidam vidit dare terga Canopum.
At puer aurato cingens diademate frontem,
Sacra Palæſtini ſuſcepit pondera regni.
Et ſceptro maiore decus ſuperavit avorum,
Quem vobis ſi dura nimis non fata tuliſſent
Tam ſubito, Imperium magnum tenuiſſet & orbem.

Poſt

Poſt etiam patruus ſceptris regalibus urbes
Rexerat Æmonias; ſubiit gente inde nepotum
Egregium, ac finem maribus fortuna locavit;
Andronico donec ceſſerunt debita Fatis.
Et mora nec tantis referat diſpendia tædis
Centum oratores fines mittantur in almos
Heliadum, & rapido cycneos agmine campos
Qui Superûm iuſſu Latio cum Principe firment
Coniugium & ſtabili concludant pectora vinclo.
Aſſenſere omnes, lateq; per atria voces
Ingeminant, latiſq; ſonant clamoribus auræ
Fœliceſq; rogant tædas, Superoſq; faventes.
Poſtquam cœlicolum cupidas impleverat aures
Fama volans, terris celebranda Thalaſſia Gallis;
Deſeruere ſuas cœleſtia numina ſedes
Iuno Mycenæam, Samiamq; reliquerat arcem,
Pallas Cecropies cœtus, Venus alma Cithera
Atq; Paphon. fœcunda Ceres iuga celſa Peloti,
Idæum nemus, & Xanthum turrita Cybelles,
Iris curva polum, Delon Latona vagantem,
Virgineoſq; adiere thoros Divamq; ſalutant.
Haud aliter quam cum diverſa in parte volantes,
Candentes cycni ſenſere ad flumen olorem
Æthera mulcentem, numeris cognata frequentant
Pectora & Aonio cantu gratantur amico.
Hinc quoq; legati ſuperatis Alpibus ibant,
Lecta cohors ſpatioſa via iam plana tenentes,
Iamq; Padum ingentem longè mirantur, & arva
Oenotria, & late Gulielmia mœnia cernunt.
Ante urbem Princeps & Mavors arduus haſtis

Bella cient, inſtantq́; adverſo pectore utrinq;
Terrificosq́; agitant ictus, & corpora denſo
Verbere concutiunt, & durâ cuſpide torquent.
Obſtupuere viri, Gallumq́; impleverat agmen
Murmur, & egregios artus, animumq́; ferocem
In iuvene extollunt, & vires Martis alumnas,
Fœlicemq́; vocant ſi quam dignabitur unquam
Excepiſſe thoro, ac ceſtu ſolviſſe puellam.
Jamq́; propinquantes heros agnovit amicas
Adventare acies, infectaq́; prælia linquit,
Occurritq́; viris, ſociosq́; in tecta recepit,
Scitaturq; viæ cauſas. Illi ordine pandunt
Quid veniant, ac iuſſa ferunt curasq́; deorum.
Et genus ac formam & mores, ac virginis annos,
Nominaq́; expediunt. Tum non ſecus ignibus Ætnã
Sulphureæ verſant animæ, quam pectora divi
Idaliæ exurunt audita virgine flammæ.
Ardet amans, placidosq́; thoros paciſcitur ultrò,
Ex pacta auratis celebrant ſponſalia tectis:
Legatos onerat donis, opibusq́; ſuperbos
Dimittit, nunc plura monens, nunc munera donans
Quæ ſponſæ referant, haud vanum pignus amorum.
Primus amor roſeæ retulit connubia matri,
Prima Venus roſeæ retulit connubia Divæ,
Et geminos properans componere Cypris amantes
Junxit aves curru; veloxq́; per aera fertur
Donec Liliacum regem ſic orſa petivit.
Quid Jovis imperium tardas, & fata moraris
Optime Rex? Superum ſi te reverentia tangit
Tolle moras, nec tum præſentia gaudia differ;

Atq;

Atq; virum nuptæ, & nuptam iam redde marito.
Et teneros iuvenum non aſpernare calores.
Promiſſumq́; genus terris ſobolemq; futuram.
Haud equidem hoc galeas tempus criſtasq; comantes
Poſcit. & horrentes falſa ſub imagine pugnas.
Et Marti Phœboq́; poteſt ſatis eſſe Latinum
Inſtituiſſe ducem, ac puerum triviſſe ſub armis.
Reſpice quin etiam Germano ſanguine Nympham,
Cui mandata Deo pepigêre cubilia dudum
Miſſi oratores, Italumq́; dedere iugalem
Progeniem cœli: nec tu fruſtrare morantes
Amplius ipſe Deas, quæ ſummo ex æthere regnis
Advenere tuis, atq; intra limina ſiſtunt
Virginis optantes iam pridem viſere pompas
Nuptiacas, facibusq; polo ſplendeſcere noctem
Cum gremium virgo maternum linquet amica
Rapta manu, & cupido tandem dabit oſcula ſponſo.
Ergo tolle moras, Paphiam neq; ſperne monentem
Atq; virum nuptæ & nuptam iam redde marito.
Dixerat: & tenues iterum ſublata per auras.
Liquit Aphrodiſium Regem, comitesq́; reviſit.
Tum Divæ monitis, Hymenæos ipſe paratu
Regifico ſtruit, & luxu feſta aurea ſummo
Læta fremunt, cunctiq́; Deos in vota iugales
Ore vocant, fauſto precibusq́; rogata laceſſunt
Numina, & invitant magna ad ſolennia Divos.
Nec mora, progreditur Laribus nova nupta ſecundo
Alite, ut exoriens radianti Cynthia vultu
Æmula faterni currus, noctemq́; per errans
Fulgor habet faciem, protrudunt vertice crines.

Aurati, ſtipantq́; humeros, & eburnea colla
Virgineam Phryxæa tegunt queq; vellera pectus,
Gemmatoq́; trahunt palla veſtigia limbo,
Hinc atq; hinc avidæ comites glomerantur, & albis
Evectantur equis, quos magna Britannia miſit,
Et dominam certo gradientes ordine cingunt;
Nereides veluti fama eſt ſociare parentem
Dorida, cum repetit viſu pulcherrima lætos.
Coniugis amplexus, delata per æquora, pando
Tergore Delphinum liquidumq́; Palæmona findit,
Et Peluſiacam ſi quando exquirit Oſyrim,
Iſida ſiſtratæ comitantur forte catervæ.
Nec non ſe ſocium Princeps Guilielmus agebat,
Et ſua virgineo puſcebat lumina vultu,
Optato aſſiſtens lateri; ceu pulcher Adonis
Formoſam Venerem, Latonigenamq́; Dianam;
Qualis ubi Orion venantem ſæva ferarum
Per luſtra ac ſylvas greſſu comitatus amico.
Hinc ſeſe pariter comites, Rex Celticus atq;
Purpurea fulgens ſacrum caput undiq; mitra,
Carolus, atq́; ſequens fraterna Georgius arma,
Orbis amor, ſummumq́; decus, cui plurima circum
Tempora proſerpit laurus, nodatq́; capillos;
Gallorumq́; duces primi genus atq; Latinium
Egregium addiderant læto clamore ſequentes.
Permixtiq́; aderant Chiron, fidibusq́; canoris
Amphion, vatesq́; movens Rhodopeius antra
Tartarea, & docto modulantur carmina plectro,
Ac ſponſo ſponſæq́; canunt proludia laudum
Haud vanum decus amborum ſuper aſtra ferentes.

Talia

Talia cernentes bifidâ Parnaſſide ſylva
Aonides poſuere moras, altisq; frequentes
Decurrere iugis, cœloq; feruntur aperto,
Atque adeunt nuptam, ac dextram tetigere puellæ.
Inde viæ comites cecinerunt carmine Muſæ
Talia vaticino, quarum prior aurea cœpit
Calliope, ac ſolvit Phœbeos pectine nervos,
Oraq; ſic movit reſonantia voce canora:
Quos Pater omnipotens iunxit, quos numina ſervant,
Haud miſeros hominum caſus ſentire decorum eſt,
At decet ambroſia perfuſos inter amicos
Stare Deos, magnasq; poli regnare per arces:
Vos Pater omnipotens iunxit, vos numina ſervant.
O ſponſi, neq; vos funeſtis caſibus actos
Fata trahent, vobisq; tori ſuper aſtra dabuntur.
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.
Excipit hinc placidas Clio ſic orſa Camœnas:
Herculis ut quondam Junonigenæq; maritos
Cœlicolæ thalamos & ſacra iugalia magni
Æacidæ, ac Thetidis celebrarunt auſpice Phœbo;
Sic veſtra æterno celebrant connubia plauſu
Cœleſtes, ac digna canunt ſponſalia cœlo
Et ſuperum menſis, quas nunc quoq; Lemnius ardet,
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.
Nec tu Melpomenen ſævos poſuiſſe cothurnos
Mira putes, fratrumq; audacia bella tacentem,
Atq; novercales iras Regumq; furores.
Nam mihi ſunt læto memoranda cubilia cantu
Æolidisq; toros, myrraq; avertere peſtem
Nunc opus ac triſtes infauſto lumine tædas.

Ite alacres ſponſi fœlices ite per ævum.
Tu quoq; ſponſales mecum mea tibia luſus
Incipe, & Euterpen memora ſub rupe canentem
Pegaſea, & grato pacantem murmure ſylvas,
Huc rapido veniſſe gradu, quo buxus ad aures
Dona ferat Paphiæ, & geminorum carmen amantum,
Quale ego Theſpiadas memini ceciniſſe ſorores.
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.
Cynthius Iliacos citharœdo pollice muros
Struxit & Alcathoo vocalia mœnia regi,
Et Methymneus fidibus vada cærula flexit
Aſt ego Terpſichore cythara neq; ducere muros
Nec Protei pecus ad noſtras accurrere Muſas
Opto, ſed en vobis numeros plectrumque dicamus
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.
Si mea non fallunt noſtras oracula mentes
Atque Erato non vana ſonet, iam maximus orbis
Excipiet veſtros nunquam defeſſus honores
Veſtraq; ad extremas adſurget fama columnas
Ac Indum, & rigido glacialem frigore pontum
Et Meroen, vobisq; adoleſcent marmore templa,
Ite alacres ſponſi fœlices ite per ævum.
Hinc canit Vranie, cœli doctiſſima virgo:
Fœlices animæ iuvenum, quibus arduus æther,
Aſtraq; divinos terris peperere triumphos,
Cum fulſere Iovis læti naſcentibus ignes,
Saturnusq; minas poſuereq; munera Mavors,
Et Sol ac Venus, & pulchro Cyllenius aſtro,
Cynthiaq; amborum thalamos finxere ſub ortus,
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.

Sic

Sic quoq; facundos dedit ore Polymnia voces;
Mæonides nunquam, citharæ neq; Pythius author
Hauſiſſent totas quamvis Phorcinidos undas,
Caſtalias laurus totidemq; per aura moverent,
Mœnio æquarent Hymenæon carmine veſtrum,
Qualescunque tamen vobis per ſecula laudes
Ipſa feram, Muſæ iuga dum Cyrrhæa tenebunt,
Ite alacres ſponſi, fœlices ite per ævum.
Grandia Corycides cecinerunt, parva Thaliam
Ac iucunda decent luſusq; ſalesq;, iociq;.
Vos ergo æternos cupidis iungatis amores
Pectoribus, veſtrasq; legat Cithera medullas.
Atq; ita longævos connubia veſtra per annos
Pax ferat, atq; Deos vobis ſperate faventes.
Ite alacres ſponſi fœlices ite per ævum.
At pater omnipotens canis in nubibus almam
Temperiem induxit, calidiq; ardentia Cancri
Sidera dimovit cœlo, Nemeumq; Leonem.
Iuſsit & auratos per Libram ducere currus
Omnivagum Solem, Superosq; videre Booten,
Et medias Hydræ partes, mediamq; coronam.
At tellus (ſummo cui ſurgunt vertice ſylvæ,
Auribus exiliunt labentia flumina ſacris,
Exundant gremino fontes, curvantur & antra,
Ac dextram, lævamq; premunt & pectora montes
Oppidaq;, & multo lacerantur vomere membra)
Poſtquam ſenſit humum triſtemq; Acheronta moveri,
Admirans, (neq; enim luctantes carcere motus
Præſtabant venti) trepidum caput egit in auras.
Aſpexitq; choros lætum Pæana canentes

Digitized by Google

Quadrupedante feros & agentes verbere campum.
Riſit, ut agnovit vani figmenta timoris,
Atq; ait auxilio tantos ſequar ipſa paratus,
Et placido accipiam venientes tramite divos.
Finierat, curruq; volans ſuper aera ſecundo
Frugiferas ſparſit divino nectare terras;
Ac ſubito iuſſi panduntur in æthere flores,
Et variis paſſim ſtravere coloribus agros,
Lilia, Coriciumq; crocum, cum bacchare odoro
Fundit & auratis tellus per ſaxa corymbis
Chryſocomen, Peſtiq; roſas, ſeroq; comantem
Narciſcum ac violos, & olentem ſemper Anethum,
Oebaliumq; decus, ſurgit cum ſmilace & irim
Nyctilopamq; ferunt, & Amomum rura Sabæum,
Atq; thymum, vultuq; vireſcunt prata decoro.
Maturæ veniunt ſegetes, & inhorruit agris
Spicea vis, lateq; iterum coquit annus ariſtas.
Poma ſuis ramis, dependent vitibus uvæ,
Glandiferæq; vomunt ſtillantia balſama quercus,
Saccharaq;, & myrrhæ ſuccos, & thuris odores,
Hyblæosq; favos, ſalices & Hymettea mella
Sudant, & tenero frondeſcit vimine coſtum,
Et piper, & nigro terebinthus cortice ſurgens,
Et nardus populisq; ferens ſua nomina lothos.
Et pala atq; hebenum, & calamus, quasq; India plan-
Quas ditesq; colunt Arabes, & Perſica Tylos (tas
Creſcere odoranti vulgò mirabere trunco
Bacchus & ingentem Rhodanum, Ligerimq; ſonantem
Atq; Ararim & volucrem Dubim, nitidumq; Sequanam

Garumnamq́; citum Leneo munere complet,
Vina fluunt, nuper quæ tantum flumina norant
Æquoreas undas, humorem littora ſpectant
Nuper Aminæum labentem gurgite pleno,
Naiades hæc primum quo tantum enare ſolebant
Marmora Cemmenus. Sigiusq́; è vertice ſolvunt
Nimboſo & denſis accinctæ nubibus Alpes
Præcipitantq́; nives humeris, atque aſpera ſaxa
Et placidi fiunt viridanti gramine colles.
Occurrunt Divis ſylveſtria numina Fauni,
Et gemino inſignes cornu Satyrique fugaces,
Centaurique leves, & amor Silenus Iacchi
Mænalio inſiſtens pecori, dryadesque puellæ
Ad numerosque cient choreas modulante Lycæo,
Et gratos nectunt vario ſub carmine gyros,
Atque Hymenæa ſacrum: Diis immortalibus æquant.
Interea iuvenes rapidi loca culta peragrant,
Donec harenoſum Tanatum ſubſternere magnis
Principibus libet, & venientes excipit Alba,
Alba ſuos tandem ſic intra mœnia divos
Quadrupedum ſtrepitusque virum clangorque tuborum
Aurataque lyra cytharaque, & tympana rauca,
Atque ebur altiſonum, litui quoque cornua flexi,
Ac tormenta gravi crebreſcunt ænea bombo.
Diverſæ apparent facies, & pegmata circum
Inque triumphali reteguntur fornice laudes;
Multaque præterea Divorum geſta meorum,
Sic quoque nos tantis Divum exemplaribus acti
Incultum licet, in veſtros pangemus honores.

Carmen, & exiguum non falſi munus amoris
Et ſua dum toto fulgebunt lumina cœlo,
Inque vicem ſacros nexus elementa tenebunt
Nomina veſtra polo, ac toto ſacrabimus orbe
Si me a Pieriis unquam monumenta placebunt.
Sed primum ô virgo, titulos patiare decoros
Principis ut referam: neque enim privabere votis
Ipſa tuis, dignamque feres cum coniuge laudem.
Nec memorem patruos & avitæ nomina gentis,
Et patrem horrendum bellis & pace verendum;
Ac Mariam æthereo Divum de ſanguine matrem;
Cui vatum ceſſere labos, Phœnicia Dido,
Romanum ac toties fruſtrata Zenobia Martem.
Ipſe ergo cantandus ades, tu carminis author;
Quem mihi præſentem ſi fas laudare, labores
Herculeos æquaſſe, canam maiora daturum.
Ille puer geminos manibus colliſerat angues;
Gutturaque extinxit Lerneo ſepta veneno:
Tuque puer duro ſuperaſti Marte phalanges;
Armatosque viros; ſummis nec egentia rebus
Agmina conſilii, non autem armenta ferarum
Vincere, ſed fortes animos, & vivida bello
Corpora ſic virtutis opus, magnisque tropheis
Dignus honos, latum mandandaque geſta ſub ævum.
Te numero ſenſere truces, ac pectore Galli
Atque Italus rerum domitor, belloque timendus;
Emineant quantum vires in fortibus armis
Dive tibi, & quantum ſonipes tibi pareat audax;
Cum fera cornipedis ſævum premit ilia calcar.
Novere Inſubres, Latii novere potentes

Virtutem Belgæ, mirans te rector amavit
Iſaricus, laudisq́ue tuæ convenit utroq́ue
Limite ſpectator, cum tu converſus in hoſtem
Ænea letifero rupiſti pectora telo.
Nec melior quiſquam, nec te ſollertior arma
Induit, aut dubiæ parat agmina ferrea pugnæ.
Sive acies libeat quadrato opponere verſu,
Cornua ſeu lunæ fingentes ſtare catervas,
Seu longum proferre veru, ſeu forcipe crudo
Hoſtiles captare manus, ſeu frangere latè
Nunc infeſta iuvet cuneato milite caſtra,
Pugnandive moras, & idonea tempora quiſquam
Doctius haud novit: ſeu lecto ponere vallum
Forte loco placeat, ſive oppida credita muro
Obſidione teras lætis victoria pennis
Advolat, atq́ue tibi, Princeps Gulielme, triumphos
Semper aget, nomenq́ue tuum ſuper aſtra locabit.
Quid, quod & in tanto clementia Principe regnat;
Magnanimusq́ue regit iuſto moderamine terras?
Nec maiora Dei meritis iam dona rependunt,
Nec te pacis opus fugiunt, Permeßides unquam
Virgineumq́ue tibi cum Phœbo Helicona ſacrarunt
Fataq́ue ne deſint tantis fœlicia cœptis,
Concilio delecta Deum, tibi regia coniux
Quam ſi Rhœteus quondam vidiſſet in Ida
Paſtor, damnoſæ fruſtra certamina formæ
Numina moviſſent, etiam Minoida Bacchus
Virgine conſpecta non impoſuiſſet Olympo.
Digna polo Nymphe, tandem Iove coniuge digna;
Hic te iam noſter labor advocat, ô Dea cœlo

Digitized by Google

Miſſa per Heſperias urbes, nomenque Latinum
Nil altum mens noſtra tuo ſine Numine pandet.
Haud equidem abnuerim magnum ſub pectora Numi
Eſſe tibi nec enim mortales, ô Dea, vultus
Ipſa moves, neque vox humano perſonat ore.
Cœlicolûm tibi maieſtas, cui thuria dona
Fudiſſent. Niobe contempta, Iſmenides aris
Nec tua ſacrilego Mæneides orgia faſtu
Turbaſſent, Pentheusque furens, ſævusque Lycaon
Templis ſponte tuos mediis celebraſſet honores.
An referam æthereos mores, mentemque pudicam,
Materiam ingentem vatis? non priſca tulerunt
Sæcula Penelopen maiori laude ferendam,
Alceſtenque piam, neque pectora caſta Dianæ.
Adde quod & Ligurum late moderaberis orbem
Totque urbes, vivo totque oppida condita ſaxo,
Ac tot adorantes populos. tibi ſerviet Alba
Anna decus Latij magnos Pompea per annos,
Structaque magnanimo Gulielmo mœnia quondam
Ferventes etiam latices, Tanarusque ſonanti
Flumine, & Eridanus Superûm quoque ſidera labens.
Talibus ô fœlix virgo, fœlixque marito
Cuius in amplexus properes iam læta petitos,
Et placidos ineant candentia brachia nexus.
Quales pampineæ ramoſo palmite vites
Cum virides ſtringunt ulmos. illi oſcula pulchrò
Ore feras, roſeumque ſinas decerpere florem,
Et lætis volucres thalamis verſentur amores:
Ac tandem nati ludant ante ora parentum
Pollicitum Jovis imperio genus, unde nepotes

Æter-

Æternum poſt ſceptra regent ingentia terris
Sed noſtram Oeagrius cantus circumſonat aurem,
Multifores buxiq́ gemunt, & tympana grato
Mixta ſono, iuveneſq́ parant, facileſq́ puellæ
Jam pridem choreas, placidoſq́ per atria luſus.
Quare ego nunc metas ponam, finemq́ loquendi
Carminibus, ſed fata mihi niſi tempora demant
Ante diem, maiore canam divina cothurno
Facta Patrum, veſtrumq́ feram ſuper æthera nomen.

In Nuptias J. Mommorantii et Dianæ Filiæ Regis Herrici.

Qua iuncta eſt tibi nocte, Mommoranti,
Noſtri progenies Jovis Diana,
Ocellus patris, ipſiusq́ cultum
Et mores referens, pudica, bella
Prorſus ut ſimilem putes Dianæ
Aut ipſam potius putes Dianam;
Non ex fomite natus, aut lucerna
(ſi qua ſit famulis fides) ſed alto

E cœlo ut rutilus cadens Comœtes
Sulcos tramite longiore ducit,
Dum ſopita tuis iacet lacertis
Coniux, per ſpeculas polo ſereno,
Igneus radius repentè luxit,
Omnes qui thalami angulos pererrans,
Vittas, lintea, Cearasq; tandem
Noctis munditias edax vorauit.
Tu verò ô Iuvenum decus, patriſq;
Magno nomine digne Mommoranti,
Infelix aliquid fuge augurari:
Sed ipſum potius tuis putato,
Nuptiis Hymenæon adfuiſſe:
Qui tædam quatiens, tua peruſſit
Fauſto coniugis igne νυκτικόσμιον.
At cur ſic Deus hic tua peruſſit
Fauſto coniugis igne νυκτικόσμιον?
Ut tu ſcilicet hanc ſcias mariti
Oblitam veteris, tuis peruri
Iam ſolum facibus, tuiſq; flammis.

JOACHIMI BELLAII.

JOACHIMI AXONII
GRAMELION
PHILIPPI LALÆNII COMITIS
ET
MARGRETÆ ARENBERGÆ.

R*Exerat alma diu pax & Concordia Belgas,*
Cum tumidum tetro pectus ſuffuſa veneno
Invidiæ proles, ſtygiis caput extulit undis
Livor, & informi macie confecta ſimultas:
Quæ poſtquam coitu ſeſe tetigere nefando;
Prodyt in lucem vis & diſcordia demens,
Quarum veſano ſacra miſta furore prophanis;
Omnia fecerunt ſubito trepidare tumultu.
Vnde procul placidæ nutrix ſtudioſa quietis
Mnemoſyne fugit natis comitata pudicis;
Et ſe ſemoto turbis abſcondidit antro,
In quo ſolivagam decrerat ducere vitam,

Quando locum nuſquam ſibi viderat eſſe relictum.
Sed pater Omnipotens, ſortem miſeratus iniquam;
Huic aperire domum ſtatuit, quo chara reducat
Pignora, ne pereant Belgis cœleſtia dona.
Quare cum chara ſermones coniuge miſcens,
Hæc ait: Æterno thalami mihi fœdere iuncta
Coniunx atq; ſoror, quia connubialia iura
Tu das, delegi, quos ad tua ſacra vocabis.
Eſt domus antiquo maiorum ſtemmate clara;
Inter Belgarum populos ſat nomine nota;
In qua, ceu dulci nutricis ab ubere pendens,
Inclyta perpetuò virtus & gloria crevit,
Hinc etiam ſortita fuit Lallænia nomen:
Eſt quoq; mons viridi leniq; cacumine ſurgens,
Ales ubi nidum poſuit meus armiger olim,
Dictus Arenbergus, Belgis hoc omine lætis:
Hinc, Indis pretio non exæquanda Lapillis,
Margaris educta eſt, plenis iam nubilis annis:
Illinc, qui præfert nomen regale, Philippus
Exortus, debet genitorq; paterq; vocari:
Hos tu concordeis animis: & moribus aptos,
Connubio iunges ſtabili, natisq; beabis,
Qui patres referant, & dignos patribus edant
Natos per natos, & qui naſcentur ab illis:
Hi nova doctiloquis ſtatuent delubra Camœnis
Oppida, quæ pridem fugerunt Belgica longè.
Dixerat: extemplo mittit Saturnia Iuno
Aligerum Maiæ natum, qui Cyprida velox
Accerſat, puerumq; ſimul cum matre venuſta.
Illa levi curru nato comitata per auras

Fertur olorinis, dum cœlum contigit, alis:
Quam poſtquam vidit coniunx ſuprema Tonantis,
Grata venis dixit, non te ſermone morabor
Longo, nam nihil eſt iam, quod non noveris ante,
Coniugium, de quo tecum ſum multa locuta,
Cum pridem doctas ſtudui revocare Camœnas
Ad loca, quæ motu fugiunt agitata prophano:
Hoc ut confectum coneris reddere tandem,
Non fruſtranda tui depoſcit gloria cœpti.
At Venus, ut ſua iuſſa parum valuiſſe reſcivit,
Quæ finem lætum pridem ſortita putarat,
In terras digito monſtratas mittit Olympo
Flammiferum puerum, telis arcuque paratum:
Huc, ubi magnorum ſunt incunabula Regum
Auſtriadum, quorum laus ſic veſtigia fixit,
Viribus ut terras, animis peragrarit Olympum:
Indigenæ à vinclis dicunt ſponſalibus urbem
Bruſellam, colit hanc gens ingenioſa Brabantum.
Vix hic conſtiterat Volucris ſine matre Cupido,
Cum liber plena prompſit duo tela pharetra,
Et celer adducto contraxit cornua nervo.
Senſit uterq; ſuo vulnus ſub pectore blandum,
Margaris inſolito ſimul ardens igne Philippus:
Ambo iam diſcunt, quid ſit, quod amare vocatur,
Iamq; velint longè depulſo ſcire magiſtro.
Obſtat hymen nondum ſacrata lege ſolutus.
Interea proceres affines atq; propinqui
Inter ſe coëunt, ne Votis deſit honeſtis,
Quod natura monet cuiquam non poſſe negari.
Ergo dies optata venit, magnoq; paratu

Omnia complentur; tædas Hymenæus Amorque
Comportant. ſplendent aulæis atria pictis,
Feſtâ velatur, via qua patet, undiq; fronde,
Sternit humum bicolor myrtus, tenuesq; myricæ.
Pulchra ſub intextis diffragant ſerta corollis?
Magnificis divûm lucent altaria donis,
Suavibus hic ſacri ſatiantur odoribus ignes?
Thura liquefiunt? Vario modulamine cantus
Aera perlabens, ſuſpenſas detinet aures?
Tibia cum Cythara, cum nablo ſiſtra, Lyraeq;
Argumenta ſonant hilaris felicia mentis;
Læta recluduntur bipatentibus atria valvis.
Splendidus ingreditur primorum hîc ordo virorum,
Impete turba ruit ſimul, hut promiſcua pleno?
Murmur mox oritur permiſtis vocibus ingens.
Cunctantem ſponſum ſponſamq; ad limina primi
Belgarum expectant pueri innuptæq; puellæ
Spectatum veniunt, tota concurritur urbe.
Tandem progreditur vultum perfuſa rubore,
Nondum gnara iugi Virgo, nunc matre relicta,
Auratam picto Chlamydem circumdata limbo,
Floribus & gemmis crines ornata fluentes,
Circumdant niveum pretioſa monilia collum,
Auriculis baccæ læto fulgore coruſcæ,
Aurea conſtricto redimicula pectore pendent:
Hanc ſtipans trepidam, comitem ſe iungit eunda,
Læta puellarum, matrum nuruumq; caterva.
Hinc oſtro iuvenis Tyrio præſignis & auro,
Procedens, mediis ſeſe magnatibus infert.
Ventum erat ad ſummi conſtratam Numinis aram,

Digitized by Google

Cum Samorobrinus, ſacris de more paratis,
Præſul ibi ſponſos venturos ante moratus,
Productos dextris iungens trepidantibus ambos,
Conſenſus longi verbum ſolemne requirit:
Hic facilis dixit, vitam promitto fidemq́;
Illa ſed exanguis toto compalluit ore,
Vox tamen expreſſa eſt, licet imperfecta puellæ.
Tum ſacer antiſtes ſic verba ligantia profert,
Quos Deus Omnipotens cœleſti fœdere iunxit,
Hos ne deiungat quæcunq́; potentia mundi:
Conditor humani generis ſupremus & author.
Præclaræ ſobolis faciat vos eſſe parentes:
Vt nunc certus amor vos arctè nectit utroſq́;,
Sic placidè ſervet vos hora noviſſima nexos.
Extemplò docta venit huc cum Pallade Phœbus,
Aonides veniunt cum dulci matre ſorores,
Gratia cum Nymphis, geminiſq́; ſororibus unà
Conveniunt, hîc Cypris adeſt, hîc pronuba Iuno:
Omnes gratantur, lætum fauſtumq́; precantur
Illuxiſſe diem, quo Margaris atq́; Philippus,
Artibus ingenuis hic, ſanctis moribus illa,
Ornati, geminis faciunt è cordibus unum.
Dum redeunt ſacris omnes iam ritè peractis,
Diſcordes tendens nervos formoſus Apollo?
Carmen, ait, montana Chelys modulare iugale,
Atque ita percurrens cantando fila canora,
Accinit ad numeros ſeptem diſcrimina vocum?
Theſpiades dulci præeuntem voce ſequentes,
Talia percuſſis ſubiungunt carmina nervis.

ERATO.

QUalis Idumæas ſociat coniunctio palmas,
Talis contineat vos in amore fides.
Vt trahit occulto ferrum conamine magnes,
Sic veſtros animos aggreget aptus amor.
Nil ſermo veſter niſi blandos ſpiret amores:
Vos ſibi proponat, quisquis amare volet.

TERPSICHORE.

GRata columbarum veſtras concordia mentes,
Perpetuo foveat:
Hæc vos delectet, veſtris hæc vera voluptas
Cordibus inſideat:
Hæc veſtrum nomen, laudem, gentemq; domumq;
Augeat, atque beet.

MELPOMENE.

SI Callidum Solis nequivit filia
Mulcere Ulyſſem Carmine,
Quo Corpus & mentem ſimul mortalium,
Mutabat in formas novas,
Vt illi amatæ ſempiternam Coniugis
Oblivionem induceret,
Quantum libet divinitatem, præmij
Summi loco, proponeret:
Ne ſit, Philippe, antiquius vel charius
Vnquam tibi conſortium,

Quam-

Quam quod, probantibus Diis, Læto omine,
Cum ſponſa iniſti nunc tua.

EVTERPE.

SI tantum potuit fides amorq́ȝ
Alceſtæ, ut redimens ſui mariti
Mortem morte ſua, nihil morata
Auræ ut ſit ſuperæ hoc ſuave lumen:
Tu quidvis leve Margaris putato,
Quod ſponſo placuit tuo fideli:
Hoc ſemper placidè quieſce portu,
Iſthæc te recreet perennis aura.

THALIA.

NOn minus Cultu reverentiave
Floreas ſummi patris, æquitate
Non minus cuivis homini antecellas,
Clare Philippe,
Quam nepos magni Iapeti fuiſſe,
Integer vitæ ſceleriſq́ȝ purus
Dicitur; tunc, cum Jovis ira terras
Obruit undis.

CLIO.

QVo vos fata vocant, quò revocant, eò
Ducentem ſequitor, nil dubitans, virum
Illum quem tibi iungit
Lux hæc Margaris optimum.

Vt quondam obſequio prompta Philemoni
Baucis carpſit iter (Diis praeuntibus)
Cum grave mundi
Evaſere periculum.

CALLIOPE.

EXornet atq; exaggeret omnibus,
Te ſponſe, concinnè numeris ſuis
Prudentia immoti Catonis,
Summa modeſtia Scipionis,
Conſtantia infracti Attilii gravis,
Juſtiq; virtus Fabricii tenax:
His addat ornatum voluntas,
Omnibus auxilians benignè.

POLYHIMNIA.

LAude ſumma praedicetur,
Efferaturq;, uſque ad aſtra,
Talis in te, Margaris,
Qualis in Lucretia olim
Caſtitas, reperta vivet
Inter omneis poſteros.
Illa continentiae laus,
Quam vetuſtas comprobavit
In pudica Antonia,
Sic ſuo comet decore
Te, ut frui & carere poſſis
Juxta, amaris, dulcibus.
Omnibus miranda ſaeclis

Gra-

Gnavitas frugalitasq;
Divitis Corneliæ,
Sit domus tuæ ſuppellex
Splendidiſsima, omniumq;
Maximè durabilis.
Elegans, caſta, & diſerta
Lingua (vitæ imago vera)
Eruditæ Hortenſiæ,
Condiat tuum os ſuave,
Gratia ſuadâ, & lepore
Non minore, quam Atticæ.

URANIA.

QVi regit hæc Unus clariſsima templa ſummi O-
Derivet in vos omnium bonorum (lympi,
Fontem det vobis animum ſanum, ſalubre corpus,
Res copiâ ſummâ undiq; affluentes
Hæc veſtram faciat vitam lætam, exitum beatum,
Vos deniq; in cœlum vehant ſupremum.

MNEMOSYNE.

QVia dulci hoc gremio, docte Philippe,
Tenerum te puerum fovimus olim,
Tibi commendo meas filiolas haſce tenellas:
Tua nunc innocuas faxit alumnas
Domus has quas ſocias ante adoleſcens
Habuiſti ſtudiorum, memor hinc ἀντιπελαργεῖν.

PALLAS.

IS, qui me ſapienti cerebro progenuit ſuo
Sic te conſilio, ſic animo, ſic ſapientia
Formet, ne quid in omni accidat hac tibi
Vita, quo cupias dicere, non iſta putaveram.

APOLLO.

COnſulat hic numeros primo Babylone repertos,
Ille petat tripodasq́ʒ ſpecusq́ʒ:
Aſtrologos alius quærat, ſit rurſus & ille,
Quem trahat augurium auſpiciumve:
Et quicunq́ʒ volet, per me, notet exta fibrasq́ʒ,
Vt norit quæcunqʒ futura:
At tibi nec melior vates, nec certior ulla
Continget, licet ipſa Sybilla:
Quam mens multarum ſervatrix provida rerum,
Quæ ſpectat prorſum atqʒ retrorſum.
Hæc eſt quæ poterit cauſas pernoſſe latentes,
(Res vulgo miranda prophano)
Hinc ſolet eventus ſagax prædicere certos,
Componens præſentia lapſis:
Sic ex ambobus facile eſt cenſere futura,
Principioq́ʒ ſuum dare finem,
Hæc tibi fatidicæ longè certiſſima ſunto
Cortinæ reſponſa, PHILIPPE.
Mens hominum ſanè divino ſemine nata,
Sede Deum magnum capit arcta,
Hinc viget, hic ſentit, diſcit, meminitq́ʒ docetq́ʒ,
Hinc edocta, nihil non providet, uſu,

Scilicet his adytis oracula prome recluſis,
Si quando res incidit anceps:
Hæc nunquam dubium te perplexumve remittent,
Vt conſuerunt λόξια *noſtra,*
Nec folia obiicient rapidis ludibria ventis,
Quod fecit Cumana ſacerdos,
Ipſe canes verum, non tectum ambagibus ullis,
Ambiguis ſic certa reſolves.
Hæc mores hominum certa ratione gubernant,
Hæc ſervant villasq; domosq;,
Hæc regere Imperio populos, hæc regna tueri
Quemq; docent, qui his præbuit aurem.
His animum vitam curis agitato per omnem,
Nam melior meditatio nulla eſt:
Hæ laudem nomenq; tibi immortale parabunt?
Has tibi poſtquam aptaveris alas,
Corporea celer in cœlum iſta ex mole volabis,
Illic te excipiet ſyncera voluptas.

Finierant dictis. mox ordine quiq; decenti
Procedunt: altum reſonant Lituiq; tubæq;?
Argutum ſequitur referendo tibia cantum:
Et curvum tremulo modulante foramine cornu.

Vnde erat exceſſum, ſimul ac ad tecta revertit
Splendida pompa virûm, matronarumq; ſequentum,
Grandia confuſa ſonuerunt atria turba:
Hîc alii menſas ſternunt, Cereremq; caniſtris
Expediunt, abacis pateras & pocula celſis
Imponunt, alii ſunt, qui celeresq; citiq;
Ordine conſtituunt aurata ſedilia longo

Digitized by Google

Centum diſcurrunt famuli, quibus omnibus una
Cura penum ſtruere, & redolentia ponere vina?
Sunt alii totidem feſtiva veſte miniſtri.
Qui dapibus menſas onerant, & fercula ponunt.

Interea furvis præceps nox advolat alis,
Conveniunt comptis permiſti matribus alto
Sanguine prognati patres, ſeſeq́; ſalutant,
Incenſi pendent lychni laquearibus aureis,
Et flammis primas tenebras funalia vincunt,
Parva mora eſt. ſponſus prodit cum virgine ſponſa.
Stant alacres iuvenes, pelves & niptea tenentes,
Qui lymphas manibus dent: poſt hos ſtant alii, qui
Protendant variis mantilia picta figuris.
Conſecrat hinc epulas longà cum veſte ſacerdos:
Quiſquis in hanc menſam fertur potusq́; cibusq́;,
Eſſe ſalutarem iubeat, qui condidit illum.

Tum ſimul accumbunt per limina læta frequentes,
In medio ſellis fuſis lucentibus auro
Conſidunt ſponſus prudens, & ſponſa venuſta,
Ambo tabernaclo tecti, quod murice fulgens,
Aſſyrio claris radiat, ceu Cynthia, gemmis.
Appoſitæ fuerant hic formæ mille ciborum,
Primo, quæ invitent languentes acria ventres,
Frigida cum tumidis certans lactuca boletis,
Lignoſa aſparagus tener ab radice reciſus,
Sectile, quod refugit virgo, quod fœmina, porrum,
Intybus, & Raphanus grato tentamine mordax,
Tubera nata brevi ſumma tellure revulſa,
Punica nuda ſuo detracto cortice mala,

Rore levi modicè tantum conſperſa roſarum,
Fumo inter Menapos petaſo duratus in atro,
Poſticam quæ ſæpe ſuam pulſavit apertam,
Anticam ingrediens alienam, non redit unquam,
Incola ſpeluncæ, Unde rugit mugitus ad auras.
Primiparæ ſectum de porcâ abdomine ſumen,
Farcimen varium, tuceta, tomacula lauta,
Atq; pedes nivei deraſo crine bidentis,
Pinguia ruricolæ permiſta his terga iuvenci,
Cortis aves crocei ſubmerſæ gurgite iuris,
Anſeris obſtreperi tumidum iecur, inguen, & ala,
His poſtquam ſtomachi patefacta eſt ianua crudi?
Fercula primæ locum dapibus tribuere ſecundis.
Ergo novis onerata cibis redit aulica pompa,
Quadrupedum genus omne ferẽs leviumq; volucrum:
Hanc grato cantu lituiq; tubæq; ſalutant?
Infertur tumido iam matris ab ubere rapta
Sucula, dama fugax, ſaturata lacte capella:
Innocui vitulis iunguntur pinguibus agni,
Ponitur hîc timidus lepus atq; cuniculus unà,
Nuncius hîc lucis Venientis ponitur ales,
Hîc gemere aerea conſuetus turtur ab ulmo
Ponitur, accedit ſimplex & blanda columba,
Additur inſignis fulgenti torque palumbes,
Aucupis impoſtrix currentis ſubdola perdix,
Nunquam fauſta comes ratibus defeſſa coturnix,
Ipſa cacans ſibi perniciem ſub ſtercore turdus,
Cærea, quæ ſapida eſt ficedula corpore toto,
Galbula quæ tumidis cantillat læta racemis,
A rutilo volucris nomen ſortita galero,

Picta rubi baccis quæ gaudet acanthis amaris,
Sturnus cum ſociis ſolitus glomerare catervas,
Non merulæ deſunt concinna voce canoræ,
Pervigil infertur grus huc ſtatione relicta,
Accola verſicolor plumis huc Phaſidos undæ,
Huc quoq; præco ſui portatur funeris ales,
Cernis aves hîc Juno tuas ſuo honore ſuperbas.
Quin etiam Lybiæ longis ſitientis ab oris,
Adductæ menſas ornant meleagrides iſtas.
Neve cibi varii pariant faſtidia cuiquam,
Ingenioſa avidis irritamenta palatis,
Appoſita in medio ſtant arridentia cuivis:
Inprimis bicolor ſapientis bacca Minervæ,
Et quæ fœcundos populatur Capparis agros,
Tum Corcyræis malum quod fertur ab hortis.

Poſtquam prima quies epulis data, ſiſtitur ingens
Factus ab eximio crater magna arte magiſtro,
Adbibit hoc ſponſus convivis omnibus unà:
Mox auro gemmisq; gravem, Bacchoq; repletam
Quisq; capit pateram, quam ſors obiecit, & haurit
Pocula, quæ latices diſpumant plena Lyæos:

Ac ne quid cœnis aſſuetum talibus abſit,
Tertia procedunt ſubductis fercla ſecundis,
Dente minax animal propter convivia natum,
Cornibus arboreis cervus geſtans caput altum:
Neu timidus ſolam matrem patremve relinquat
Hinnulus, exhilarat lautis convivia pulpis.
His ſuper accedunt variarum cæſa ferarum
Corpora, cruſtatis pulchrè tumulata ſepulchris.

Digitized by Google

Et quia iam longè proceſſit noctis opacæ
Principium, dubiæ tandem poſtrema petuntur
Cœnæ iura? ferunt igitur bellaria promptè
Veſtibus exculti iuvenes, feſtiq́ miniſtri,
Poma reponuntur cælatâ mitia lance,
Promptaq́ de patulis redolentia mala Caniſtris,
Purpureis aſtant ceraſis, morisq́ nigellis,
Hic etiam ſtatuuntur, humi naſcentia fraga,
Et pyra iunguntur lapidoſis ſuavia cornis,
Dulcia rugoſis miſcentur amygdala palmis,
Pruna citæ nigram faciem caperata ſenectæ,
Hîc apponuntur proprio perfuſa cruore,
Pampineis tectæ ponuntur, frondibus uvæ,
Obruta nux, quamvis vacet omni crimine, ſaxis,
Huc fertur, vitam nunc depoſitura ſupremam:
Adduntur, quæ ignis domuit ferventibus undis,
Mollibus in ſiliquis etiam dum condita piſa:
Et fructus, quem dente nefas tetigiſſe putavit,
Qui docuit victu ſe non taminare cruento,
Hiſpida profertur cinara huc pipere obſita fuſco.
In medio nivei ſtat lactis maſſa coacti,
Et picentinus maceratus nectare panis.
Stant hic Hyblæo ſaturata cydonia melle,
Non deſunt ſuavi conditæ melle placentæ,
Nec montes fragiles Nabathæo è cortice facti.
Quid memorare iuvat diverſis ſemina formis,
Ambroſiæ leviter quæ ſunt incocta farinæ?
Immenſus ſuperat menſarum verba paratus:
Poſtquam regificis epulis perfuncta quievit,
Inclyta magnorum patrum matrumq́ corona,

 Aurea

Digitized by Google

Aurea complentur veteri (archeſia vino.
Mox alios alii magnis urgendo cululllis,
Diffundunt animos generoſi munere Bacchi.
Donec ſublatis conſurgitur undiq; menſis.
Hîc iterum prodit ſolita cum veſte ſacerdos,
Et grateis verbis divinas concipit altis:
Alme parens, meritis quia dignas reddere grates,
Nemo tuis poterit, ſolas has accipe laudes.
Hinc vocat ad ſaltus numeroſos tibia ſtantes,
Per circum doctos iuvenes, tenerasq; puellas:
Inter quas oculis quivis ſibi denotat illam
Cui dicat, mihi ſola places? tu Candida Nympha?
Candida Nympha veni placuiſti tu mihi ſola,
Te rogo, te quæſo, fidus tuus uſq; miniſter,
Vt mihi te ſociam digneris iungere ludi:
O utinam thalami liceat mihi dicere læti?
Sic poſtquam dextras blandè implicuere ſiniſtris.
Et roſeis pariter libarunt oſcula labris,
Ad doctos numeros choreas duxere peritè:
Hîc agiles monſtrare pedes eſt omnibus unum
Certamen, nemo graditur ſine lege recepta.
Nunc leviter verſant huc illuc pectora doctè,
Nunc iter emenſi ſubitò breve, terga reverſant?
Inflectunt modo molle latus, modo corpore toto
Conſiſtunt rigidi iactant verſatile collum,
Brachia iam ſurſum librant, iam ritè deorſum.
Alternis, ut equi, pedibus pulſant modo terram,
Et modò per ſpatium procurrunt atq; recurrunt:
Eſt aliquis rurſum, qui cum pede nititur uno,
Bis ter ſe celeri motu contorquet in orbem.

Rurſus

Rurſus & eſt alius, qui ſtricta veſte ſolutus,
Se ſuſtollit humo, & caput inter nubila condit.
Pro terra ſubter ſe plantis aëra pulſans.
Geſtibus innumeris chorus exprimit omnia feſtus,
Quidquid in inſtabili quiſquam meditatur amore,
Gaudia, mœſtitias, cum cura ſuſpiciones,
Angores, altas ſpes, non tamen abſq; timore,
Ploratus, fictas lachrymas, lamenta querelas,
Horrores, æſtus, ardores, frigora, flammas,
Concordes animos, diſcordes, abſq; tumultu,
Poſt bellum pacem, poſt pacem bella cruenta,
Illud quod medium eſt, effingit deniq; tempus,
Quo non oderunt, nec amant, ſed tempora ducunt,
Qui ducis aligeri malè ſani caſtra ſequuntur.
Fit dulcis ſtrepitus, fit lætus plauſus ubique,
Excitus pulvis tenues obnubilat auras.
Et quia delectat rerum variatio grata,
Permiſtæ nymphis Charites ſua carmina promunt,
Prima Thalia modos cantillat vocibus aptos,
Felices ambo ſint Margaris atq; Philippus!
Coniuge ſit felix hic, felix illa marito,
Hæc faciat lætum generoſa prole parentem,
Ille ſuos natos faciat virtutibus aptos,
Communis ſoboles omni pietate parentes
Officioſa colat quævis ad iuſſa parata:
Illa virum, fratrem dilectum nominet uſq;,
Uxorem ſciat hic charam appellare ſororem.
Mutua cura duos ex æquo firmet amantes,
Nec ſinat ut longæ ſubeant his tædia vitæ.
Felices ambo ſint Margaris atq; Philippus,

Digitized by Google

Aurea complentur veteri carcheſia vino.
Mox alios alii magnis urgendo cululllis,
Diffundunt animos generoſi munere Bacchi.
Donec ſublatis conſurgitur undiq; menſis.
Hîc iterum prodit ſolita cum veſte ſacerdos,
Et grateis verbis divinas concipit altis:
Alme parens, meritis quia dignas reddere grates,
Nemo tuis poterit, ſolas has accipe laudes.
Hinc vocat ad ſaltus numeroſos tibia ſtantes,
Per circum doctos iuvenes, tenerasq; puellas:
Inter quas oculis quivis ſibi denotat illam
Cui dicat mihi ſola places? tu Candida Nympha?
Candida Nympha veni placuiſti tu mihi ſola,
Te rogo, te quaeſo, fidus tuus uſq; miniſter,
Vt mihi te ſociam digneris iungere ludi:
O utinam thalami liceat mihi dicere laeti?
Sic poſtquam dextras blandè implicuere ſiniſtris.
Et roſeis pariter libarunt oſcula labris,
Ad doctos numeros choreas duxere peritè:
Hîc agiles monſtrare pedes eſt omnibus unum
Certamen, nemo graditur ſine lege recepta.
Nunc leviter verſant huc illuc pectora doctè,
Nunc iter emenſi ſubitò breve, terga reverſant?
Inflectunt modo molle latus, modo corpore toto
Conſiſtunt rigidi iactant verſatile collum,
Brachia iam ſurſum librant, iam ritè deorſum.
Alternis, ut equi, pedibus pulſant modo terram,
Et modò per ſpatium procurrunt atq; recurrunt:
Eſt aliquis rurſum, qui cum pede nititur uno,
Bis ter ſe celeri motu contorquet in orbem.

Digitized by Google

Rurſus & eſt alius, qui ſtricta veſte ſolutus,
Se ſuſtollit humo, & caput inter nubila condit.
Pro terra ſubter ſe plantis aëra pulſans.
Geſtibus innumeris chorus exprimit omnia feſtus,
Quidquid in inſtabili quisquam meditatur amore,
Gaudia, mœſtitias, cum cura ſuſpiciones,
Angores, altas ſpes, non tamen abſq; timore,
Ploratus, fictas lachrymas, lamenta querelas,
Horrores, æſtus, ardores, frigora, flammas,
Concordes animos, diſcordes, abſq; tumultu,
Poſt bellum pacem, poſt pacem bella cruenta,
Illud quod medium eſt, effingit deniq; tempus,
Quo non oderunt, nec amant, ſed tempora ducunt,
Qui ducis aligeri malè ſani caſtra ſequuntur.
Fit dulcis ſtrepitus, fit lætus plauſus ubique,
Excitus pulvis tenues obnubilat auras.
Et quia delectat rerum variatio grata,
Permiſtæ nymphis Charites ſua carmina promunt,
Prima Thalia modos cantillat vocibus aptos,
Felices ambo ſint Margaris atq; Philippus!
Coniuge ſit felix hic, felix illa marito,
Hæc faciat lætum generoſa prole parentem,
Ille ſuos natos faciat virtutibus aptos,
Communis ſoboles omni pietate parentes
Officioſa colat quævis ad iuſſa parata:
Illa virum, fratrem dilectum nominet usq;,
Uxorem ſciat hic charam appellare ſororem.
Mutua cura duos ex æquo firmet amantes,
Nec ſinat ut longæ ſubeant his tædia vitæ.
Felices ambo ſint Margaris atq; Philippus,

Coniuge ſit felix hic, felix illa marito.
Clara ſub hæc verſus profert Aglaia ſonoros:
Sic redament & ament ſe Margaris atq; Philippus,
Vt nihil hos unquam concordes lædere poſſit?
Omnia vincat amor, quæ multi dura queruntur:
Quidquid in humanis vulgus permobile rebus,
Aut dolet, aut tragicis verbis cauſatur iniquè,
Fortiter hoc ſuperet ſapientia docta Philippi,
Margaridis ſimul hoc laudata modeſtia vincat.
Et quia nulla ſeges tam lætis floret ariſtis,
Vt non infelix lolium ſe miſceat illi,
Si qua difficilis res his evenerit unquam?
Amborum concors facilem tolerantia reddat.
Sic redament & ament ſe Margaris atq; Philippus,
Vt nihil hos unquam concordes lædere poßit.
Excipit Euphroſyne gracili mox voce ſororem,
Coniugium fauſtum ſit, felix atq; beatum,
Quod ineunt læti nunc Margaris atq; Philippus,
Numina ſumma Dei ſint illis fauſta precamur,
Sit rerum genitrix illis natura benigna,
Proſpera non unquam, deſit fortuna duobus,
Nulla dies illis unquam diluceat atra,
Æqualem vivant ætatem tempore longo:
Vtq; dies paribus coniunxit mentibus unus:
Ambos, ſic animis concordes auferat unus:
Neve ſuæ cernens uxoris buſta Philippus.
Neve ſui tumulans quoq; Margaris oſſa mariti,
Oſcula deſertis thalamis ſecreta requirant.
Ambo mortalis ſibi ſint ſolatia vitæ,
Quam multos dederint hanc ipſis fata per annos,

Con-

Coniugium fauſtum ſit, felix atque beatum,
Quod ineunt læti, nunc Margaris atque Philippus.
Dum ſeſe recreat ludis operata iuventus,
Grandævi patres hic matronæq; ſedentes,
Iucundis medias fallunt ſermonibus horas.
Aßidet hic aliquis, qui picta tapetia ſpectans,
Vel res miratur geſtas regumq; ducumq; ?
Vel cervos & apros figi per pectora telis ?
Aut avibus tendi laqueos aut piſcibus hamos?
Aut in gramineis nymphas colludere campis?
Sive ſequi Mopſum ſimas in monte capellas?
Seu ſegetem curva proſterni falce reciſam?
Seu viridi dulces abſcindi vite racemos:
Aſtat & hic alius, qui lumina paſcit inani
Umbra Lætitiæ: Dum cernit, quomodò ſummus
Iuppiter in gremium Danaës deſcenderit olim:
Et malit ſimili deſcenſu viſere terram,
Quàm ab Iove deſertum, felix conſcendere cœlum.
Eſt etiam claudus, quem mira Lemnius arte
Detinet attonitum, qua retibus implicat illos,
Quos ſuperis cœlo nudos ſpectantibus alto,
Gaviſus læto ridendos ore propinet.
Dum videt hæc avido non triſtis lumine, quiſquis
Spectator fuit ille, velit cupiatq; libenter
Conditione pari rideri, dummodò poſſit,
Quam vidiſſe iuvat, quamvis hæc ficta voluptas.
Non deſunt, qui, cum videant hæc gaudia tanta;
Et tædas aliis mirè res eſſe decoras,
Coniugii texant primordia læta futuri:
Aptius in toto non eſt hoc orbe theatrum,

Digitized by Google

In quo perſonam quis ſumat rectius illam.
Stant hic qui ſpectant. ſtant quæ ſpectantur ubique,
Vtq́; has invitent illi ſermone faceto,
Paulatim accedunt ſignis nutuq́; loquuntur,
Expectant limis pudibundæ hæ rurſus ocellis,
Vt mox procedant, & ut invitentur ab illis:
Credula ſimplicitas vel filo ducitur uno,
Quo quicunq́; poteſt ſibi devincire puellas,
Iucundam vitæ ſociam facilè invenit illic.
Sed iam tempus erat, quo ſydera ſola micabant,
Atq́; orbem medium velocibus acta ſubibat
Nox horis? ludi finem reperire nequibant.
Interea ſponſo tardè diſcedere viſa
Turba fuit. (quis enim dudum ſua gaudia differt?)
Pectore nam tacito validos conceperat ignes,
Vt faciunt flammis vivacia ſulphura tactis:
Optatæ toties ſponſæ pendebat ab ore,
Spectabat poſitos concinna lege capillos,
Spectabat rutilos oculos, velut igne micantes,
Syderibus ſimiles, digitosq́; manusq́; videbat,
Formoſa Cypri, vel docta pallade dignas,
Brachiaq́;, & tereti collum cervice decorum,
Oſcula purpureo quaſi cocco tincta videbat?
Quæ non eſt vidiſſe ſatis, decerpere tandem
Adducta iuvat hac prædulceis arbore fructus.
Ergo omnes illi lætam fauſtamq́; precantur,
Quæ non prætereat, niſi cum dulcedine, noctem.
Mox ſtructi thalami foribus reſerantur apertis,
Splendida fulcra thoris lucent genialibus illic!
Deducunt ſponſos Venus, & puer ignea vibrans

Spicula, præcedit cum Hymenæo pronuba Iuno.
Depromunt plenis charites Calathiſq; ſinuq;
Candida languenti narciſſo lilia miſta,
Et molles violas, & dulce rubentem hyacinthum,
Purpureaſq; roſas, thymbramq; thymumq; ſuavem,
Et gratam nardum, cumq; hac libanothida dulcem,
Floribus omnigenis humus & fragrantibus herbis
Ridet & Ambroſium latè deſpirat odorem,
Aurea Lemniſcis & ramis tigna renident,
Hic tiliæ molles, hic fagus, & innuba Laurus,
Hic patulæ quercus pendent, hederæq; ſequaces,
Sparſa iacet ſtrato ſplendenti murice tecto,
Cum viridi myrto pulchrè verbena pudica,
Sertaq; dependent cortinis vincta reductis:
In medio ſtat menſa novis epulis onerata,
Hic poſitæ volucres, & piſces quadrupedeſq;,
Et fructus, quoſcunq; ferunt pomaria lata,
Arte nova ficta hæc, vivas referentia formas,
Attentos oculos multorum fallere poſſent,
Munera non deſunt hilaris generoſa Lyæi,
Delitiis animos firmant ad prælia lautis,
Quæ ſine ſpectaclo cum ſola ſolus inibit,
Miles in arte novus cum nondum milite docta.
Labitur exiguum tempus, cum menſa remota
Harpiis prædam raptantibus obiicit amplam.
Claſſica rauca ſonant, cedit ſpectator arena:
Ocyus hinc omnes, procul hinc, procul eſſe prophani,
Clamat anus, ſacris quæ ſæpè interfuit illis,
Nulli fas homini myſteria caſta videre,
Quæ ſummus myſtes voluit ſecreta manere.

Arctè clauduntur thalami mox oſtia feſti,
Iam Venus; & Iuno, ſociusq; Hymenæus ad ignes
Augendos properant, quos flammæ proximus alta
Fumus, ſub tenui nebula nutriverat ante.
Sentit uterq; ſuo ſuccendi pectore prunas,
Quas non infuſum totum reſtrinxerit æquor.
Hic ſtat, ut iniciat ſperato brachia collo,
Illa tremit, veluti nondum comprenſa columba,
Vnguibus accipitris, roſtrum tamen horret aduncum,
Cum celeri furem videt adproperare volatu.
Hic Cytheræa duos inſuetas edocet artes,
Et iuvenem ſuadet non nota laceſſere bella.
Ille ſuam ſponſam prendit, mediamq; locavit,
Et dociles aures iuſſit præbere magiſtræ,
Vſibus edoctæ longis per ſecula multa.
Protinus ex humeris arcum pharetramq; Cupido
Deiicit, ut membris nudatis promptior eſſet:
Nec mora componens operæ ſua brachia magnæ,
Arte laboratas effudit mille ſagittas:
Inter quas unam ſummè ſelegit acutam,
Qua nec certa magis, nec quæ magis audiat arcum,
Oppoſitoq; genu lunavit flexile lignum.
Indomitum iuvenis mox fixit arundine pectus.
Ille ſuas ſenſit traiecta per oſſa medullas,
Non aliam traxiſſe ſitim, quàm à dipſade læſas,
Quærit aquas, ad aquas vicini fontis anhelans:
Sed quia ſollicita videt à cuſtode negari,
Per molles tentare preces ſupplexq; rogare
Incipit, an duros ita poſſit flectere ſenſus:
O mea lux, oculis multò mihi charior hiſce,

Aſpice

Digitized by Google

Aſpice, quàm tenerè ſævis ardoribus urar,
Quos relevare nequit, niſi tu, mea ſola voluptas,
Nemo? nihil poterit pleno decedere fonti,
Si quis ab hoc hauſtum conetur tollere parvum:
Os caret humore, & non eſt via vocis in illo,
Sicca loqui nequiens hæreſcit lingua palato,
Communi per mota malo ſuccurrere diſce,
Huic animæ, quæ te medicam deſiderat unam?
Nam niſi tu dederis, non eſt habitura ſalutem?
Hauſtus aquæ veſtræ ſapiet mihi nectar, & iſtam
Jam migraturam revocabis corpore vitam:
Hanc ego dum vivam, tibi me debere, fatebor.
Ah miteſce precor, mea ſpes? miteſcere certè
Tales, ut tuus eſt, animi didicêre benigni.
His verbis propius propiusq; accedit: at illa
Ut crimen fugiens amplexus caſta viriles,
O germane refert tanquam dilecte ſorori,
Te rogo, te quæſo, te ſupplex oro precorq;
Per ſuperos omnes, per primi fœdera lecti,
Et per eos qui te talem genuere parentes,
Da mihi, quæ prima eſt, noctem non amplius unam,
Virginitate frui. fuit hæc mihi grata ſodalis,
Perpetuoq; Comes. pueriles fida per annos!
Blanda ſinu nutrix hæc me confovit in almo?
Hæc monſtravit iter Virtutis ſancta magiſtra.
Quæ nunquam liquit me, ſic ego ſæva relinquam?
Auſerat hoc fidei leve munus gratia parva eſt:
Hoc mihi ſi dederis, grates tibi mille reponam,
Expectata venit maiore ſapore voluptas.
Sed quia Vulneribus nemo ſermone medetur,

Ille nihil rigido cedit de iure mariti,
Conſilio & ratione tamen putat omnia certis
Experiunda prius, quàm durius arma capeſſat:
Facundum faciebat amor? Quid dira iuvare
Te tormenta queunt, quæ torrent viſcera noſtra?
Non hoc promiſit facies tua, non tua forma,
In qua viſa mihi ſedes fixiſſe benigna
Ipſa fuit facilem præbens ſe Gratia cunctis,
Cùm fervore ſuo mihi me vagus abſtulit error:
Vix ſcio, quam vultu ſpem tum monſtrarit amico.
Nunc ſyncera fidem ſolvat: peto debita iuſta,
Dicta dies fuerat præſens, mala nomina quæris,
Si foret innumeris fragrans tibi floribus hortus,
Et ſervare roſæ poſſis unius odore
Illum, cui dura ſuprema pericula mortis
Extorquere velint hæc dulcis lumina vitæ,
Immitis minimum prohiberes carpere florem?
Quem licet à viridi trunco ſibi nemo revellat,
Lux eadem tamen hunc forſan, quæ protulit, aufert:
Nonne frui melius foret hoc, quemcunque iuvaret,
Sive colore ſuo, ſive oblectaret odore,
Quam demum ventis decuſſum, aut ultrò cadentem,
Humaniſve teri pedibus, limove reſolvi?
Tollere, non credo, malis, quàm reddere vitam:
Namq; puellarum clemens natura repugnat.
Si tua proferrent omnes pomaria fructus,
Uſibus humanis quos dat natura benigna,
Quosq; voluptati confert mitiſſima mater,
Atq; eſſet, quem dira fames iam penè necaret,
Non ſineres aliquod miſerum decerpere malum,

Digitized by Google

Quo fugientem animam retineres & recreares?
Præcipuè poſtquam ſint omnia poma caduca,
Tempore ni certo, cùm ſunt matura, legantur.
An malis delapſa nigro putreſcere cœno?
An linqui ſuibus nimium bona pabula fœdis?
Virgineus candor ſolet hoc livore carere:
Nam fecit leneis omneis natura puellas,
Ut poßint aliis alij ſuccurrere rebus,
Auxilio celeri, dubiis ſeſeque iuvare,
Contiguis pietas muris contexuit ædes.
Qui, cito quod potuit, tardè dat, penè nihil dat:
Bis dat, qui donum velociter expedit ultrò,
Aſſervata diu pariunt faſtidia ſæpe.
Ille cibus gratus ſolet eſſe ſapore palato,
Igne focus quem ardens miſit iam iamq; recentem.
Aſt, heu, cor languore meum iam deficit ægro.
Chara ſoror fer opem gremio labentia membra
Excipe iam tandem quæſo, miſerere cadentis.
His exporrexit dictis ſua brachia latè,
Utque, quod arripuit manus illic firma teneret,
Ambabus ſociam mediam complectitur ulnis.
Ille ſalutifero contactu, dulce, revixit,
Nam redit ad vacuos animâ mox ſpiritus artus:
Gratia ne non ſit pro munere reddita tanto,
Oſcula mille dedit: nec adhuc ſatis illa fuerunt:
Vult meritis tantis maiora rependere dona.
Illa verecundo reliqua averſata pudore,
Oſcula ſola capit, nec ad hæc admittere quidquam
Vult aliud flammis uritq; atq; uritur una,
Vicinus ſentit paries, cùm proximus ardet:

Ille ſuum repetit ius inflammatus amore,
Dulcia Coniugij debes mihi pignora noſtri,
Hæc peto, ne pergas mihi tam præfracta negare,
Illa iuventutem recreabunt ſuavia noſtram,
Illa ſenectuti parient ſolatia noſtræ:
Hæc tibi non venient vacuas delapſa per auras:
Nunquam mater eris, veneris niſi munera noris,
Nunquam me patrem facies, ſi diſcere nolis,
Quid ſit hymen mitis, quid amoris gaudia poßint:
Talia nunc demens ecquid tu dona recuſas?
Quæ vel reginæ non ſint ingrata ſupremæ,
Quantum poſſedit iuris tua mater amando
In te, tantumdem generum quoque iußit habere?
Obſequium debes illi? quid ſubtrahis illud?
Te nos vincemus coniunctis viribus ambo?
Si ſapis, heus, nunquam pugnabis ſola duobus;
Alcides nequijt, quamvis fortißimus, illud:
Neſcis, quid fugias, ideoq; fugis. mihi crede,
Qui ſanus ſemper nunquam medicamina ſumpſit,
Tetra ſalutiferos ſuccos putat eſſe venena:
Dando, reddendo, vel non, ſtat vita caditq;:
Accipe, quo pellas animi tibi nubila triſtis,
Non invita dato, quod mox retinere nequibis,
Gratia debetur meritis, quæ corde libenti
Non tardata diu, properè venere profecta,
Nunc age carpamus primum, lux candida florem:
Sic propius ſperat, ſperataq; gaudia captat.
At ſponſæ mores tentamina cuncta pudici
ſubmiſsè renuunt; tantò magis uritur ille,
Namq; ſitis creſcit, cum pocula viſa negantur.

Digitized by Google

Illa moras quærens, lachrymis nunc orat obortis,
Nunc ludis thalami ficto languore retardat,
Sed iam blanditias iuvenis non ſuſtinet ultra
Perdere: Cumq́ꝫ rapi cupiant plerunq́ꝫ puellæ,
Quod malè perſuadet, videt, an benè cogere poßit:
Adfuit audaci cœpto fortuna benigna,
Nam ſubitò arripuit rurſus nova tela cupido,
Et tenerum ſponſæ perfixit arundine pectus:
Si prius admotas flammas contempſit, & ignes,
Accepto tandem nunc ſævo vulnere ſentit,
Quidquid amor ſuaſit, quam non ſit ſpernere tutum.
Nam tanquam ferro ſub vulnere cerva relicto,
Quam ſylvâ pectus venator læſit opaca,
Ardet, & ingenti velut inflammata furore,
Currit, ut inveniat dictamni gramen amari.
Haud ſecus inſolito virgo correpta dolore,
Vritur, atq́ꝫ mali velit inveniſſe levamen,
Quod tamen, ut capiat, ſimplex natura repugnat:
Huic medicas adhibere manus poſtquam ægra maritum
Senſit, ah exclamat, ſic ſic mea fida ſodalis
Pellitur, heu reditura mihi iam tempore nullo,
O mea Virginitas, ô mirè pignus amatum,
Diſcedis? ſolàm poſthac me cara relinques?
Tanta locuta ſinum lachrymis implevit amaris,
Supremumq́ꝫ vale, pleno ſingultibus ore,
Vix bene, cum gemitu miſcens ſuſpiria, dixit,
Dum ſtupet, atq́ꝫ capit iuvenis vix pectore toto
Gaudia, quæ nullis memoret facundia verbis,
Corde tremens dubiè lætißima concipit alto

Verba, quibus fauſta Veneri, Venerisq; puello
Perſolvat grates, & ſeſe ſubiuget illis.
Vtq; patrata ſuo complacet crimina furto
Condimenta cibi iam ſumpti baſia reddit,
Tum quoq; confuſæ ſolatia lenia menti
Subycit, & verbis iacturam ſarcit amicis;
Pro ſocia ſocium me fidum ſemper habebis,
Imbellis manus eſt muliebris: pone timorem,
Semper ero tutor tuus, & defenſor obibo;
Quæ tibi cum placeant, fore non ingrata putabo?
Me tamquam fratrem, vel patrem ſemper habebis;
Sive quid eſt maius dilectis fratre patréve,
Arbitrium dabitur mecum ſecreta loquendi,
Quæ ſciat ut nutrix, nobis, materve ſororve;
Non eſt, quod doleas, diſpendia nulla tuliſti
Eſt, quod læteris, compendia magna tuliſti,
Virgo prius ſimplex facta es, nunc femina prudens:
Et ne commiſſa culpa videatur iniquus,
Quod rapuit, manifeſto, aut clam (ſub iudice lis eſt)
Dupli quadrupli, lege eſt penſare paratus.
Vix bene ſedarat primam, ſitis altera crevit,
Rurſus amans ardet, rurſus ſua vota retractat:
Expleri penitus nequit, ardeſcitq; bibendo.
Non ita difficiles aditus, velut ante fuerunt,
Nunc ſunt ad fractam muris quam ſubruit arcem?
Lætus in hac regnat, dominatur & imperat unus?
Unus habet prædam, qua ſubſilit atq; triumphat;
Nullos admittit ſomnos: tamen annua nox ſit
Optat, & auroram Cephalus ſub amore retardet.
Si tamen ulla quies vigilantia lumina claudit

Parte

Digitized by Google

Parte aliqua, Certè maiore reſervat aperta,
Hac cernit dulceis, quæritq́ & captat amores,
Ætatis breve ver iucundo flore coronat,
E quo cum Phœbe novies impleverit orbem,
Prodeat optatus fructus, ſimilisq́ parenti:
Scilicet, ut quærat, quo vitæ tædia fallat,
Cum tenerè è gremio matris tractanda puellis
Brachia protendens oculis atq́ ore ſalutans,
Incipiet blando riſu cognoſcere patrem:
Vel balba diſcet lingua papare minutum,
Amplius aſſuetæ mammæ lallare recuſans,
Hæc modò maternis, modò ſarcina grata paternis
Conſidet genibus. præbens ludosq́ iocosq́,
Talibus & ludis, & verbis talibus illi
Impleruut noctem, donec lux alma reverſa eſt:
Quam quo gratetur mulieri e Virgine factæ,
Atq́ diem fauſtum iam diluxiſſe precetur?
Oſcula coniungens blanda fert voce ſalutem:
Illa ſilet primò. timidumq́ ad lumina lumen
Attollens, poſtquam cum cœlo vidit amantem,
Erubuit, ſocium nimio non auſa pudore
Appellare virum, vultus celaſſe modeſtos
Obductis vellet manibus, pudor alter obortus
Non ſivit charo faciem avertiſſe marito.
Quod licuit, ciliis demiſſos texit ocellos,
Tumq́ diem fauſtum pudibundo reddidit ore.
Ut magis atq́ magis nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, ſtellasq́ fugavit,
Et Phœbus latum radiis pertexuit orbem,
Proſilit è thalamo ſpoliis elatus opimis,

Furtis

Furtis & tenebris ſolitus gaudere Cupido,
Et, quæ ſub clauſis Cortinis geſta fuerunt,
Garrulus in medium debuccinat ore procaci.

LÆtior an res Connubium ſit, Virginitasve
Ambiguum: ſi ſcire cupis tamen, accipe (paucis)
Triſtis, Coniugium, nil niſi lætitia.
Lætaq́ue, Virginitas, nil niſi triſtitia eſt.

N. Reusnerus.

AN CONJUGATI LIBERI, EIUSDEM.

Quod *libertatem vendat cum coniuge ducta*
Liber homo, ſic nos Comica Muſa docet.
Fallor! an hinc uxor velat ſua tempora vitta?
Perfecti ſignum quæ ſolet eſſe tori.
Ceu piſces hamus, ſic vitta coercet Ephebos;
Solvere quam nemo lege vetante poteſt.

In Nuptias

NICOLAI MARINI,

ET

ALOISIÆ MENDOZÆ.

VEſper ab Heſperiis nitidum caput extulit undis,
Et totum accendit diffuſo lumine cœlum:
O decus Inſubrum nuptæ conſurgite contra,
Deducenda ſuo tandem eſt noua nupta cubili,
Nox ruit; & Veneris iucundæ præterit hora.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe
Et meminiſſe decet nuptæ, & meminiſſe poteſtis,
Expectata dies fauſto cum ſidere venit,
Cum iuueni caro vos deſpondere parentes
Spes veſtras ſi forte aliquid pro tempore luſit,
Vt primum optati vobis data copia lecti eſt,
Quales amplexus, & gaudia quanta fuerunt.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Adſpicite, ut ſedeat demiſſo lumine virgo,
Ingenuo ſuffuſa genas utraſq; rubore

Oo Certe

Certè oculos non tollit humo, roſeumq́; labellum
Comprimit & nullas emittit pectore voces.
Non decet hoc fieri; gaudet Venus aurea riſu:
Libera res Amor eſt, & libera mater Amoris
Lætitiæ genetrix, hominum divumq́; voluptas,
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
O felix virtute tuâ, lectiſsima virgo,
Educta ingenuè, ſanctoq́; aſſueta pudori
Non tibi mens ullas nunc afferat anxia curas;
Sed nova coniugij pertentent gaudia pectus.
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
Num virgo te cura ſubit, pietasq́; tuorum,
Quos rate conſcensâ liquiſti in littore Ibero?
Adſpice, quam multi te ſunt vel ſponte ſecuti,
Quamq́; tuos clara paſsim virtute ſequuntur.
Hic domus, hic patria eſt, ubi nullo tempore abeſſe
Laudibus à magnis poteris, meritisq́; tuorum,
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
Auſonia in magna pars eſt tibi maxima virgo,
In qua laudis habent tantum duo fulmina belli,
Conſalui quorum eſt alter ſuper æthera notus
Lætus in Elyſiis qui nunc agit otia campis,
Inſubres alter iuſtis moderatur habenis:
Quem Sueſſana Ducem, Regum è domitoribus ortum
Obſervat tellus, armorum fortibus auſis
Æterna pulcro florentem laudis honore:
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
Quæ tua ſunt tecum ſapiens bona percipe virgo:
Eſt tibi perpetuo ſociatus fœdere lecti
Cœleſtis iuvenis, quo non formoſior alter;

Digitized by Google

Quem Charites finxere manu, & Nereides ipſæ
In conchis inter gemmas aluere marinas.
Is te ſuſpiciens, tereti cervice repoſtâ,
Vix capit iſte ſuâ ſecum ſua gaudia mente.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Quare agite expertæ nuptæ bona dicite verba,
Et caſto in thalamo de more locate puellam.
Non Dea mortali tales conceſſit amores,
Nec Deus hoc unquam coniunxit fœdere amantes.
Qualis in his inerit veniens pax aurea cœlo,
Lætâ ferens dextrâ ramum felicis olivæ,
Et dulces natos & pignora cara, nepotes.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Commiſtum genus hoc Italum cum ſanguine Ibero,
Clarum, illuſtre, potens, omniq; ex parte beatum,
Nequitiæ ignavæ quod nulla redarguet ætas,
In numeros ſemper magnos volventibus annis
Armorumq; duces pariet, pacisq; magiſtros.
Quam multa in ſilvis orienti germina vere
Huc illac circum viridantia parturit urbes,
Quam multi in pratis, aura ſpirante Favoni,
Naſcuntur flores, arvisq; feracibus herbæ.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Audiſtis? lævum intonuit; læta omnia, fauſta;
Omnia felicis ſunt ominis omnia plena.
Inſubrum nunc ite nurus accendite tædas
O pueri, ſimul ite viam, tuq; optima virgo
Tolle pedem aureolum, coniunx mox ipſe ſequetur
Os, humerosq; Deo ſimilis, tua maxima cura.
Jam quos heroas nobis dabis optima virgo?

Accipe de magnis felix heroibus omen,
Quos fœcunda nurus geminos feliciter edit:
Quod ſanctum, firmumq́; tibi Dux maxime Thome
Fortunate ſenex, dat carminis autor Apollo.
Cernis, ut extemplò ſpes ſit tibi facta nepotum?
Jam faciet virgo, ut terrarum intelligat orbis,
Ecquæ progenies, ecquæ divina propago
Venit ab Heſperidum ſemper felicibus oris.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.

ANNONII PALEARII.

IN NUPTIAS

FRIDERICI COMITIS VVIRTENBERGÆ AC MOMPELGARDI.

ET

SIBYLLÆ JOACHI. ERNST. PRINC. ANHALT. FILIÆ.

COnſilio dum nupta Dei tibi caſta Sibylla
Fit coniux, Princeps principe digna viro,
Macte eſto Friderice tuis, Comes inclyte tædis,
Ac, quod habet coniux nomen, ut omen ama.
Cui Deus inſpirat magnam cum pectore mentem
Compoſito; mens eſt nympha Sibylla Dei.
Felix, cui datur illa Deo ſic auſpice coniunx,
Conſilium ſecum hic utile ſemper habet.
Felix Ægeriâ fuit ut Numa coniuge Nymphâ,
Illa viri pectus, conſiliumq́; fuit;
Sic tibi dum princeps Fridericus, pacis amator
Fit coniux, modò quem numinis inſtar habes;
Macte tuis eſto tædis Generoſa Sibylla
Ac, quod habet Sponſus nomen, ut omen ama.

Digitized by Google

Pacis amatorem faciunt quem numina divûm,
Ille vir & Salomon nomine reqꝫ pius.
Felix ſponſa, viro quæ nubit pacis amanti,
Pectoris hæc ſecum gaudia ſemper habet.
Felix ceu Sulamitha fuit Salomone marito,
Conjugis hic dulcis pax requiesqꝫ fuit.
Dî faciant, ſis ut FRIDERICO, *caſta* SIBYLLA
Seu Deá, ſeu mens, huic grata futura Dei.

N. REUSNER.

AD

RICHARDVM STREINIVM BARONEM SCHWARTZENAVIUM.

QUAM *tibi triſte fuit, viduo malè vivere lecto;*
Tam ſocio nunc eſt vivere dulce toro.
Reginæ rex cuiqꝫ placet ſuus. Ergo RICHARDE
REGINAM *ſocias, victus amore, tibi;*
Quæ Veneris formam, mores Junonis adumbrat,
Principibus natis, principe digna viro.

Om.

Digitized by Google

O te felicem, Regina coniuge, regem,
In quâ par animò forma geniuſq́; nitet!
O te felicem rege hoc Regina marito,
Qui geminat mentis nobilitate genus!
Sit felix regnum, Chriſtoq́; ſit auſpice cœptum,
Sit ſine diſsidiis & ſine labe torus.
Vnus amor, mens una, fides vos copulet una,
Fœcundetq́; piâ prole beetq́; domum.
Tu Rex Reginæ placeas: Regina viciſsim
Gaudia det vitæ mille Richarde tuæ.

N. Reusnerus.

Digitized by Google

IN NUPTIAS

CAROLI A' ZE-ROTIN &c.

CARMEN

JO. THEOPOLDI GYMNASII SO-RABORUM PRORECTORIS.

CAROLE *præluſtris* ZEROTINÆ *gloria ſtirpis,*
Celſus apex generis, ſpecimen Genitoris, Avorum,
Qui Virtute foves Martis monumenta tuorum,
Qui pietate auges Artis monumenta tuorum,
Des veniam, ignoſcasq; lubens per vota precanti,
Quòd, labra aligeri qui nunquam fonte Caballi
Proluerim, auſim arces generoſaq; tecta ſubire.
Vrget iter Virtus, urgent tua fortia facta
Attentare aditum, egregios vultusq; mereri.
Quin aurem quoq; vellit Hymen & nuncia portat
Fama fidem te damna tori eluxiſſe prioris,
Tædas incidiſſe novas, Junone ſecunda,
Ferre animum Nuptæ thalamos intrare ſecundæ.

Digitized by Google

Ergo opus eſt votis: Veſtras Hymenæus ad oras
Adveniens læta dicat ſolennia voce
Verba, bonos vultus, & felix afferat omen:
Fax quoq; quam geſtas, lachrymoſo libera fumo
Luceat, & multos acquirat motibus ignes,
Auſpicio læto, ſit lætior exitus ipſo.
Dum loquor, ac humili ſuperos infringo precatu,
En generoſa exit deducta parentibus ipſis,
Virgineo ſtipata choro, matrumq; corona,
SPONSA *auri radiis, Tiriiq; inſignis in oſtri*
Maieſtate, rubor cui plurimus inficit ora,
Ora, quibus cedant Pæſtana roſaria, cedant
Flores, mane quibus dederit Matuta nitorem.
Lumina quid memorem Paphiæ ſuperantia ocellos,
Membrorumq; modum, qualē nec Carmina Nymphis
Fingunt, Æneadum genitrix nec reſpuat ipſa?
Sed non aut genus eſt tanti, neq; gratia formæ,
Factiq; aut infecti auri pretioſa metalla,
His ſolis caro ut cupiat placuiſſe marito,
Quæ ſecli dentes, & edax terit omnia tempus,
Quæ mox in nihilum redeunt cinefacta ſepulcro:
Inclyta quæ ſtygias nunquam defertur ad umbras
Virtus, hæc primum decus eſt, hac dote ſuperbit,
Tantum hac fœmineis excellere cætibus optat,
Quantum parva ſolent ſuperare arbuſta cupreſſi:
Nec mora, parte alia quoq; te, SPONSE *arduus in-*
Omnis nobilitas, omnes nova ſacra Barones, *(fers,*
Quos tua patria habet proceres de more frequentant:
Veſtimenta lapis, fulvumq; exaſperat aurum,
Auro ſed virtus longè tua pulcrior extat.

Hanc in te puero, vix pubeſcentibus annis,
Agnovit fandi doctiſſimus ille magiſter
STURMIUS: *aſſurgens ſtupuit ſtudioſa iuventus,*
Et ſene digna tuo memorantis ab ore pependit.
Viſa beata ſibi eſt CAROLO *Baſilea recepta,*
Munere divino veluti ditata fuiſſet:
Atq; eadem indoluit CAROLO *Baſilea profecto,*
Munere præclaro tanquam viduata fuiſſet.
Nec nihil, Auſoniam, eſt, Siculaſq; accedere ad oras,
Veniſſe Arctoos, Neptunicolaſq; Britannos,
Et ſpectare maris dominam, terræq; potentem,
Quæ Tarteſſiacum ſubmerſit in æquore Iberum,
Vidiſſe & regem cuius nunc Gallia leges
Accipiens tandem imperitantis fræna momordit:
Perluſtrare urbes varias, cognoſcere mores,
Undiq; quid; quod proſit, apis de more Matinæ
Colligere, haud vacuum ad patrios remeare penates.
Hos laudum ſtimulos gnato cum lacte paternum
Inſevit curæ ſtudium, hos auxêre verendi
Chriſticolæ præcepta ſenis, cui Circulus Omen
Indidit & nomen, quod ſit teres atq; rotundus.
Quid referam firmata virum cum fecerat ætas,
Quæ bello paſſus fueris, cum Gallia ſenſit
Externas acies, pro libertate tuendâ
Quàm caput intrepidè, Scythico obiectaveris hoſti,
Quamq; animus tibi ſit lucis contemtor, & iſto
Pectore quantus amor, laudumq; immenſa cupido
Æſtuet, & cœlo æquari ſe laudibus optet?
Quid, quòd conſiliis patriæ de rebus habendis
Interes, & dubiis noſtri ſuccurrere rebus?

Macte

Digitized by Google

Macte igitur virtute tuâ & tam fortibus auſis,
Dona tuæ cape virtutis, cape dona laboris,
Quæ tibi largitur ſummi indulgentia JOVÆ.
Cernis ut exultim, ſacris, epulisq; peractis,
ELISABETHA *tuis cupiat requieſcere in ulnis,*
Geſtiat ut primos tecum coniungere ſomnos,
Gaudeat optato dilectæ nomine matris?
Hanc tibi Telluris patriæ pars prima ſenatus
WALDSTENIÆ *columen gentis, decus, incrementum,*
Concilians HYNNECCIUS, *hæc te ad fœdera flexit,*
Te iuvenem ſenior tanto complexus amore,
Atticus haud quanto Brutum dilexit amicum.
Illius illuſtris, Iuno ceu pronuba, coniux,
Feminei egregium generis decus, hanc tibi vinclo
Connubii iungi miro exoptavit amore.
Hanc molli foveas complexu, hæc ſola voluptas;
Hæc ſit ſolamen vitæ, hæc gratiſſima coniux,
Hanc tibi vitalem concedant conſcia fati
Sidera & hinc ſeros faciant ſperare nepotes.
At nos Ominibus lætis, votisq; ſecuti,
Hymen, ô Hymenæe, Hymen, iterabimus Hymen,
Veſtra ut perpetuo iungantur pectora nexu,
Vt veſtra æterno concordia floreat ævo,
Eventu careat nec quod voviſtis uterq;.

In Nuptias

JO. ALFONSI HERRICII, NEOPOLITANI EQUITIS.

EPITHALAMION HIERONYMI BORGIÆ.

FElices thalamos Erato ſanctumq́ hymenæum
Incipe; dum magnis reparatur viribus orbis.
Sic tibi per liquidum fœcunda Neapolis amnem
Educet argutos generatim in carmina cygnos;
Incipe; & Alfonſi placitum dicamus amorem,
Atq; optata diu portantem gaudia Nympham.
Nec ſoli Aonio digni ſunt carmine reges:
Ipſe nec Alfonſum ſibi dedignetur Achilles
Maximus æquari. nam ſi ſors invida regnum
Abnuit huic; contra generoſos prodiga mores
Regificamq́ animam iuveni Natura rependit.
Viderat ingenuas ineunte ætate ſequentem
Artes Herricium Cytheræa, ſuumq́ canoris
Quærentem fidibus teneræ ſolamen amori,
Ac Musâ ingenium puerile adflante canentem.
Obſtupuit mirata novos Venus aurea cantus.

Vt forte Herculeo devecta leone per altum
Aera, Campanis defixit lumina terris:
Protinus his natum dictis affatur in auras,
Spicula nequicquam torquentem ante ora parentis:
Nate mei cultor, pulchri Venator; & ardens
Dux, & noſtrarum comes ingenioſe viarum:
Ille, (vides) nate ignavo qui ſuſcitat aevo
Virtutes animo heroas: & corpore parvo
Dignior ante alios orbis ditione ſuperbit?
Qualis apum fucos altè Rex inter inertes.
Explicat auratas forma iactantior alas.
Hic velut aequales mira puer indole vincit.
Sic ſociam aequali praeſtantem dote puellam
Molior auſpiciis iuveni coniungere fauſtis.
(Nam ſine me Iunonis erunt connubia vana)
I pete Sirenum terras; ubi litora paßim
Dulcia Parthenopes luſtraveris; inter opacos
Invenies lucos citriorum mille vagantes
Noſtraq; certatim meditantes praemia Nymphas.
Hic numero ex tanto dignam praeſtante marito
Delige; quae vincat facie Sebethidas omnes:
Vt virtute viros novus hic ſupereminet heros.
Haec Venus: at citius dicto Deus aliger aulam
Luſtrat Aragoniam; longaq; indagine circum
Florentes aetate furit formaq; puellas.
Tandem unâ ante alias inſigni corpore crines
Reginae ornantem ſpeculatus, corripit arcum
Acer Amor, tacitumq; furens in mollia flava
Virginis auratam iaculatur corda ſagittam.
Mox inter puerum volitans lectamq; puellam

En-

Digitized by Google

E nitidis Nymphæ nunc flammas haurit ocellis;
Et ſimul inteneri præcordia iactat amantis.
Nunc radios pueri furatus ab ore, puellæ
Oſsibus implicuit; blandâ vice pectora carpens
Amborum, & paribus nectens præcordia vinclis.
Luce illâ ut vidit niveo micuiſſe papillas
Pectore turgidulas, & ſuavia lumina, certam,
Spem blando intuitu, ſpem promittentia nutu;
Et vidit ſimul & totis ſimul oſſibus arſit,
Hinc tot Acidaliæ nato monſtrante, reperti
Cantus & citharæ miſeri ſolamen amantis.
Interea Troiam Troianumq; inſtruit agmen
Accenſusq; adferi ſpectacula grata Dione
Herricius: nunc acer equo meditatur in alto
Prælia: nunc ſocios curſu præcellit equeſtri,
Spectantem ſtudiis dominam pugnacibus urens
Dum iacit haſtarum fractos ad ſidera truncos.
Nunc Paridis ſtudia atq; animis gratiſsima longe
Carmina fœmineis, noctis modulatur in umbra
Seu blandum cantu ſperans lenire venenum;
Flectere ſeu formæ faſtus dominamq; morantem.
Ex illo iam crevit amor creſcentibus annis;
Biſſenos iterans ſuſpiria longa per annos.
Hinc (in amore valet tantum patientia) voti
Compos uterq; abiit concordi fœdere coniux;
Namq; ubi ſpectata iuvenis virtute Cupido
Perſuaſit ſponſæq; ſimul rigidæq; parenti
Et longo ambarum inflexit certamine ſenſus:
Victor ad Inarimes lucos revolavit amœnos;
Mater ubi inſanos vitare adſueverat æſtus,

Ac dominà invitante loci captare quietem
Dum Paphiis præfert Avales tecta hoſpita templis.
Coniugii tum forte novi præſaga nitentes
Pingebat Cytheræa genas; Charitesq; ſecundo
Obſequio adſtabant: crines nodabat in aurum
Altera: berillis fulgentibus altera peplum
Inſignibat; odorato ſed rore rigabat
Tertia divinos Zephyris mulcentibus artus.
Nec procul hinc patulâ ſub quercu Pana ciebat
Æmulus ad calamos Hymenæus; & aurea collo
Tibia pendebat rutilis ornata hyacinthis.
Tunc improuiſus ſic ore effatur anhelo:
O felix cœtus! ſimul ô ſalvete reperta
Numina lætitiæ, vacuisq; obnoxia curis.
Pro quantos genitrix fato variante labores
Pertulimus! quantos æſtus nimbosq; ſonanteis
Ante fores, Nymphea veſtigia nota ſecuti!
Sub divo quid humi toties iacuiſſe? quid artes
Tentatas memorem magicas? poſt mille repulſas
Quid ſpes ſurgentes? quid eadem luce renaſci
Atq; mori? numerisq; novis an carmina dicam
Tot modulata? ipſas etiam mulcentia tigres;
Sed duram unius ſero flectentia mentem?
Quid miſeram maciem pallentiaq; ora, metusq;
Totq; pios forti variatos pectore vultus?
Ille tuo tantum primis laudatus ab annis
Iudicio, ingenuis ſtudiis & corpore pulchro
Herricius præſtans, Iſabellam ad fœdera lecti,
Auſpice me, tandem pepigit; ſortitus in unâ
Et genus egregiam, quas & concordia iungit

Rara, pudicitiam formamq́; , pareſq; Minervæ
Mores, ac bona tot facientem maxima cenſum.
Quare agite has mecum tædas celebrate faventes.
Nam vos præcipuis Siren pulcherrima votis
Parthenope manet; & vobis parat anxia pompas.
Diva refert; O nate meis exercite iuſſis;
Gloria num facili certamine ſumma paratur?
Perfer: nox tantos ſolabitur una labores:
Uraniaq́; ſatus, noſter comes iſte, moratus
Mercedem haud ultra cumulato fœnore ſolvet.
Ipſa quidem (ut cernis) iam dudum ad munera læta
Accingebar ovans; aliquem factura beatum.
Hæc ait: hinc placido conſcendunt agmine concham
Cypris, Amor, Charites; aliiq́; ſequuntur alumni;
Roſtraq́; delphinum bigas incurva trahentum
Certatim moderantur; & oras viſere dulces
Contendunt: demum fluvio excipiuntur amico;
Ac Sebethiaco religant delphinas in antro:
Adventumq́; deæ teſtatur purior æther
Jam lux extulerat iubar expectata ſerenum,
Coniugibus cupidis noctem adlatura beatam,
Ocia Parthenope, Divos ad feſta vocarat,
Mortaleſq́; ſimul: cum Diis ut pocula libent;
Formoſamq́; nurum ſocio venerentur honore.
Ilicet Ænariam Muſis hic linquit amicam;
Ille arva & Bacchi & Cereris teſtantia pugnam
Deſerit, hic Capreas; hic pinguia culta Veſevi.
Cumm cervis venator agit per olentia pacem
Prata ſagax; prata exitio famoſa Gigantum
Nota trahunt nulli captivum ad littora piſcem.

Ponit

Ponit arator opus: cuncti ſimul ocia ducunt;
Dum ſua feſtus Amor iucunda negotia curat.
Exin invecti ſtellatis curribus adſunt
Cœlicolæ, ſuadente Deâ; longoq; ſalutant
Ordine Sebethum, convivia lauta parantem,
Secretaſq; Deis, ſub amœna umbracula, ſedes.
Tum paucis conceſſa, aſtris decerpta benignis,
Dona ferunt nuptæ manibus cœleſtia plenis.
Venit & ornatu felici compta voluptas,
Cognita Diis ſolis, & amicis cognita Divum,
Porrigat ut cupidis æternos nectaris hauſtus.
Fama quoq; egregii iuvenis, nomenq; venuſtæ
Virginis. indigenas Faunos, proceresq; propinqui
Exciverat, pelagi læto reſonantia plauſu
Littora complerant; hominum nihil ora verentes,
Irruerant propius; viſuri candida nuptæ
Ora novæ; pars & choreas agitare parati,
Argutaſq; audire fides, & diſcere cantus;
Cantus vix ipſis auditos regibus unquam:
Quos olim docuit Seripandum Phœbus alumnum
Lucrini ad cautes; ubi labra oculoſq; rigantem
Adſiduè puerum ſacrâ Ciceronide lymphâ
Chalcidicâ admirans Deus ipſe aſpexit ab arce;
Poſtquam membra toris reclinavere repoſtis
Lumina cœlicolæ mortalia dedignantes;
Ac mortale genus ſimul immortale ſub umbris
Veſcendi dapibus variis ſedavit amorem;
Dum thyaſos iuvenes ludunt, ſua ſeria tractans
Juno petit nuptam, ſolio quæ celſa ſedebat
Effulgens auro, gemmiſq; ſuperba coruſcis,

Tum Dea ſic orſa eſt, viridi circundata nimbo;
O bene iuncta viro fortunatiſſima virgo!
Iam lætare tuis, maioraq; concipe tædis:
Iuppiter in terris tot inertes ſceptra tenenteis
Indignatus, & eximiis virtutibus olim
Præſtantem meliora virum ſub fata daturus
Qui lætos faciat populos, urbeisq; beatas,
Vos me connubio ſtabili coniungere iuſſit;
Surgat ut egregiis genitoribus optima proles:
Proles iuſtitiam latè caſtumq; pudorem
Quæ doceat populos, & in omnem dividat orbem.
Hæc duo amabilibus vinclis per mutua cives
Munera conciliant, urbes & moribus ornant.
Namq; ſub arcanis (tanta eſt clementia cœli)
Viſceribus terræ latuere animantia quondam:
Tum pater informem miſeratus ab æthere vitam
Palladis auxilio Vulcaniq; arte ſub auras
Edidit attonitè nitidum mirantia Solem.
Cumq; vagi in ſylvis homines ſine mœnibus ullis
Errarent, paſſimq; feris immanibus artus
(Ah miſeros) irent laniati in pabula tetra;
In cœtum excitos prædura redegit egeſtas,
Ac munire inopem monſtravit limite vitam.
Hic miſeris orta eſt iniuria maior alumna
Invidiæ: quando civilem acceperat artem
Nondum etiam ignarum divino à Numine vulgus.
Ergo grave inter ſe cognato funere bellum
Dum miſcent, iterum tectis atq; urbe relictâ
Palantes fiunt infelix præda ferarum.
Sed Deus humanæ dum proſpicit ipſe ſaluti,

Mer-

Mercurio mandat, cunctis ut gentibus æquè
Dona duo illa Deûm latas diſpenſet in urbes;
Inſerat & cœli per ſingula corda decorem:
Lege tamen poſita; quiſquis deprenditur expers
Muneris ætherii, tanquam Phlegethontia peſtis
Ad Stygia ultrici truncus ruat antra ſecuri.
Quocirca, quoniam regum pudor exulat aulis
Impuramq; ſoror tellurem Aſtræa refugit;
Te duce molimur populos factura beatos,
Qualia iam mundo viguerunt ſecla recenti.
Tunc Dii paſtores hominum, vigileſq; fuère
Cuſtodes, alimenta uni ſat cuiq; parantes:
Ceu ſunt nunc homines, quorum divinior altè
Natura excellit, pecorum ratione carentum
Paſtores; tegetem neq; dedignantur eandem.
Sic veteres facili ſub libertate vagantes
Tercentum explebant numeris melioribus annos.
At tu venturo regi incunabula virgo
Progenitura, Deæ cape iam præcepta monentis:
Prima tibi mores ſit lex Iſabella mariti.
Quàm vir & uxor enim concordi more gubernant
Ritè domum: felix hanc auget divite cornu
Copia: quin (tendunt quo vota obnixa parentum)
Quod mortale fuit, genus immortale futura
(Diis opus inprimis gratum) per ſecula ſervat.
Ille foris parat: illa domi benè parta tuetur.
Poſt ubi facta parens decimo iam ſidere partum
Læta dabis: teneris illum fac educet annis
Muſa fovens gremio, generoſiſq; imbuat actis;
Nec videat quicquam, niſi magnũ, aut audiat infans.

Hinc ſolis numerare vias mentemq́ per orbes
Ætherios agitare, bonumq́ exquirere ſummum,
Et rerum arcanas adſueſcat noſcere cauſas,
Gaudeat & toto reminiſci priſtina cœlo.
Gymnica præterea tenerum certamina corpus
Erudiant. animo & Lethæa oblivia tollant.
Sic animus geminis alis innixus in altum
Tollitur, ac verum cernens in lumine puro,
In terras victor cœleſtia regna reportat,
Divinas furatus opes fulgentis Olympi.
Qualis in algentem limum effigiemq́ Prometheus
Vivacem genium miſſurus, ab æthere furtim
Abſtulit arcanis pollentem viribus ignem.
Nec vero videar tibi pronuba triſtior, inter
Tot cantus, hilaresq́ choros: maga namq́ ſeverum
Natura ad finem potioraq́ ſeria dulceis
Repperit illecebras, hæc diſce oracula demum;
Ni vir iuſtifico ſapiens regat omnia ſceptro,
Aut reges animos Muſarum flumine luſtrent;
Mortales nunquam felicia ſecla videbunt.
Nunc age, ſi caſtæ decorat natura palumbis
Levia colla comis, & verſicolore monili,
Nos tua gemmatis decoremus tempora ſertis,
Sume pudicitiam teſtantia dona perennem,
Augeat & ſanctos oriturum pignus amores.
Dixerat hæc regina Deum. Venus inde maritum
Virginis in gremio poſita cervice cubantem
Affatur, roſeo fundens has ore loquelas.
Viciſti, iuvenum cœlo gratiſſime, tandem:
O fatis lætare tuis, & compare voto.

Sol,

Sol, ſub convexo quæ ſunt, regit omnia cœlo.
Tempora Sol rerum ſator idem ac temperat horas.
At Venere invita, quæras licet omnia, certam
Nemo voluptatem, cognataque gaudia novit.
Felices ambo: formoſa è coniuge natos
Tollere ritè viro licuit, virtute parentes
Olim æquaturos: generoſo è ſanguine germen
Concipere uxori: Fortunaque divite gazâ
Donat utrumque; aliquid tot ne bona turbet acerbum
Nil ô nil auſint optare beatius unquam
Semper avent quicunque frui dulcedine Divûm.
Surge age ſideream, Borea ſpirante, puellam
Amplexus Veneri indulge, blandumque laborem
Exercens thalami cape iam dulciſſima vitæ
Gaudia: nunc melior facies invitat Olympi:
Nunc tempeſtivo nubendi ſidere conſtant
Omnia: ſed dextro lateri ſubnixa recumbat
Cara ſimul coniux, puerum paritura, ſerenos
Qui referat ſenſus, qui ferri ſordibus aurum
Vilibus exemptum largè ſortitus, ab alto
Corde per Auſonias divinitus explicet urbes.
Parthenope ô priſcis toties ſpoliata coronis,
Naturæ gaudentis opus, decus addita terris,
Perpeſſa heu graviter multis iuga barbara luſtris,
Ecce tibi arridet melior Fortuna reviſens.
Accipias omen: lapſos nam ſæpè peracto
Circuitu in ſolido rurſus locat illa: reſurget
Jam tua progenies. en magna Iſabella potenti
Donavit ſceptro natam; regemque verendum
Sauromatis, generum magno ſibi iunxit honore:

Vnde olim veteres pompas, claroſq́; triumphos
Culta ſinu excipies, placidaq́; in pace videbis
Compoſitas rectè renovata per oppida gentes.
Interea ditem latè Bona Sfortias Iſtrum
Dum reget. & cultus Italos veneranda Gelonis
Inſeret. abſentiſq́; pium pia matris amorem
Ac deſiderium Geticis ſolabitur ægrum
Muneribus, natæ præſens Iſabella rependet
Pulchra vicem, natæq́; explebit munus amantis.
Auſpiciis igitur paribus lætiſſima tædas
Ambarum celebra, pariterq́; optantibus ambas
Trade viris: Bona Dacorum regina volucres
Aſcendat currus: Iſabella has ore ſerenet
Oras, atque animum dominæ cognominis altum.
His poſtquam verbis blandita eſt Diva, reſoluit
Innumeris ceſtum variiſq́; coloribus Iri
Adſimilem, dum nube cava ſuper erigit arcum
Adverſis radiis; ſub quo interiore latebant
Fraudeſq́; illecebræq́;, ipſos quæ fallere poſſint
Prudentis animos: Dea tunc nil ſubdola ceſtum
Invertit: fraudeſq́; viro ſine fraude retexit;
Vinxit & arridens triplici duo pectora nodo.
Iamq́; ſub occiduo patefecerat Heſperus ignes
Orbe diu optatos; cum vates veſte decorus
Purpureâ lauroq́; comas redimitus, honeſtum
Extulit os: ſiluere auræ; ſiluere penates,
Talia dehinc culto deprompſit pectore; cantum
Concordem cithara & plectro modulatus eburno:
Alma parens rerum, Veneris cœleſtis alumna
Quæ reparas quicquid rapido corrumpitur ævo;

Quæq́;

Digitized by Google

Quæq; æterna novo ſervas animantia fœtu:
Jure tibi intendunt totos animalia ſenſus.
Quæ mare, quæ tellus, quæ lucidus educat aër.
Munere ſi Veneris capiunt primordia formæ;
Te duce ſi tenebras mutarunt omnia luce;
Dimidioq; ſui rurſus potiuntur & olim
Partibus abſciſſis, totoq; fruuntur amantes:
Dum canimus, Parcæ; fatalem volvite fuſum;
Læta canemus: amant lætos connubia luſus.
Sparge roſis Hymenæe toros: ac tecta vapore
Idalio late Syriis & odoribus halent.
Tu vir ſponte para nocturna ad prælia vires;
Quas niſi fert æſtas, incaſſum bruma requirit.
Perge age marmoreo circumdans bracchia collo.
Quid ceſſas? mediis bacchare impune papillis.
O quot, amatorum fortunatiſſime, cerno
Gaudia! connexis quot mutua baſia linguis!
Ambroſiis tecum thalamis Iſabella ſoporem,
Illa tot oppugnata procis, tot dotibus aucta,
Captat? & e niveo divinum ſpirat odorem
Blanda ſinu? ipſe animæ, repetita per oſcula florem
Dum legis, illa tuum latus amplexata recumbit.
Toto animo tecum: totis liquefacta medullis,
Centum delitias uni meditata marito?
Vos genibus matris fatalem volvite fuſum,
Coniugibus Parcæ felicia fila trahentes.
Coniugis in thalamo felix & honeſta voluptas,
Quam non ipſe pudor tenebroſo in fornice condit.
Sanctus opes infert magnas Hymenæus onuſtâ
In nova tecta manu. Vitam Deus iſte beatam

Solus agit: ſteriles animæ iactantur ad auras
Turbinibus crebris: ſobolis cum nulla relictæ
Diti ſigna ferunt: qualem turgentibus orbem
Ingentem ventis gravidum ſuper aëra ludi,
Iudice ſub tacito, populi ſpectante coronâ
Huc illuc iuvenes alternis ictibus urgent.
Quin etiam in thalamis Divûm, cum lumina veſper.
Accendit radians, caſtos tunc igne penates
Ac ſeris adolet lychnis Hymenæus, & atras
Nocte fugat tenebras: ubi lux redit alma, repellit
Deſidiam, & totas operoſior excitat ædes.
Tum ſurgunt Cereris; tum ſurgunt germina Bacchi:
Tum pecus alma Pales per gramina læta propagat.
Dum canimus, Parcæ fatalem volvite fuſum.
Vt iucunda locis emiſſa ſalubribus aura
Membra ſalutiferum diffundit in ima vigorem:
Sic animum feſſi reficit bona nupta mariti,
Cum longo extremis poſt tempore venerit oris
Ille, vel infeſto langueſcat turbine morbi.
Hectora poſt duri certamina Martis, anhelum
Andromache accurrens ubi foverat, acrior ille
Argolica oblitus terrebat caſtra labores.
Nec minus Heroina tuum tu noſtra fovebis.
Hectora felici gremio, nova robora membris
Inſinuans; ubi Turcarum de ſtrage reverſus,
Ille trophæa Iovi ſuſpenderit inclyta noſtro.
Mars etiam ſævo rediens è turbine belli
Gaudet in amplexu Veneris deponere curas.
Dum caminus, Parcæ, fatalem volvite fuſum.
Invideant, quorum Muſis averſa tepet mens,

Indocti

Indocti reges; quorum natalis & Hymen
Muſarum ſine honore iacent; & corpora mutis
Cum famâ extinctâ nox obruit atra ſepulchris.
At pius Herricius, qui ſacra ſororibus ultro
Pieriis ſua ritè facit, vatemq; cadentem
Puppe manu erexit, diû cum coniuge victor
(In pretio ſublimis erit dum cantus olorum)
Clara per ora virum cunctis memorabitur oris.
Ne genij remorare iocos, ne carpere florem
Optatum prohibe: citharam iam pone Camœna.
Vos tamen interea fatalem volvite fuſum
Coniugibus, Parcæ, felicia fila trahentes.
Iam pueri præferte faces: Hymenæe pudorem
Solve rudem, Zonamq; toro. cantabitur olim
O nati unanimes: O vincula grata parentum:
O & paſtores, ô dulcia fulcra ſenectæ:
Cum parvi Herricij parvis in curribus aulą
Colludent: ſomnumve levem cum ſedula nutrix
Ipſa ciens cantu cunabula picta movebit.
Nunc vos unanimes generate ſub ultima prolem
Secula manſuram: donec nova ſemina fundens
Volvitur à fato naturæ præſide mundus.

EPITHALAMIUM BAUDII

ALBERTO A SCAGHEN ET THEODORÆ A DUVENVORD.

ETsi mens animi curis confecta ſeneſcit,
  Afflatumq; gravi ſidere pectus hebet.
Nec iuvat ingratas Parnaſſo excire ſorores,
  Vnde nihil metimus præter inane ſophos.
Fluxaq; ſectando pellacis præmia famæ
  Virtutum ſolidas dilapidamus opes.
Carpitur interea melioris floſculus ævi,
  Dumq; loquor rapidis paſſibus hora fugit.
Cor tamen exſtimulat vis blanda potentis amici,
  Flagitat & Genij munera proſper Hymen.
Scaghius in leges accingitur ire maritas,
  Vincirique ſacra compede geſtit amans.
Ille ſolutus amans defixus inhæret in una,
  Quam ſibi iure pio perpetuoq; dicat.

Tam lætumne iubar patiemur abire ſilendo?
Non patitur pietas, non data ritè fides.
Ingenium ſupplebit amor, meraſ; ſæpè voluntas
Averſum evaluit pacificare Jovem.
Surge anima, & mœſto pauſam interpone dolori,
Sunt dicenda bono proſpera verba die.
Publica dum fremitu conſpirant vota ſecundo,
Pars ero gratantis quantulacunq; chori.
Non hîc ingenij ſpecimen ſpectatur & artis,
Vrgeor imperio, vim prece ſuada facit.
Scaghius, eximio cultum mihi fœdere nomen,
Inſtat & effugio non ſinit eſſe locum.
Illius auſpicio libet inſanire, licetq;,
Sic mos maiorum, ſimplicitasq; iubet,
Non ſua maieſtas Veneri conſtabit honorq;
Si Charitum deſit triga, licensq; iocus.
Ergo agedum facili ſpecta hæc floralia vultu,
Quæ tuus invitum ſcribere adegit amor.
Felix coniugio iuvenis, cui tanta parantur
Gaudia, ſed Nemeſin diſce timere gravem.
Fortunamq; tuam reverenter habere memento:
Sæpe piis etiam livor obeſſe ſolet.
Quanquam quid metuas ne te malè faſcinus urat?
Non cadit in miſeros iſta maligna lues.
At tibi nunc inſtat ſeries immenſa laborum,
Queis vigor Herculeus vix ſupereſſe queat.
Heic Rhodus, en ſaltus gravis adverſaria ſurgit,
Nec ſudoris egens pugna patranda venit.
Nil tibi quod Bavara deducis origine gentem
Proderit, aut Comites quod numerantur avi.

Subli-

Sublimes Batavûm Comites, qui nomine & actis
Fortibus impleruntſolis utramq; domum.
Nobilitas alibi decus, & ſua lumina ſervat,
Spernit imaginibus cedere diva Cypri.
Nec parcit titulis, dedignaturq; triumphos,
Sola poteſt virtus his ſupereſſe malis.
Eheu quantus adeſt miſero labor? at ſine magno
Nil hominum generi vita labore dedit.
Nympha minas intentat atrox, & cruda laceſſit
Prælia: nunc vires, nunc age prome virum.
Illa quidem totis in te conatibus ibit,
Suadet enim occidua virginitatis honos:
Agnatusq; pudor, primæq; iniuria culpæ,
Quæq; rudes animos Virginis ira decet.
Forſitan & curvos in vultum diriget ungues,
Si perſtes properans ultima noſſe bona.
Verum ubi nequidquam vires effuderit omnes,
Graſſari incipiet fraudibus atq; dolis.
Mulcebitq; ferum palpo, cauſasq; morandi
Nectet, & obvolvet gaudia lachrymulis.
Sed quid opus monſtrare modos, memoremq; monere
Non novus ad ſignum miles & arma venis.
Artibus his teneras natura induſtria mentes
Format, ut ardentes acrius urat amor.
Non iuvat ex facili victoria marte redempta,
Plebeiamq; famem præda parata ſapit.
Nil ſine vi pertunda poteſt, nil perfica patrat,
Hac Veneri martem dote placere ferunt.
Sic rigidas olim Virtus Romana Sabinas
Condocuit patribus conciliare viros.

Tu

Tu quoq; vi perfringe lares, aditumq; ruina
Quære. ſed Harpocrates dicere plura vetat.
Non decet hæc velo recludere ſacra levato,
Quæ cuſtos operum nox monet ipſa tegi.
Mars amat inſidias. furto lætantur amores,
Deprendiq; dolet iuſta pudensq; Venus.
Cætera præſentes peragent ſine iudice teſtes,
Lampſaciq; labos, ingeniumq; patris.

At tu ſuperba flore vani nominis
O Virgo, Virgo, non diu lætaberis
Honore tali. næniam canas licet
Charo pudori, venit ultimus dies,
Nox inſtat atra flet Virginum chorus;
Æqualis una gente de veſtrâ minor
Sui redibit, ite funus exſequi,
Virgoq; multa comprecemini mala,
Qui iure ſævo, bellica velut manu
Vænale pignus, filiam matri rapit,
Vobis puellam, tale uti decus ſuæ
Buſiris atrox immolet libidini.
Ridetis? at non ſic abibit ſi Themis
Ritè invocata curat humanas vices,
Pœnam parem luetis, ut periculo
Diſcatis olim quàm ſit infandum ſcelus,
Ridere mortes, funeriq; illudere.

SEBASTIANI ARTOMEDIS FRANCI

ELEGIA.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

AD

JOHANNEM ZODICIUM *&c.*

MAgne Pater, cuius binas gerit altera claves,
Altera terribili fulminat enſe manus;
Cui tonſus triplici radiat diademate vertex,
Quo non eſt Latio maior in orbe Deus;
Claudere qui cœlos potis es, ſed claudere tantum,
Et ſtygas tantum qui reſerare fores.
Sicut enim plenum canis ad præſepe, nec ipſe
Mandit iners fœnum, nec ſinit eſſe bovem:
Sic tibi in acceſſo populos excludis Olympo,
Et miſeri ſocios colligis exilii;
Rurſus ut ante alios uni tibi panditur, uni
Magna ſuas ditis regia ſervat opes:
Sic ſemel ingreſſus tibi debita regna dolentem

Non poteris captos inde referre pedes.
Quid loquar immenſo quàm vaſta licentia mundo
Sit tua? Romani tu pudor Imperij.
Tu maris ac terræ Dominus Regumq́; Ducumq́;
Ad nutum variant bellaq́; paxq́; tuum.
Fortia ſubmittunt humiles tibi colla Monarchæ;
Et devota tuis oſcula dant pedibus.
Irrita ſunt, nec ſtare valent, ſed rupta fatiſcunt
Fœdera, conſenſu quæ caruêre tuo.
Parva loquor: Veterum monumenta refellere va-
tum
Impia decretis cudere ſacra novis:
Figere pro libitu, fixaſq́; refigere leges,
Flectere pro libitu cerea iura tuo.
Opprimere inſontes, opibus fulcire nocentes;
Effera contra ipſum bella movere Deum.
Mercari nugis, aurumq́; rependere bullis,
Vendere cœlorum regna negata tibi:
Corpora ferro igni, laqueiſq́;, rotiſq́; necare;
Horrendis animis excruciare minis:
Cæſorum rapere, & fœdo bona perdere luxu,
Et quorum ad titulos obtegit ora pudor:
Quidlibet audendi ſemper tibi ſumma poteſtas;
Fas alij quærant te voluiſſe ſat eſt.
Quem te igitur dicam? quo tandem nomine gau-
des?
Tot tibi virtutes nomina mille dabunt.
Autolycus furtis, Briareus potes eſſe rapinis
Cædibus Antiochus, calliditate Sinon.

Con-

Contemtu ſuperum Mezentius, arte Perillus;
Sævitia Phalaris, flagitiisq; Nero.
Impietate Baal, Caracalla libidine, Cyclops
Ingluvie, luxu Sardanapalus iners.
Fallor an arrident Caci quoq; nomina, cum ſis
Præſes Aventini montis, ut ille fuit?
Elige quod tibi cunq; placet Sanctiſſime nomen
Nam tibi cancellos ponere velle nefas.
Nec mihi mens elegis tua condere facta minutis
Facta per Heroos nobilitanda pedes.
Sat mihi ſi parva intexens tua nomina charta
Colloquium videor demeruiſſe tuum.
Dic igitur placidusq; fave iuvenilibus auſis
Legitimum damnas qua ratione torum?
Cur ſacras Veneri nymphas; raſosq; Lupercos
Antiqua thalami vivere lege vetas?
Cultoresq; Deo parvos educere natos?
Et generis ſeriem continuare ſui?
Sed prohibere parum eſt, iuvat indulgere furoris;
Et ruere audaci per ſcelus omne gradu:
Quæ Deus æterno ſociavit corpora nexu,
Tu placitis audes diſſociare novis.
Diſſociare parum eſt, iuvat indulgere furori
Et miſera caſtos ſpargere cæde lares.
Pars melior fulcrumq; domus, columenq; mariti
Flebile funeſta de trabe pendet onus.
Pellitur è viduo conſors miſeranda cubili
Exul, & ignotum quærere iuſſa ſolum.
Exilij comites parvi circum ubera nati
Mellea turgidulis fletibus ora rigant,

Oraq;

Oraq; maternoſq; ſinus: multum anxia mater
Attonito primum nil valet ore loqui.
At ſimul erupit dolor, & via vocis aperta eſt
Ictaq; continuis quæſtibus aura ſonat.
Et lacrimæ acceſſere graves, fidæq; tulerunt
Suppetias lacrimis auxiliumq; preces:
Aërias ſimul & nubes & ſidera tranat
Iratumq; movet iuſta querela Deum.
Horreres, tremeres, ſi non tibi lurida eſſet,
Dis genitos, ſi non torva Megæra parens.
Quid facient fures, audet cum talia cuſtos?
Cumq; ſuos paſtor devorat ipſe greges?
Cedite Barbarici divini Numinis hoſtes
Roma feris plus eſt plus metuenda Getis.
Vana quid obducto pingis mendacia fuco?
Nativus dubia non eget arte color.
Ede tamen cauſas, quibus impedientibus uni
Coniugio myſtæ non potuere tui?
Stat prima e duro geſtans adamante catenam
Larva Papæ voti religioſa fides.
Hæc noxas abolet pietas, veniamq; meretur
Baptiſmo pietas par in honore ſuo.
Hæc legem pietas implet, venditq; quod ultra eſt,
Hæc pietas ſummi ſumma caputq; boni eſt.
Hanc Nemeſis pœnaq; vetant temerare miniſtra
Et diræ ultrices vindicis arma Papæ
Ne mihi ſuccenſe Pater inclyte, non ego, non ſum
Qui credam nugis pondus ineſſe tuis.
Quin Italis tam pulcra tuis, tam lauta reponis
Somnia, qui cerebri vim ſapientis habent

Nos quibus ingenium ſimplex, Germania ſimplex
  Quos tulit, & veri iuſſit amare decus,
Nos ſatis, Chriſti in merito confidimus uno.
  Scilicet hoc ſacri nos docuêre libri
Diverſum quodcunq; ſonat, lethale repertum
  Et Patris & genii credimus eſſe tui.
Qualis & hic partus mores imitatur avitos
  Pectora qui voti religione tenet.
Stat miſer, ignarusq; doli ſibi retia texit
  Mentis adhuc impos iudiciiq; puer.
Aut puer aut viridi iuvenis maturior ævo
  Aut proba regali digna puella toro
Verba quidem iurant, animus contraria verbis
  Cogitat, & fraudes, & ſua damna videt.
Iamq; revertatur, niſi vel pater inſtet avarus
  Vel nimius vitæ ſplendidioris amor.
Adde, quod ut cupiant, nequeant ſua ſolvere vota
  Quæ maiora hominum conditione vovent.
Quodque Dei iuſſis contraria iuſſa ſequentes
  Sincerum Chriſti ſe genus eſſe negant
At puto ſenſit idem mandans dux legifer olim
  Afferri caſtas ad pia ſacra manus.
Et tu mundiciei, ſi Diis placet, alter ab illo,
  Eſſe ſacerdotes vis ſine labe tuos:
Utq; ſuus templis ſtet honos, neu forſan ad aras
  Coniugis è gremio myſta protervus eat,
A thalami ſacris arces genialibus omnes,
  Criminis ut pereat ſemen & herba ſimul:
O facinus ſupra hominum petulantia morem:
  Ecqua tibi frons eſt? Ecquis adhuc pudoris eſt.

Certa

Certa DEUS *populo certo, diſcrimine certo*
Ceſſatura ſuo tempore ſacra dedit,
Illa ſuis dudum cum ritibus exſpirârunt
Ex quo hominis cauſa factus homo DEUS *eſt.*
Sanctaq; libertas reparata eſt ſanguine Chriſti,
Propitiumq; fides cœpit habere Deum
Hæc revocare igitur vindex præpoſterius audes?
Et premere antiquo libera colla iugo?
Atq; hoc ut taceam, noctes ad ſacra pudicas
Poſcebat Moſes, & breve tempus erat.
Tu nimius quicquid facias: imitare feremus?
Sumere plus debet ſimia nulla ſibi.
Si libet exemplis veterum decernere litem
Jam fuga certa tibi, palma parata mihi eſt
Primus Adam ſacris addictus in orbe recenti
Nonne DEO *ſociam dante maritus erat?*
Hoc vacuo licuiſſe orbi Romanus Alaſtor
Plus ſatis expleto non opus eſſe canit.
Quid ſibi vult igitur Patrum trias illa piorum
Quæ ſtirps eſt populi fortis Juda tui?
Nonne aris addicti omnes, ſacrisq; pudici
Non tamen à pactis abſtinuere tori?
Non ea deinde ſequi puduit veſtigia natos,
Sat licet expletus tunc quoq; mundus erat.
Quid ſibi vult Chriſtus? cur non connubia damnat?
Certe hominum numerus tunc quoq; magnus erat.
Cur thalami ſolenne ſacrum ſolenniter ornat
Nectareus tenues dum ſapor intrat aquas.
Cur voluit caſta naſci de virgine, ſed quæ
Pacta foret caſtè ſponſa pudica viro.

Præterit hos caſſes, vulpes imitatus & inſtar
Vim faciens verbis optime Chriſte tuis.
Extollitq; tuas vita de cœlibe laudes,
Cætera coniugij de gravitate tacet.
Sic ubi conſilium vita de cœlibe tradis,
Attrahit in partes te quoq; Paule ſuas.
At cum ſacra vagis præfers hymenæia flammis,
Visq; ſuo quemvis rite jacere toro:
Prægnantumq; canis laudes, Chriſtiq; miniſtrum
Unius aſtringis coniugis ad thalamum:
Cede procul, fuge Paule tuo comitante Luthero,
Jam pater in dextra miſsile fulmen habet.
Mens erat, exemplis cauſam munire vetuſtis,
Sed meus à primo calle receſſit equus.
Et longum fuerit percurrere ſingula, quin tu
Singula ni noſti, cur Papa nomen habes?
Nemo viros caſtum vetuit conſcendere lectum,
Juſſa Dei populos qui docuêre rudes.
Inventus Papa, qui veterum peccata revelet
Quod ſapiat cerebrum, nam Papa ſolus habet
Quod Deus & priſci vates patresq; verendi,
Cernere quod nequiit Chriſtus, id ille videt.
Nimirum hunc cecinit iuvenis, quem dira leonum
Horrendis fruſtra terruit ira minis:
Hunc fore flagitiis qui turpibus inquinet aras
Hoſtis atrox ſuperum fœmineiq; gregis.
Hunc ſimul Auſonia noctis pater urbe locavit,
Speratumq; diu contulit imperium:
Ara ſimul miſerum tempeſtas obruit orbem,
Heu quanta, heu quantis ſemita facta malis?

Sacraq́ꝫ, honeſtatemq́ꝫ ſimul moresq́ꝫ videres
 Regnaq́ꝫ communes corruere in cineres.
At ſcelerum contra facies emergere miras,
 Sic, Papa, ſic ſanctos ergo imitaris avos.
Tunc etiam ſocii periit reverentia lecti
 Sic, Papa, præceptis ulteriora facis?
Sæpe tuus voluit tædas inhibere pudicas
 Non potuit Genitor, Filius ecce potes.
Plus genitore potes: par cætera, vincis in uno,
 O patris ô generis ſpesq́ꝫ decusq́ꝫ tui.
Non potuit thalami firmos abrumpere nexus,
 Arbiter immundi Spiritus ille gregis:
Attamen officiis caſtos arcere miniſtros
 Cum potuit, turbæ credidit eſſe ſatis
Plus ultra docuit contendere filius audax:
 O iterum generis ſpesq́ꝫ decusq́ꝫ tui,
Fallor an hic longæ mihi conſuetudinis uſum
 Occinis? ô mira calliditate virum!
Sic igitur fures opera excuſabis eadem
 Sic pudor & legum concidet omnis honos.
Quis poterit turpes (quid enim communius?) ignes
 Carpere? quis mores impia Roma tuos?
Parcite lictores, quid acutos ſtringitis enſes?
 Pontificum lex eſt: qui rapit, ille ſapit.
Scorta quid ultrices pereunt demerſa ſub undas
 Quæ pater exemplis approbat iſte ſuis?
Parcite iam mœchis, parcit Pater ipſe Latinus.
 Cædite iam caſtos, cadit & ipſe pater
Deſine mirari: Latiis Venus imperat oris
 Hinc Veneri Latia præſul in urbe favet

Hinc pater antiqua pro libertate puellas,
Æterno addictus non ſinit eſſe iugo.
Non ſinit ipſa Venus communes eſſe puellas
Juſſit & ipſa Venus, iuſſit & ipſe Pater
Jura tori ſervet ſpretum ſine nomine vulgus,
Sacra profeſſuros liberat ipſa Venus
Liberat ipſe Pater: cum coniuge vivere caſtè
Nemo poteſt blanda cum meretrice poteſt.
Quid cauſas quæris? viſum Venerique Patrique,
Quod iubet illa iubet ſemper ubique Pater.
Præſidio Veneris tutus Pater: huius & ipſa
Tuta patrocinio regnat in urbe ſua.
Da veniam Pater: en ultro mea verba recanto,
Nulla Quirinali regnat in urbe venus.
Nulla Venus nullusque puer, quia gaudia curis
Permiſcens, triſti ſpicula felle linit.
Virgo parens, ſanctusque puer, ſine labe parentis
Editus imperium, ſceptraque caſta tenent
Diique, Deæque aliæ: ſed prima potentia magnæ
Virginis eſt prima eſt gloria, primus honos
Virginibus favet illa igitur manibusque pudicis
Pariter inſtructos gaudet habere focos.
Cedite quos ſocio iuvat indulgere cubili,
Virgineas poſcit virginis ara manus.
Et miraris adhuc, Germane, quod innuba virgo,
Lege tori myſtas vivere poſſe negat?
Quoque Sacerdotes pater à conſorte remotos
Cuſtodes vitæ cælibis eſſe iubet?
Neſcis quale ſacris connubia dedecus aris?
Virginitas neſcis quale ſit alma decus.

Gan-

Ganniat hæc aliquis monſtroſo de grege frater,
Cui bona cum raſo vertice mens abiit.
Quæ ſana rationis homo non æſtimet aſſis?
Quæ credenda puer bimulus eſſe neget.
Virginitas res eſt (quis enim neget?) optima: ſed non
Omnibus ex æquo gloria tanta venit.
Officit hinc agnata lues, hinc callidus Anguis,
Hinc mala cum mundo degenerante caro.
Res oneroſa nimis, pauci potuere tueri
Ipſe quibus cœli favit ab arce DEUS.
Idq; videns monſtravit opem mortalibus ægris,
Conditor & caſtos ſuaſit inire toros.
Præſcripſit modum metisq; coërcuit arctis
Ne ruat in quodvis cæca libido nefas.
Præſtat in his ſanctè traducere legibus ævum,
Quam flammas ſævo diſſimulare metu.
Bis peccat, quisquis foris abſtinet, uritur intus
Flagitiumq; ſibi non licuiſſe dolet.
Qualiter abſtinuere patres, quotcunq; coacti
Lege Papæ, leges poſthabuere Dei.
At quotus abſtinuit? gens ecqua ſolutior? ecquod
Effreni monſtrum turpius eſt monacho?
Quæ Sodoma poſſit Latios æquare furores?
Quæ Sybaris mores impia Roma tuos?
Nec tamen impuri metuunt damnare Luperci,
Quod DEUS *aſſenſu comprobat ipſe ſuo?*
Obſcœnasq; lupas, mollesq; fovere cynædos,
Dicere legitimos crimen habere toros.
Nec pudor aut ſancti reverentia numinis obſtat?
O furor, ô caſto gens inimica DEO!

Pace rogare tua liceat, ſanctiſſime Præſul
(Teutonas ingenii ſimplicis eſſe vides)
Thais Alexandri cur dicta eſt filia ſexti?
Cur patris hæc eadem ſponſa nuruſq; ſui?
Quid monſtri fuit ille, tuâ qui præſes in urbe
Janus & octavus nominis huius erat?
Fama refert peperiſſe virum. quis credere poßit?
Siccine naturam vertere Roma ſolet?
Quid trepidas? quid turpe rubes? quid conſcius horres?
An pudet? an victas porrigis ergo manus?
Vota iacent: exempla tacent: ſacra pagina Moſen
Et Chriſtum & Paulum non ſinit eſſe tuos.
Aſſerit omnipotens legum decreta ſuarum,
Aſſerit æternùm, quæ placuêre ſemel.
Cauſa labat. parteſq; tuæ ſine vindice mutant,
Nil tibi pro vita cœlibe reſtat opis.
Si ſinis & tantum eſt mihi roboris, ipſe ego veras
Conſilii cauſas enumerabo tui:
Divitiis inhiare tuum eſt, & honoribus amplis,
Ut ventrem & Venerem deſidiamque ſequi
Legitimus ſed enim ſtudiis torus officit iſtis,
Semina curarum qui nova ſemper habet.
Multum orare pius, multum ſudare maritus,
Nunc tolerare famem, nunc tolerare ſitim,
Sæpe peregrinas inviſere cogitur oras,
Sæpe graves æſtus frigora ſæpe pati.
Iſta patres monachiq; ferant, unctæq; cohortes?
Non ita fas, cives, non ita velle pium eſt.
Gaudia deliciaſq; ſuas hæc turba ſequatur,
Miſtaq; nocturnis ebria vina choris.

Et

Et Venerem ſine lege vagam raptusq; nefandos
Nec pudor ingenuas ſit violare nurus.
Et quodcunq; Patres ſpecie pietatis honeſta
Perpetrare nefas, clamve palamve ſolent.
O nimis agreſtes quibus iſta licentia ſordet
Plenaq; deliciis, plenaq; vita bonis:
Æmula fortunæ Regum, ſecura laborum
Quam præferre polo Juppiter ipſe velit.
Tuq; adeo, quem noſtra colit, cui noſtra laborat
Muſa, ſodalitii pars bona, Jane, mei.
Ecquid ad Auſonii trepidas mandata Tyranni,
Dum tibi legitimus vincula nectit hymen.
Non puto: nec ſuaſor fuerim: crepet ille, truciq;
Ter centum ſtygios intonet ore DEOS
Tu certum ſperare hominumq; Deiq; favorem,
Namq; DEI ſequeris juſſa verenda, potes.
Fide animi, DEUS eſt, tua qui connubia laudat,
Ne dubita leges aſſeret ille ſuas
Ornabitq; tuos felici prole penates,
Præconiq; dabit proſpera multa ſuo.
Plura velim, medios tuus ille abrumpere verſus
Cogit, & incomptum nuncius urget opus
Tu quoq; prolixam cupies jam ponere chartam.
Carminis offenſus garrulitate mali.
Quod potui, feci: placuit bona ſæpe voluntas.
Salve ſponſe: vale Sponſa: Thalia vale.

IN COELIBATVM IMPURUM PONTIFICIORUM.

HEu ſcelus, heu rabies monachorum inſana, jubenti
Turpiter adverſos quos juvat eſſe Deo.
Qui pia dum ſpernunt genialis fœdera lecti,
Arbitrio patrant fanda nefanda ſuo.
Jamq́; iterum dixis Roma fremit arbiter armis,
Et Stygius Latiâ cum meretrice pater.
Cum quibus injuſti coëunt in fœdera Reges
Æternoq́; mouent impia bella Deo.
Mœſta procelloſis Eccleſia fluctuat undis,
Et tutum in magno vix habet orbe locum.
Chriſte tuos ferrum tollit crudele miniſtros
Effuſo ſtagnat triſte cruore ſolum.
Tu tamen iſta vides? nec adhuc deformia monſtra
Deiicis in ſtygios fulmine tacta lacus:
Commodius juncti vivent Acheronte ſub imo,
Roma parens, ſoboles raſa paterq́; Satan.
Torqueat impuros ibi fortior ignis amantes,
Flammaq́; ſit flammis pœna Cupido tuis!
Cedite degeneres Monachi, Papa cede jubenti
Morigeros potius nos juvet eſſe Deo.

S. ARTOMEDIS F.

ALIUD

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTI, EPILOGI LOCO adiectum à

M. JO. HENRICO VIGELIO.

Sufficere hæc primo, Lector lectiſſime, libro
Judice me, poterant, Monachis ſed vertice raſis
Idoli Auſonii ſervis, epiſagmatis inſtar
παρενθήκην largà libuit ſuperaddere dextrâ
Quam vel funigeri Franciſci ex ordine fratres
Ceu propriam ſervent, vel ſorte ſodalibus æquà
Concedant reliquis quocunq; Authore vocatis
Presbiteris, Monachis, Cappucinis, Ieſuitis,
(Quos licet ut fœcem extremam graveolentis averni,
Ipſi execrentur, cane pejus & angue peroſus)
Non tamen excluſis; ex æquo eadem omnibus eſto.
Vt, qui conjugio tantùm oblatrare pudico
Addidicère, ſciant, nec nos infanda latere,
Quæ mala in acceſſis deſignent undiq; clauſtris:
Es κ ρακα pietate procul, caſtoq; pudore
Excuſſo, ut Cypridos ſtabula & Priapeia luſtra,
Et Sodomæorum temerata cubilia dicas.
Scilicet à Jove Romano ſacra talia apertis
Laudantur Bullis, bellis quæ aſſerta cruentis
Nunc ſtabilit paſſim: madidis quæ cernit ocellis

Digitized by Google

Grex Domini, cui caſta tori conjunctio cordi eſt
Legitimi, ſed inane pudor violatur ut aequum
Paſſim, Sacrificis ſic ſic licet eſſe beatis,
Qualibet ut cum fœda patrent, tamen eſſe verendâ
Conſpicui pietate velint, votarii & almæ
Virginis, & natæ caſta de virgine prolis
Cultores, Apices, fundamina Relligionis
Chriſtiadum, queis de medio (ſi credere fas eſt)
Sublatis, lapſura ſimul perituraq; res ſit
Sacra, cave hos unctos tangas, raſoſq; cynædos,
Qui ſoli Atlates ſunt relligionis amicæ,
(Scilicet) excordes, abdomina grandia, ventres.
At Deus innocui vindex, fautorq; pudoris
Author Conjugii, hac terris Deus exime peſtes.
(Sunt Monachi, Deus es teſtis teterrima peſtis)
Legum inverſores ſacratum, & buccina Erynnis,
Armorum faces, Catilinæ, & inutile pondus
Terræ, Penelopes ſponſi, conſumere nati
Fruges, Oeconomi Satanæ, impuriq; Luperci,
Grex pedicoſq; ab alterius carne, atq; cruore
Vitam ducentes, nullo ſine crimine inertem.
Evigila ô Deus, & has terris exime peſtes,
Et bene nunc oppreſſa gemens Eccleſia habebit,
Conjugioq; ſuus, te defenſore ſacratus
Conjugioq; ſuus te defenſore ſacratus
Stabit honos, caſti gignentur in orbe nepotes
Sincerâ & caſtâ te Relligione collentes,
Qui niſi ſervatis thalami aſſertiſq; jugalis
Legibus (haud quibus eſt Papâ capitalior hoſtis)
Nulli reſtabunt cultores tempore parvo.

Hoc

Hoc prohibeto nefas, lectumq́ʒ inire jugalem
Romaniq́ʒ Jovis Ganymedes perde, ſacratos
Tantum inconceſſæ Veneri. Bacchiq́ʒ miniſtros.
O Deus ô vindex thalami aſſertorq́ʒ pudici
Annue ſic purè fons limpidus ibit honoris
Et tibi Relligio generabit caſta pudicos
Cultores, ſic Auſonii de roſa Baalis
Turba omni tandem reddetur in orbe peroſa
Accreſceute magis veræ virtutis amore,
Et Fidei, urgentis caſtæ conſortia vitæ.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Numerus prior pagellam, poſterior lineam denotat.

P*Ag.2.l.22.pro habitus, lege halitus.p.5.l.4.pro quuq́ʒ quiſquam, p. 7. l.13. pro exſpertat, exſertat.p.25.l.2.pro verſu, verſum, p.34.l.10. q. Ixionis rota.p.55.l.26.pro aut, ut p.56.l.1.pro vertere, evertere.p.61. l.11. pro ſive ſine. p. 66. l.28.pro Nomini, Numinis.p.70.l.23.vertu, ventu.p. 74.l. 1.pro aerem, acrem.p.79.l.8.pro Grampi lege Campi.p.91.l.6.pro verant, velant.p.92.l.14. pro pauſu, Plauſu.p.101.F.in inſcriptione, Gallia pro Anglia.p.112.l.8. pro novit, noverit. p.113.l.24.pro juſtus, juſtos.p.136.l.10.in fine verſus, adde firma.p.155.l.penult.hominumq́ʒ.p.159.l.26.abundat ſecundo.p. 166.l. 26. pro ſumi, fumi.p.173.l.25.pro ariq́ʒ, agriq́ʒ.p.178.l.7.pro culvo, curvo.p. 185. in fine carminis autoris nomen omiſſum: Hadr. Iunii.p.187.l.9.lege ſedere.p. 190. 18. relaxentur. l.reclementia. p.192.l.1.lege turmis. p.196.l.ultima date. p. 203.l.antepenult. nitet. p.207. l.1.flammivomas.p.223.l.26.ſuas. p.226.l.12. proteget. p. 238. l. 12. Lotharingia. p.254.l.7.inſtantur.p.239. l.penult.hac. p.261.l.15.genus eſt.p.272.l.16.peſti. ibidem. l. 21. obſcœnis. p.275.l.9. accendens.p.304.l.2. Excepit.p. 310.l. 18.noluit. p. 319. l. 9. pro vatum, natos. p. 325.l.27. pro obnoxi lege Abnodii, p. 400. l.1.ad vos, item lin. penult. ill. p. 402.l.8.finibus. pag. 413. l.7.Badanum, &c.*

Quæ, præter hæc irrepſerunt, æquus Lector ſuo Marte facile reſtituet.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google